UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ Præcones

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

urn:nbn:de:hbz:466:1-52365

Visual Library

Th. 3090.

I V
18.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MVNDVS
ET
MVNDI PARTES, DIVINÆ
BONITATIS AC IVSTITIÆ
PRÆCONES.
AVTHORE
GEORGIO STENGELIO
SOC. IESV THEOLOGO,



Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.
W. Kilian sculp. Sap. 5. 21.

Permissu Superiorum.
Et cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis.
INGOLSTADII,
Apud GREG. HÆNLIN. Anno 1645.

Soctis Iesu collegii Paderbornensis. 1657.

MVNDVS
ET
MVNDI PARTES, DIVINÆ
BONITATIS AC IVSTITIÆ
PRÆCONES.
AVTORE
GEORGIO STENGELIO
SOC. IESV THEOLOGO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO, DOMINO PATRI IN CHRISTO AC PATRI,

ALBERTO

ORDINIS S. BENEDICTI, IN CELEBERRIMO S. PETRI MONASTERIO, SALISBVRGI, VIGILANTISSIMO, DIGNISSIMO

ABBATI,

DOMINO SVO PLVRIMVM COLENDO.

ANtiquus, & magnus debitor venio, *Reuerendissime & Amplissime Domine Præsul*, tantoq; maior, quanto antiquior; cùm & de censu possim postulari. Quanquam & debitor esse non cœperim, nisi magnus. Tanta enim sunt debita mea, quanta beneficia tua, eaq; ita mihi altè in memoriam inscripta, vt obliuisci non possim: ac vel hinc de magnitudine æstimanda. Quia, vt Tullius ait: [a] *Parua nomina*

a. Cic. pro Quintio.

in codicem non referuntur. Auxit illa beneficia temporum difficultas, & numerus eorũ, quibus liberaliſſima tua beneficẽtia ſuccurrit. Nam cùm Suecica procella, vti alios ex vrbibus & arcibus, ita etiam plurimos Religioſos, è Cœnobijs ſuis, ad Salisburgenſes montes fugere coëgiſſet, apud te, omnes aſylum, *& ciuitatem refugij* inuenerunt, quotquot quæſiêrunt: pleriq; non tantùm domicilio recepti, ſed etiam viatico adiuti. Inter quos nomen ſuum libenter profitetur etiam meus Dominus frater Anhuſanus Abbas, quem, cum famulis & equis, longo tempore perhonorificè ſanè aluiſti: quod meminit ipſe ſæpe, & à me quoque voluit memorari.

Beneficentiæ gratia promptitudine geminatur, teſte D. Gregorio Nazianzeno. Et, vt inter hoſpitij laudes requirit Poeta, tunc gratia ſumma accedit, quando dici poteſt: *ſuper omnia vultus Acceſſêre boni.* Quamobrem Sapientis monitũ eſt: [a] *In omni dato hilarem fac vultũ tuum.* Quin & ipſe [b] *hilarem*

a. Eccli. 35. 11. b. 2. Cor. 9. 7.

tem datorem diligit Deus. Vnde & tua Paternitas meritò talis Prælatus est, qualem Apostol⁹ requirit,[a] *Qui præsit in solicitudine* simul, & *qui miseretur in hilaritate.* Nemo exulum ad te venientium te tristem vidit: promptum omnes, quotquot venerunt. Nuncquid promptum, cùm nõ modò hospitalis fueris in tuos tuiq; isti⁹ Ordinis antiquissimi, & florentissimi Religiosos, sed etiã illos hospitio benignè inuitâris, qui propter familiaritatem tibi minimè noti, neque eiusdem regulæ professione coniuncti erant?

Inter hos ego fui, cui, etsi alibi mihi liberale hospitium prouidit diuina bonitas, ne quidquam tamen deesset, amplissima tua beneuolentia, & libros è bibliotheca sua, & amictum ex arca vestiaria, & quidquid deniq; necessarium erat, ex Monasterio suo vltro, ac petere nõ audenti obtulit, itaq; sæpius me immerentem tractauit, vt à meis Patribus Fratribusq; plus expectare non potuissem. Quã adeò insignem cha-

a. Rom. 12. 8.

ritatem, atque prorsus illustrem liberalitatem, tot iam annis, ad hunc vsq; diem, etiam in absentem continuas, & humanissimis litteris litteras meas fouens, & munificentissimis donis Musas meas alēs. Debeo proinde Paternitati tuæ, quod Horatius Mecœnati, quod Augusto Virgilius; quod Patrono cliens. Si ergo *beneficentiæ gratia promptitudine geminatur*, quàm multipex erit meum debitum, cùm Paternitas tua & hilari vultu, & liberali manu me toties obligârit, atq; ea ipsa beneficia in Domino fratre meo Carolo geminârit?

Quanquam quid duos nomino duntaxat? Quotquot de Societate nostra, ex vuersis Prouincijs, Salisburgo transeunt, hospitalitatem atque liberalitatem tuam mirificè experiuntur & prædicant; aiuntque, te, ante Dei tribunal, verè dicturum, [a] *Foris non mansit peregrinus, ostium meũ viatori patuit*; immò Christum ipsum dicturũ: [b] *Hospes erã, & collegisti me.* Nã [c] id ita esse

a. Iob. 31. 32. b. Matth. 25. 35. c. Sigeber. in Chron. & Plat. in vita Leonis IX.

osten-

ostendit in Leone IX. Pontifice, sub annũ 1048. Qui, vt Sigebertus & Platina scribunt, effusus in pauperes & peregrinos, leprosum, ante ædes suas inuentum, in lecto suo collocari iussit, ac manè, die altero, quæsitum non inuenit. Creditum est igitur, Christum ipsum pauperis formâ susceptum fuisse, atque in tam misericordis Pontificis lecto decumbere voluisse. Quẽ admodũ & voluit, [a] simili habitu, ad D. Gregorij Papæ, pauperes hospitio & dapibus excipere soliti, mensam, aliquando accumbere. Certè, vt ad hanc virtutẽ homines excitet S. Ambrosius ait: [b] *Quî scis, an Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abrahã, dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque Angelos eius suscepit hospitio. Quamuis & , cùm hospitem suscipis , Deum suscipis. Sic enim scriptum in Euangelio legis, dicente Domino IESV: Hospes eram, & collegistis me. quod enim vni horum minimorum feciſtis, mihi feciſtis.*

a. Io. Diac. in vita S. Greg. l. 2. c. 21. & 23.
b. lib. de Abraham. c. 5.

Quæ non recenseo, vt hortator, sed vt demonstrem, quid nos Paternitati tuæ debeamus, si apud Deum ista commeretur, tanquam vera & genuina Abrahæ, Loti, D. Benedicti, & eorum, qui in primitiua Ecclesia hospitalitatem, in summis curishabuerunt, imitatrix. Si Pachomium Ethnicum, in castris Licinij Imperatoris, militantem visa Christianorum Thebanorum, in commilitones suos, hospitalitas & charitas, ad Christi religionem traxit, plus quàm ferreus sim, si me meosq; fratres tam magneticus Paternitatis tuæ amor non itidem trahat.

Quamuis & alia quàm plurima sunt, quæ etiam rapere possint; & profectò multos iam tum rapuerunt, quando Vtenburani monasterij Prior, prudentia, mansuetudine, pietate, doctrina, ingenioq;, alijs, tamquam Phosphorus, præluxisti. Vt autem radios longiùs diffunderes, Deo Duce, ad Salisburgensem Academiam vocatus es, vt ibi, ex clarissimo Professore Rector; ex sapientissimo Rectore celeberrim⁹

Ab-

Abbas monasterij; consiliarius Archiepiscopi ac Principis; Assistens perpetuus Vniuersitatis; Ordinis tui, per Diœcesin Salisburgensem, Visitator; tandemq; nouæ erectæ Congregationis Benedictinæ primus Præsidens fieres. Quibus omnibus in officijs, quæ quantaq; gesseris, vidit Salisburgum, audiuit Germania, leget olim totus Mundus; qui vtiq; in te agnoscet eruditionis thesaurum, œconomiæ regulam, disciplinæ exemplar, fontem consiliorum, solidæq; virtutis ideam, & meritò inter prima Benedictinæ famliæ sidera, te numerabit. Ego vnam de multis perstrinxi virtutem; si singulas vellem stilo complecti, ex epistola volumen facturus essem: quod Paternitatem tuam nolle, scio. Hinc finio, & omnia fausta precor. Ingolstadij. Anno Christi. 1645. 17. Augusti.

R.mæ P.tis T.uæ.

Seruus in Christo

GEORGIVS STENGELIVS
Societatis IESV.

PRÆFATIO.

HOmine dignissima occupatio est, consideratio Mundi. Ea enim & intelligenti maximè conuenit, & vtilissima est cupienti venire ad veritatem. Clarè in hac vita, Deum nemo intuetur: per vestigia itaque est indagandus. *Inuisibilia enim ipsius à creatura Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* *Inuisibilia* sunt, æternitas, immensitas, bonitas, æquitas, scientia & prouidentia Dei: *virtus* est omnipotentia, qua tanquam caussa rerum efficiens Mundum produxit, & huc vsque sapientissimè, benignissimè, iustissimè gubernauit. *Diuinitas* est ipsa Dei essentia & maiestas, velut primi ac perfectissimi entis, à quo omnia pendent, vt summo Effectore; ad quem omnia tendunt, vt ad supremum bonum atque vltimum finem, gratiarum actione, precibus, votis, sacrificijs, maximè colendum. Siquidem *à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri*, dum ex ijs, quæ facta oculus corporis videt, mens ad ipsum factorem ratiocinatione ascendit, colligitq;, natu-

Rom. 1. 20.

Sapi. 13. 5.

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1.

naturali etiam lumine, Deum esse vnum, esse liberum, habere prouidentiam, circa singulos, & circa vniuersos. Vnde & Trismegistus dixit, *Mundum* esse *librum diuinitatis, & speculum diuinorum.* S. Dionys. c. 7. de diuin. nom.

In hoc libro studere, hominis & officium, & labor est. *Vidi afflictionem, quam dedit Deus filijs hominum, vt distendantur in ea. Cũcta fecit bona, in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum.* Sed non perinde omnes disputauerunt. Sicut iaculatores quidam scopum sagittis tangunt, quidam ne oculo quidam rectè destinant; ita nonnulli, *per ea, quæ facta sunt*, factorem cognoscunt; alij in reprobum sensum dati, deserta veræ rationis via, longissimè aberrauerunt. *Ita vt sint inexcusabiles. Quia, cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt* (Conditorì pro Mundi fabrica, suiq; ac rerum omnium ad suum vsum creatione, conseruatione, iustissimoq; regimine) *sed euanuerunt, in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorũ: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt:* adeò vt Simon, Menander, Cerinthus, Saturniani, Valentiniani, Archontici, Mundum à Deo factum Eccles. 3. 10. Rom. 1. 21. Vide Iacobum Sirmondum in Prædestinato.

lib. 1. de hæresibus.

ctum negârint; Priscilliani autem à maligno Principe fabricatum affirmârint, ob tot mala scilicet, quæ viderunt in eo contingere. Veteres autem illi, de quibus D. Paulus loquitur, etiam *mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Siquidem, teste S. Aguſtino, aues, serpentes, feles, crocodilos; immò allia, porros, & herbas; quin & Stercutium, Cloacinam, Pestem, Febrem, & longè absurdiora, Numinum loco, habuerunt; in sole cæcutientes, more noctuarum.

S. Augustin. lib. 3. de ciuit. c. 12. & lib. 4. c. 10. & lib. 18 c 15

Eph. 5. 6. 9. Tim. 6. 11.

Aquilas imitati sapientes, *vt filij lucis ambulauerunt*, atque vel ex vmbris etiam eum deprehenderunt, qui *lucem habitat inaccessibilem.* Nam vel Orpheus hoc oraculum fudit: *Mundi machina est musica, & admirabilis consonantia, prædicans & laudans Deum.* Nec aliud fuit illa musica cælorũ, quam Pythagoras prædicauit; cuius illa sunt:

Ouid. lib. 15. Metam.

Magna, nec ingenijs inuestigata priorum,
Quæq; diu latuêre, canã. iuuat ire per alta
Astra, iuuat terris, & inerti sede relicta,
Nube vehi, validiq; humeris insistere Atlãtis: Palan-

Palantesq3 homines passim, ac rationis egentes
Despectare procul, trepidosq3, obitumq3 timentes
Sic exhortari, seriemq3 euoluere fati.

Sed multò profundiùs in Dei arcana penetrauit Ezechiel, qui & gloriam Dei, & hominum Dei iram prouocantium idola vt, velut ex alto, contemplaretur, sublimis ductus est. *Et emissa similitudo manus*, inquit, *apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me spiritus inter terram & cælum.* Ezechie. 8. 3.

Dauid quoque, siue pluuiæ caderent, siue plantas vrerent pruinæ, siue etiam fulgura præmicarent, semper dixit: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Psal. 18. 1.

Et Philo. *Dei templum*, ait, *alterum summum verumq3 existimandũ est, Mundus scilicet hic vniuersus, cuius sacrarium sit cælum, qui tota rerum natura præstantissimus; donaria verò sint sidera; sacerdotes & aditui sint potestates Angelicæ, ratione sinceritatis vnitati similes. alterum verò templum est manufactum.* Phil. de vnit. Dei.

Consonat Prosper, his verbis: *Quod est testimonium, quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate, ac potestate conticuit; nisi ipsa totius Mun-* Prosper. lib. 2. de vocat. Gent, c. 1.

qui liber malè ascribitur S. Ambrosio.

Mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio? per quam humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, & voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur. Cælum ergo, mare, terra, & omnia quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisq; concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur auctoris, & tamen maximus hominũ numerus hanc vocem non intellexit. Intellexit autem S. Antonius, intellexit Paulus simplex, intellexit Hilarion; intellexit Augustinus, cùm diceret, *Cœli & terra clamant, Domine, vt amemus te. Fecisti nos, Domine ad te, & inquietũ est cor nostrum, donec requiescat in te.* Intellexit & humilis S. Franciscus, & S. Benedictus, de quo S. Gregorius hæc habet: *Alio quoque tempore Seruandus Diaconus atque Abbas eius monasterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quondam Patritio fuerat constructum, ad eum visitationis gratia, ex more, venire consueuerat. Eius quippe monasterium frequentabat, vt, quia idem quoque vir doctrina gratiæ cælestis influebat, dulcia sibi inuicem vitæ verba trans-*

S. Athanas. in vita Antonij. S. Augustin. l. 1. confess. c. 1.

S. Gregor. lib. 2. dial. c. 35.

transfunderent, & suauem cibum cœlestis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumq; hora iam quietis exigeret, in cuius turris superioribus se venerabilis Benedictus, in eius quoque inferioribus se Seruandus Diaconus collocauit, quo videlicet in loca inferiora ad superiora peruius continuabat ascensus. Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusq; discipuli quiescebant. Cumq; vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigilijs nocturnæ orationis tempore peruenisset, ad fenestram stans, & omnipotentem Deum deprecans, subitò, intempesta noctis hora, respiciens, vidit factam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantóq; splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde, in hac speculatione, secuta est: quia sicut pòst ipse narrauit, omnis etiam Mundus, velut sub vno solis radio, collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam, in sphæra ignea, ab angelis, in cælum ferri. Tunc tanti sibi testẽ volens adhibere miraculi, Seruandum Diaconum iterato bis,

bis, terq; eius nomine, cum clamoris magnitudine, vocauit. Cumq; ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemq; iam lucis exiguam vidit. Nempe, vt in cælo, vnus beatorum, altero clariùs Deum à facie in faciem intuetur; ita & in terris, dispares oculi, non eadem claritate, diuinam iustitiam & bonitatem, in hoc Mundo, & eius Partibus deprehendunt. Digitum igitur intendere necesse est,

vt videant mortales, quid sit, in Mundo atque eius Partibus, videndum.

MVNDVS,
&
MVNDI PARTES, DIVINÆ BONITATIS AC IVSTITIAE PRAECONES.

CAPVT I.

Diuinam Bonitatem pariter iuſtam, & Iuſtitiam, etiam cùm punit, ſimul bonam eſſe.

§. I.

Bonitatis & Iuſtitiæ, in operibus Dei, arcta coniunctio.

QVI DEVM, in Mundo, eſſe credit, ſi verè credit omnipotentem, rebus omnibus præſentem, omnia prouidentem, omnia gubernantem; non tantùm ſummè beneficum, & hominum bonorum amantem, ſed etiam maximè juſtum, atque ſceleribus iraſcentem eſſe, neceſſe eſt, vt fateatur. Quod alio loco docuimus; & docet Regius Propheta, dum ait: *Miſericordiam, & judicium cantabo tibi.* Hæc vtraque ſimul & cantanda DEO, & hominibus inculcanda ſunt; quia non ſolùm, in illo Ente ſimplicif-

L. 1. cap. 8. de diuin. judicijs. Pſ. 100. 1.

plicissimo, vnum sunt; sed etiam, quando erga mortales sese, diuersis operibus, exerunt, non separantur. Miseretur enim pariter juste DEVS, & misericorditer judicat, plectitque. Vsq; adeò, vt etiam nocentissimos quosque minùs puniat, quàm puniri mereantur. Hoc est, quod Habacuc paradoxè, sed verè prædicat: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Hoc Dauid affirmat; docens enim, ex omnibus DEI operibus, misericordiam & justitiam elucere, ait:

Habac. 3. 2.

Ps 24. 10. *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Cui assonat Cassiodorus, ita scribens; *Potestas Domini semper aut miseretur, aut judicat. Sed neq; misericordia ipsius, sine judicio; neque judicium, sine misericordia reperitur. Vtraque enim se mutua societate coniungunt.* Hæc est pulcherrima, in simplicissimo Numine, mixtura, vt vna virtus alteram commendet; & vtrinque suus fructus existat, ac decor.

Cassiodor. in Psal. 100.

Iob. 1. 21. Quapropter justus Iob, & benefacientem DEVM, & verberantem expertus, in vtraq; fortuna, diuinam dilaudauit bonitatem; &, quemadmodum no exorbitauit, in prosperis, ita neq; in aduersis, voluit cœlo formulam intendere.

§. II.

§. II.

Nullam Rempublicam, sine concordia; nec concordiam, sine iustitia consistere. Cic. lib. 2. de Rep.

Vt in fidibus, ac tibijs, atq; cantu ipso, ac vocibus, inquit Tullius, *concentus est quidam tenendus, ex distinctis sonis, isq; concentus, ex dissimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur, & conoruens: sic summis, & infimis, & medijs interiectis ordinibus, vt sonis, moderata ratione ciuitas, consensu dissimillimorum, consistit: & quæ harmonia à Musicis dicitur, in cantu, ea est in ciuitate concordia, quæ, sine iustitia, nullo pacto esse potest.* Parí pacto prisci mortales scripserunt, & *docuerunt, absq; justitia, Principatum gerere, ne Iouem quidem ipsum posse.* Plutarch. lib. de doctr. Princip.

§. III.

Iustitiam atq; religionem, sine metu; metum sine Dei ira, non custoditi.

Quod si religio tolli non potest, inquit Lactantius, *vt & sapientiam, quâ distamus à beluis, & justitiam retineamus, quâ communis vita sit tutior: quomodo religio ipsa sine metu teneri ac custodiri potest? Quod enim non metuitur, contemnitur: quod contemnitur, vtiq; non colitur. ita fit, vt religio, & maiestas, & honor metu constet; metus autem non est, vbi* Lactant. lib. de ira Dei. ca. 8.

nullus irascitur. Sine igitur gratiam Deo, sine iram, sine vtrumq; detraxeris; religionem tolli necesse est: sine qua, vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur. Multùm enim refrænat homines conscientia, si credamus nos, in conspectu Dei, viuere: si non tantùm, quæ gerimus, videri desuper, sed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri à Deo putemus. Sicut ergo fundamentum est, & primus religionis gradus, *Credere Deum, vbiq; præsentem*; sicut alter gradus est, *Credere non modò præsentem, sed etiam omnia videntem, & prouidentem, suosq; neq; in ijs, quæ ad vitam, neq; quæ ad famam, neque quæ ad pacem, neq; quæ ad salutem pertinent* (quæ omnia ingentem in hominibus spem ædificant) *destituentem*, ita necesse est, *credere, eiusdem justitiam atq; iram* sceleribus humanis imminentem, vt fructuosè metuamus.

§ IV.

Iræ diuinæ æquitatem ab alijs perniciosè ignorari; ab alijs vtiliter agnosci.

Hîc ergo rursus quorundam improborum scopulus est, quem recta sapientes, cũ laude & lucro, declinant. Nam mali, cùm mala vident, in orbe, quæ meruerunt, vel casu ea euenire, vel immerentibus immitti arbi-

arbitrantur. Quare naufragium faciunt, quia nõ aspiciunt ad diuinæ justitiæ cynosuram. Hoc est, quod velut optando prædicit Propheta: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Ps. 68. 24. Non enim vident, se, quia mali sunt, malacommeruisse. *Curuum pecus,* cuius dorsum, dum in terram arcuatur, oculi quoq; deorsum declinati nequeunt sursum, atque eaquæ de cœlo veniunt, intueri. Hinc feriri se sentiunt, puniri non animaduertunt. Hinc plagam aspiciunt, pœnam non agnoscunt. Quid fiat, non cur fiat, considerant. Hinc murmurant, vt peccatum suum impatientiâ cumulent. Quapropter ibidem dicitur: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam;* nõ enim digni sunt videre justitiæ diuinæ arcana, vt, dum puniuntur, Deo dent gloriam, eúmque, de æquitate laudent, qui vitam suam mille sceleribus refertam, volunt jactare, nolunt emendare. Bonis autem omnia cooperantur in bonũ. Vnde, etiam in ipsis malis, Deum agnoscunt bonum esse. Bonus enim est, qui plectit ad momentum, vt parcat in æternũ. Hæc judicia illius sunt; hoc regnũ est eius, quod in hoc mundo, neque sine supplicijs,

neque sine præmijs consistit; sive enim miserando succurrit, sive irascendo plectit, semper regnat DEVS, regitque & sperantes metu, ne præsumant; & metuentes spe, ne deficiant, animúmque despondeant.

§. IV.

Spe & metu simul mortales esse in officio continendos.

S. Augustin. tract. 33 in Euang.

Fructum eundem enucleatiùs ostendit D. Augustinus, his verbis. *Ex utroq; homines periclitantur, & sperando, & desperando: contrarijs rebus, contrarijs affectionibus. Sperando quis decipitur; qui dicit: bonus est Deus, misericors est Deus, faciam, quod mihi placet, quod lubet; laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ. Quare hoc? quia misericors est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem qui, cum inciderint in gnauia peccata, putantes sibi iam non posse ignosci pœnitentibus, & statuentes, se ad damnationem, sine dubio, esse destinatos, dicunt, apud semetipsos: iam damnandi sumus; quare non, quod volumus, facimus? animo gladiatorum ferro destinatorum. ideò molesti sunt destinati, iam enim, quod timeant, non habent, & vehementer timendi sunt. Istos desperatio necat, spes illos; inter spem & desperatio-*

rationem, fluctuat animus? Metuendum est, ne te occidit spes: &, cùm multùm speras de misericordia, incidas in inuidiam. Metuendum est rursus, ne te occidat desperatio; & cùm putas, iam tibi non ignoscì, quæ grauia commisisti, non agas pœnitentiam, & incurras in judicem sapientiam, quæ dicit: Et ego vestræ perditioni superridebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus vtroque morbo? illis, qui spe periclitantur, hoc dicit: Ne tardes conuerti Eccl. 5.
ad Dominum, neq; differas de die in diem subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Illis, qui desperatione periclitantur, quid dicit? In quacunq; die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar. Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: propter illos, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Inter spem & metum ergo viuimus, vt vtrinque vtrumq; conseruetur. Metus facit, ne spes erumpat in temeritatem: spes cauet, ne metus degeneret in desperationem. Spem porrò incendunt judicia diuinæ miserationis: metum injiciunt cœlestis iræ, justitiæq; exempla. Sic homo in æquilibrio incedit, & medio tutissimus it ad æternitatem. Ezech. 28.

§. VI.

Quàm malè Marcion, & Marcionita negauerit, Deo conuenire, vt reos plectat?

Vnde clarum fit, quàm grauiter hallucinatus sit Marcionita ille, qui idcircò bonitatē DEO abrogabat, quia videbat, ab illo plecti delinquentes: quē proinde D. Chrysostomus meritò prolixè castigat. Qua in hæresi etiam ipse Marcion fuit, qui DEVM à Creatore distinguebat, quòd hic, non ille plecteret, atque idcircò bonus non esset, *immobilem*, vt ait Tertullianus, *ac stupentem Deum, consiliario Epicuro, commentus; cùm tamen certum sit*, vt idem addit, *Deum non aliàs plenè bonum fore, nisi mali sit amulus; vti boni amorem odio mali exerceat, & boni tutelam expugnatione mali impleat. Quis enim boni actor, nisi & exactor?* Philippum Herodis Antipæ fratrem, qui præfuit 30. annis Trachonitidi, refert Iosephus, quoties domo progrederetur, iter cum paucis selectis fecisse comitibus, subsequente sella, in qua jus reddere solebat; ac, si quis ex occursu opem eius imploraret, sine dilatione, mox, sellâ posita, residentem caussas cognouisse, aut sontes damnaturum, aut absoluturum innoxios. Ad eundem modum

S. Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Philem.

Tertull. lib. 1. contra Marcion. cap. 25. Ibid. cap. 26.

Ioseph. lib. 18. cap. 16.

DEVS

DEVS *parauit in judicio thronum suum*; neq; enim aliter tueretur innocentes, aut impios à sceleribus auerteret, quàm hac *ægrotantium animarum diæta*, vt ait Clemens Alexandrinus. Psal. 9. 8. Clem. Alex. 1 Pædog. c. 8.

§. VII.

Diuinæ justitiæ pœnam vtilem esse, non tantùm ferenti, sed etiam facienti injuriam; seu reo, qui punitur.

Itaque non tantùm bona est diuina justitia injuriam patienti, sed etiam ipsi injuriarum authori, quem vel sanat, vel coërcet, ne magis insaniat. Est enim beneficium, alterum ab insania cohibere, & obstare, ne magis insaniat. Theodoreto teste, Iulianus Orientis præfectus, jussu Iuliani apostatæ, cum alijs, templum Christianorum; ad sacra vasa diripienda, ingressus, sacrilegâ, petulantiâ, aduersus sacram aram, instar canis, minxit: Euzoio insuper eum ab impudenti facto prohibere conanti excussissimũ colaphum infregit, dicens: *Res Christianorũ diuina cura ac prouidentia prorsus esse destitutas.* Hæc illi impietas non diu impunita fuit. sensit illico, se in vindictam DEI, velut vespertilionem in obuium ensem, incurrisse. Nam confestim graui morbo correptus, Theodoret. part. 3. hist. Eccl. cap. 11. & 12.

visceribus putredine exesis, pœnas meritas luit. Stercus nõ per naturales corporis partes egerebat, sed per sceleratum os blasphemiæ instrumentum. Cui vxor, quæ Christiana erat: *Debes meritò mi vir*, inquit, *Christum Saluatorem laude prædicare, quòd tibi hac castigatione potẽtiam suam ostenderit. Nã, quem oppugnasses, planè te peremisset, nisi consueta sua lenitate vsus, has plagas diuinitus tibi inflixisset.* Miser, aut coniugis oratione, aut potiùs cruciatu morbi, quo liberari cupiebat, adactus, Imperatorem rogare cœpit, vt Ecclesiæ ablata redderet. Quod tamen silicem in pectore gerenti ægrotus orator non persuasit. Ita iuit ad plures, postquam ictus cœpit sapere. Vtinã didicisset sapere ad sobrietatẽ, neq; pl⁹ morbo suo, quàm Dei offensâ doluisset! expertus profectò esset, se morbo sanatũ; sine morbo, insanum extitisse.

§. VIII.

Castigationes diuinas, tanquam ab amante, non persequente Deo, suscipiendas esse.

Quãmobrem rectè Tertullianus tradit, omnia Dei plectentis opera, esse bonitatis procurationem, itemq; justitiam ac bonitatem Dei indissociabiliter semper fuisse sosociatas. *Quomodo non absurdum fuerit*, inquit

Tertull. li. 2. cõtr. Marc. ca. 12. vsque

quit Theodoretus, *litteratorem quidem, qui, ad tempus, pueros cadit, & ferulâ ignauiæ torporem excutiens loris, firmam litterarum memoriam infigit, collaudare; & medico gratias agere, non modò, cùm cibum potúmq; laboranti præbet, verùm etiam, cùm secat, vrit, & morbo se hostiliter opponit, ne ille auctus vlteriùs serpat, prohibens: Deum vero, qui, longè vberiori sapientia, & diligentiori cura animarum salutis prospicit, & bonorum largitione, flagrorúmque metu virtutis elementa nos edocet, ac malitiæ morbum radicitus euellit, solidámq; animæ salutẽ operatur, blasphemijs ac cõuicijs proscindere?* Vt ergo percussio Magistr, ivt sectio Medici, non malitiã, sed peritiam Magistri Mediciue ostendit; ita neq; illa, quę vulgò mala putantur, sunt à malo, sed à bono DEO, qui, *quos amat, arguit & castigat*, ac ob id ipsum vicissim est amandus; vt vel Plato agnouit, quem idcirco Iræneus Marcionitis religiosiorem esse pronunciauit. Potuisset dicere etiam quibusdã Catholicis esse religiosiorem; qui, cùm in trãquillo non sunt, mala, quæ patiuntur, nõ amori, sed odio diuino ascribunt; aiunt enim, *se, Deo irato suo, negotium aggressos; Numini exosos esse, superisq; omnibus inuisos*, quando aduersi aliquid perpetiun-

ad 18. Theodoret. serm. 5. de Prouid.

Apocal. 19. 3. Platò lib. 4. de Legib. vide Eugubin. li. 5. de perẽni Philosoph. c. 8. Iræn. part. 3. cap. 45.

petiuntur; sententiâ prorsus diuinis litteris aduersâ, cùm, in illis, *beati*, vocẽtur, *qui propter justitiam, persecutionẽ patiuntur*; & charissimi DEO dicantur, *in Mundo, pressuram* habituri. Quod si perdenderent isti, minùs multò audacter quiritarent, quàm nunc quiritant, & linguam ad suos potiùs mores diuerterent, quàm ad accusandam diuinam bonitatem.

Matth. 5. 10.
Ioan. 16. 33.

CAPVT. II.

Pleraque, quæ vulgò mala dicuntur, bona esse; aut in bonum vsum, posse adhiberi.

§. I.

Cùm decuerit, Deum rerum naturis vim non inferre, multa inde necessariò existere, quæ mala putantur.

AD communem Mundi Gubernatorem pertinet, eâdem lege, eadámq; naturæ conditione, vti erga omnes, vt dici possit: *Rex Iuppiter omnibus idem*. Necesse igitur fuit, vt ignis vim vrendi æquè, ac lucendi; & omne corpus, ex elementis conflatũ, perinde interitum suũ, ac ortum haberet; neque ea, quæ ad rerum generationem atq; corruptionem spectant,

pro-

prohiberẽtur. Hinc morbi, mortes, & multa, quæ mala vocantur, intercurrunt: quæ quando rerum naturis conuenienter condidit DEVS, non vtiq; iratus fuit, cùm non haberet, cui iraſceretur. Vt ſol omnibus lucem circũferret, moueri debuit; ſi moueri, occumbere. Nec enim rurſus oriri poſſet, ſi non occũberet. Quare neceſſaria eſt noctis & diei viciſſitudo. Nec homines hominibus, in officijs, in regnis, poteſtate ſuccederent; ſi non decederent, qui ea priùs habuêre.

§. II.

Ea ipſa, quæ naturæ mala cenſentur, bonis in bonum prouenire.

Per hæc, æterna ſapientia ita Mundum gubernandum iudicauit, vt quæ malis mala ſunt, quia ipſi neſciunt vti, ea bonis bona fiant; & hinc iſti viuant, *ſicut lilium inter ſpinas*; illi, ſicut aſinus inter apes. Hac de cauſſa Gentes ita alloquitur Tertullianus: *Qui ſemel* (DEVS) *æternum iudicium deſtinauit, poſt ſeculi finem, non præcipitat diſcretionem, quæ eſt conditio iudicij, ante ſeculi finem. Æqualis eſt interim, ſuper omne hominum genus, & indulgens & increpitans. Communia voluit eſſe & commoda profanis, & incommoda ſuis; vt pari conſortio omnes & lenita-*

Cant. 2. 2.

Tertull. in Apologet. adueſus Gent. cap. 41.

nitatem eius, & seueritatem experiremur: quia æquitatem didicimus, apud ipsum, diligimus lenitatem, metuimus seueritatem. Vos (Gentes) *contrà, vtramq; despicitis: & sequitur, vt omnes seculi plagæ nobis, si forte in admonitionem, vobis in castigationem, à Deo obueniant. Atqui nos nullo modo lædimur: inprimis quia nihil nostra refert, in hoc æuo, nisi de eo, quàm celeriter, excedere. Dehinc, quia si quid aduersi infligitur, vestris meritis deputatur. Sed etsi aliqua nos quoq; perstringunt, vt vobis cohærentes; lætamur magis, recognitione diuinarum prædicationum, confirmantium scilicet fiduciam & fidem spei nostræ.* Sunt enim quasi arrha, aut diuinæ amicitiæ symbolum, quæcunque nos inuitant, immo, tanquam calcaria, incitant, vt ad melioris vitæ braui̇um alacriùs decurramus.

§. III.

Bona malis nocere, mala bonis prodesse, atq; hoc pacto bona fieri.

Non igitur mala sunt, quæ mala vulgò censentur, nisi malis; quibus ipsa bona nocent, non tamen idcirco in malis numeranda. Vis videre, quo modo bona malis noceant? Aristotelem audi. *Vt homo*, inquit, *perfectionem nactus, animantium est optimus*

Aristot. li. 1. Polit. cap. 2.

rimus; sic cùm à lege iustitiaq; discessit, omnium pessimus habetur: importunissima est enim armata iniustitia. At homo prudentia & virtute (hoc est, solertia in rebus agendis, & potestate, operandi) *armatus est à natura, quibus maximè potest in res contrarias vti. Itaque impiè nefarius, atq; immanissimus, absq; virtute,* (vera & morali) *fit, & in venerem, & gulam turpissimus.* Quis ingenium acre, rem malam vocet, quia eo male vtitur Sinon, aut Vlysses? In se bona, semper manent, nisi fine, & vsu contagium trahant: non tamen idcirco nomen mutant. Quare neque illa debent *malorum* nomine damnari, quæ fine & vsu sunt optima: neque ea bona nimium adorari, quæ, cùm scopo & vsu soleant pessimos facere, tamen sunt in summa, apud mortales, æstimatione, & fere sola bona nominari consueuerũt. Si tamen, etiam in his ipsis bonis dignoscendis, non errant. Quemadmodũ enim in speculis, quę dextera sunt, sinistra; & quę sinistra, dextera apparent; & nauigantibus rates stare, littora ambulare videntur; ita ijs, qui pertersò sunt iudicio, mens vertigine titubat, & amantis DEI beneficia titulo *malorum* infamat. Quidquid à DEO est, bonum est,

quia

quia ipse bonus: si quid malum esse incipit, à nobis incipit bonis malè vtentibus. Paupertatem, inopiam matrimonium rixosum, morbos, mortem, mala vocas? Iniuriam facis: non enim sunt mala, quæ faciunt bonos, aut malis nos eripiunt. Repete veteres memorias, & inuenies plures, quos egestas ad moderationem, conuicia ad patientiam, inualetudo ad frugem reduxit. In tuummet sinum inspice, & cogita, quoties te angustiæ, curæ, dolores refrænârint in præcipitia ruentem? quoties ad DEVM adegerint trepidantem? An illa mala esse arbitraris, à quibus, à vitæ licentia, fuisti retractus, & ductus ad salutis fontem? Noli ergo, malorum nomine, res tibi tam bonas deuenustare. Quis agricola, sarculum, aratrum, stiuam, mala vocat? Sunt tamen illa laboris instrumentum, & fatigant illum. At sine illis, vt non serit, ita nec metit.

§. IV.

A mundo excæcatos secundùm faciem iudicare, non secundùm veritatem.

Fortunæ mancipia nominum ludibrijs pascuntur, &, inter summa bona, nominant res nocituras. Qui mente carent, apud eos

eos fulgor externꝰ primas partes agit. Charius illis eſt plumbũ inauratũ, quàm plumbo incluſum aurum. Mũdus ſuſpicit captos cupiditatibus Reges, qui, catenatæ inſtar ſimiæ, in purpura circumducuntur. Cõmunis hic eſt error: perfunctoriè pretia æſtimantur. & pluris fit, quod apparet, quàm quod eſt in receſſu. Ideò & gemmæ negliguntur, quãdo nõ ſunt ita politę, vt ſplẽdeant. Longè alia eſſent judicia, ſi, detractis laruis, quæ latent, inſpicerentur; nemo adoraret Charetis pollicitationes; nemo crucis theſauros contemneret (qui profanis oculis nõ oſtenduntur) ſi lynx eſſet; immò niſi talpa eſſet. Nam multi *oculos habent, & non vident*, quid vel Mundus, vel DEVS condat. Pſ. 113. 13.

§. V.

Socratis exterior vultus, & interior virtus, cum Silenis comparantur.

Alcibiades, apud Platonẽ, Socratis encomium dicturus, eũ Silenis ſimilẽ facit, quòd is multò alius eſſet propiùs intuenti, quàm ſummo habitu ſpeciéq; videretur. Quem, ſi de ſumma, quod dici ſolet, cute quis æſtimaſſet, nõ emiſſet aſſe. Facies erat ruſticana; taurinus aſpectus; nares ſimæ, mucoq́; plenę. Sannionem quempiam, bardum, ac ſtupidũ Plato in Cõuiuio. Eraſm. Chil. 3. Cent. 3.

dixisses. Cultus neglectus, sermo simplex ac plebeius, & humilis, vt qui semper aurigas, cerdones, fullones, & fabros haberet in ore. Nam hinc ferè sumebat illas suas inductiones, quibus vrgebat in disputando. Fortunę tenuis vxor, qualē ne vilissimus quidē carbonarius ducere posset. Videbatur ineptus ad omnia Reipublicæ munia; adeò, vt, quodā die, nescio quid, apud populū, adorsus agere, cum risu sit explosus. Deniq; jocus ille perpetuus nōnullā habebat morionis speciem. Cùm, ea tēpestate, ad insaniā vsq;, ferueret, inter stultos, profitendi sapientiā ambitio, nec vnus esset Gorgias, qui, se nihil nescire, jactitaret, & ardelionib⁹ huiusmodi nusquā non referta essent omnia, solus hic homo, *vnū se scire, dictitabat, quòd nihil sciret.* Atqui, si Silenū hunc explicuisses, videlicet numen inuenisses potiùs, quàm hominē, animū ingentem, sublimem, ac verè Philosophicū, omniū rerū, pro quibus cæteri mortales currūt, nauigant, sudant, litigant, belligerantur, contemptorē; iniurijs omnibus superiorē, & in quē nullū omninò jus haberet fortuna, & vsq; adeò nihil timentem, vt mortem quoq; nulli non formidatam contempserit: in tātùm, vt cicutam eodē bibe-

rit

rit vultu, quo vinũ ſolet; vtq; iam moriens etiã in phædonem ſuũ jocaretur, & ſapiens oraculo, imò omnium mortaliũ ſapientiſſimus pronunciaretur.

§. VI.

Cur Socratem Alcibiades cum Silenis comparârit? eámq; comparationem, in multas alias res competere.

Hunc talem, facie vilem, pectore incomparabilem, Alcibiades cum Silenis idcirco cõtulit; quia olim Sileni ſtatuæ ſectiles fuerunt, & ita concinnatæ, vt diduci & explicari poſſent. Clauſæ ridiculam ac monſtroſam tibicinis ſpeciẽ habebant: apertæ ſubitò numen oſtendebant, vt artem ſculptoris gratiorem jocoſus faceret error. Imaginum autem iſtarum argumentum ſumptum erat à ridiculo illo Sileno Bacchi pædagogo, numinúmq; Poëticorum morione. Ita nimirũ non ſolùm multi hominum habitu, vultuq; longè minùs præ ſe ferunt, quàm in animo claudant; ſed quàm plurimæ res quoq; aliæ, in ſpeciẽ, & primâ, quod aiunt, fronte, malæ, viles, miſerabiles videntur, quæ tamen interiùs, ac propiùs contemplanti, atque re ipſa ſunt bonæ, pretioſæ, & admirabiles. *Quidquid, in omni genere rerum, præclarius eſt,*

id minùs in conspicuo est. In ipsa cognitione, semper germana rerum veritas altissimè latet, quæ nec facilè, nec à multis deprehenditur. crassum vulgus, quoniam præposterè judicat, nimirũ ex his, quæ maximè sensibus corporis obuia sunt, æstimans omnia, passim & labitur; & errat, ac falsis bonorũ & malorũ simulachris deluditur. In sumã, prima mundi lex est: QVÆRENDÆ FACVLTATES, DEINDE VIRTVS, cui è diametro oppositam tulit, qui dixit: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam eius.*

Matth. 6. 33.

§. VII.

Flagella, & cruces visu horridas, & malas sensu, in recessu, bonas atq; vtiles esse.

Hinc discipulis suis, & amicorum charissimis non promittit diuina sapientia fasces, non titulos honorũ, non chlamydes & tiaras, non aureos annulos, & montes, *& præcedentia longi agminis officia;* sed opprobria, sed flagella, sed persecutiones. *Tradent vos,* inquit, *in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides & Reges ducemini, propter me.* itémque: *Absq; Synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Et, in tẽpore, inibi, apositũ est: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.* Mũdus, & DEI scientiâ

Matth. 10. 17.

Ioan. 16. 2.

entiâ deſtitui ſcandalizantur; qui DEVM intus nôrunt, qui arcana judicia, conſiliaque DEI perſcrutati ſunt, in his rebus, ingentem agnoſcunt theſaurum latitare. *Verbum enim Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, ijs autẽ, qui ſalui fiũt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt. Scriptũ eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientiũ, & prudentiam prudentiũ reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi cõquiſitor huius ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiã huius mundi? Nã quia in Dei ſapiẽtia nõ cognouit Mũdus, per ſapientiã, Deum: placuit Deo, per ſtultitiã prædicationis, ſaluos facere credẽtes.* An nõ enim mũdo ſtultitia videtur, injurias, cõtumelias, dolores, calamitates vocare bona? & eos *beatos* pronũciare, *qui perſecutionẽ patiũtur?* Et tamen diuina ſapiẽtia ita loquitur, quæ etiã addit: *Beati eſtis, cũ maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ, aduerſum vos, mẽtientes, propter me: gaudete & exultate, quoniã merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Si bona eſt merces hæc, bon⁹ eſt labor, cui ea promittitur, quia vtilis ad eã promerendã. Eſt enim vtile quoddam vtiq; bonũ; & tantò maius bonũ, ſi vtile eſt ad ſumam beatitatẽ.

1. Cor. 1, 18

Matth. 5. 11.

§. VIII.

Cur Deus, cùm bonus ſit, mala eſſe, in Mundo, ſinat?

Ne-

Nemo dicat: si bonus est DEVS, cur mala permittit? cùm ea, quæ stulti mala putant, bona sint. Nemo dicat: vel potest DEVS facere, vt mundus careat ærumnis, & nõ vult facere; vel nõ potest miserias è terris remouere: si non potest, ergo ipse miser est, quia impotens; si potest, & non arcet, ergo inuidus, aut malignus. Potest omninò DEVS, ex exilio patriã, è Caucaso Paradisum, è terra cœlum facere; sed non vult, hoc ipso, quia optimus, & quia potẽtissimus est. Nam ea ipsa, quę mala putãtur, homini optima sunt, ideò ea vult homini, ex sua bonitate, DEVS: vt autẽ optima sint, infinitæ sapientiæ eius, potẽtia est: quæ vel inde est suspiciẽda, quia è malis potest bona facere; per labores ad quietẽ ducere; per dispẽdia corporis, animę lucrum procurare; deniq; per ærumnas, ducere ad verã felicitatem. Quis præmiũ meretur, sine labore? Quis *coronaretur, nisi legitimè certaret*? Diuina ars est, hominẽ premere in hac vita, vt ad alteram erigatur; absinthio terram reddere amarã, vt ad cœlestem anhelet suauitatem, atq; ad dulces illos fontes, vnde scaturit veræ *torrẽs voluptatis*. Denique, qui multis & grauibus huius æui malis vexatur, coniecturã discit facere, quæ, in

2. Tim. 2. 5.

Ps. 35. 9.

inferno,

inferno, futura sit vis tormentorũ. Ob has tales causas, si DEVS amicis suis mala imittit, nonne diligit? noñe vicissim & ipse diligẽdus est, & censendus bona potiùs, quàm mala procurauisse? ac, ob vigilantissimam hanc sollicitudinẽ, paternámq; prouidentiam, beneficus potiùs, quàm durus est appellandus? § IX.

Quæ malis, sua culpa, mala contingunt, ea, in diuinis oculis, tanquam ex justitia orta, esse bona.

Quod si quidam mala malè sustinent, quia ipsi mali, iam multò minùs id, quod malum judicant, Numini debẽt attribuere, sed sibi. *In judicijs, quæ de Deo retuli,* inquit Themistius, *nihil aliud magis elucet beatæ illius natura, quàm ipsa bonitas. Vnde & nomen illi fecimus, idq; tanquam omnium illustrissimum dignissimumq;. Quando & longi æui esse, & plures potentia superare, multis etiam animæ expertibus ineſſe cernimus. Caterùm Homerus hoc nõ rectè est opinatus, duo, in Iouis domo, dolia jacere, fatis plena, vnum bonis, alterum aduersis. Neq; enim malorũ, in cœlo, vllum est penu. Sed hinc illa huius dolij confusio, à luto nimirũ, terráq;, in qua versamur, nosq; illud implemus, & euacuamus; neq; puros fluere sinimus fontes il-* Themist. Orat. 16.

lorum cœlestium bonorũ, quæ assiduè, & indefatigabili animo suppeditat, vt Poëtis Philosophica ait, bonorum ille largitor, æquitatis promus, cui Iustitia, & recta lex assidẽt; cui Gratiæ: Euphrosynæ, Aglaia, & Thalia amabilis assistunt; cui omnes ab humanitate appellationes sunt attributæ; vt sunt placidus, amicus, hospitalis, supplicum præses, vrbiũ custos, SERVATOR. Quid aliud multis verbis vult Themistius dicere,

Osee.13.9. quàm, quod apud Oseã est, *Perditio tua, Israël, tantũmodo in me auxiliũ tuũ?* Poteras, eodẽ fine, missas à DEO cruces ferre, quo ipse eas vult ferri, & quo Sancti ferunt. Impatientiâ tuâ tibi crucẽ malã reddidisti. Porrò malis malè esse, quis indignè ferat? exedũt, quod sibimet intriuerũt. Et, si justitia bonũ quid est, pœna quoq; ipsa, quam justitia improbis infligit, bona erit; atq; ita efficitur, vt in impijs, in quibus aliud boni nihil est, saltẽ hoc diuinæ justitiæ bonũ inueniatur; quod, quando, sine emendatione eorum, irritum exit, est tamẽ alijs in exemplum, atq; hinc etiam bonum; quia malũ, quod in vno plectit, in altero impedit. Quanquam etiã sæpissimè è malis bonos facit, dũ pœnam tanquã à se promeritam, (atq; ibi, vbi sine errore æstimatur, hoc est, in conspectu altissimi,

bonam)

bonam)ſubire nõ detrectant. Grandia mala Dominus, per virum Dei, minatus erat Heli ſacerdoti: *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt nõ ſit ſenex, in domo tua, omnibus diebus. Et videbis æmulum tuum, in templo, in vniuerſis proſperis Iſraël, &c. vt deficiãt oculi tui, & tabeſcat anima tua, & pars magna domꝰ tuæ morietur, cùm ad virilem ætatẽ venerit. Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturũ eſt duobus filijs tuis, Ophni & Phinees, in die vno, morientur ambo.* 1. Reg. 2. 31. Hæc eadẽ confirmata ſunt, per Samuelem. Quid autẽ Heli reſpondit? *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.* Pluris fuit, *in oculis* Domini, bonum fuiſſe: licet, in oculis hominum, tanta congeries pœnarum mala eſſet. Ita mala pro malis recipiens patiẽter, bonus eſſe cœpit. Quid Deo poteſt eſſe magis glorioſum, quàm ex malis tot bona facere?

§. X.

Quo modo mala bonis bona ſint?

Enimuerò mala bonis bona eſſe, elegantiſſimè docet Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus. *Aiunt*, inquit, *à Deo omnia prætermitti, quia nec coërceat malos, nec tueatur bonos, & ideò in hoc ſæculo deteriorem admodum eſſe ſtatum meliorum: bonos quidem eſſe in paupertate,* Saluian. lib. 1. de vero judicio, & prouidẽtia Dei.

malos in abundantia: bonos in infirmitate, malos in fortitudine: bonos semper in luctu, malos semper in gaudio: bonos in miseria & abiectione, malos in prosperitate & dignitate. Primùm igitur ab ijs, qui hoc ita esse vel dolent, vel accusant, illud requiro de Sanctis, hoc est, de veris ac fidelibus Christianis, an de falsis & impostoribus doleant? si de falsis: superfluus dolor, qui malos doleant, non esse beatos. Cùm vtiq; quicunq; mali sunt, successu rerum deteriores fiant, gaudentes sibi nequitiæ studium bene succedere. Et ideò, vel ob hoc ipsum, miserrimi, esse debent; vel mali esse desistunt, vindicantes improbissimis quæstionibus nomẽ religionis, & præferentes ad sordidissimas negotiationes titulũ sanctitatis: quorum negotijs, si miseriæ comparentur, minùs sunt miseri, quàm merẽtur: quia, in quibuslibet miserijs constituti, non sunt tamen tã miseri, quàm mali. Nequaquam ergo pro his dolendum, quòd non sint diuites, ac beati: multò autẽ pro sanctis minùs: quia quamuis videantur ignorantibus esse miseri, tamen non possunt esse aliud, quàm beati. Superfluum autem est, vt eos quispiam, vel infirmitate, vel paupertate, vel alijs istiusmodi rebus existimet esse miseros, quibus se illi confidũt esse felices. Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suo. Et ideò non possunt, cuiusquam falso ju-

dicio,

dicio, esse miseri, qui sunt verè suâ conscientiâ beati, nulli enim, vt opinor, beatiores sunt, quàm qui ex sententiâ suâ atq; voto agunt. Humiles sunt religiosi? hoc volũt: pauperes sunt, pauperie delectãtur: sine ambitione? ambitum respuunt: inhonori sunt? honorem respuunt: lugent? lugere gestiunt: infirmi sunt? infirmitate lætatur; cùm enim, inquit Apostolus, infirmor, tũc potens sum. nec immeritò sic arbitratur, ad quem Deus ipse sic loquitur: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Nequaquam ergo nobis hæc dolenda est afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Itaq; quidquid illud fuerit, quicunq; verè religiosi sunt, beati esse, dicendi sunt, quia, inter quantumlibet aspera, nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt, quod volunt. Hæc ille.

§. XI.

Ab hominum impatientia cœlum & terram, & omnia Mundi elementa accusari; &, hac accusatione mundi Conditorem ipsum perstringi; qui tamen tam bonus est, vt doceat nos, & de peccatis bonum elicere.

Ex quibus huc vsq; dictis deducitur, à nemine Fortunam conditionémq; suam, aut cœlum accusari oportere, quasi malo astro

natus

natus sit. Præterquam enim, quòd plurima astris ascribantur falsò, ea tamen ipsa, quæ verè ijs attribuũtur, bona potiùs, quàm mala debẽt appellari; quod etiã de cęteris mũdi partibus est arbitrandum. Quemadmodũ enim sũt qui, prętermissa cæli magnitudine, velocitate, venustate, luce, splẽdore, vicissitudine, ornatu, benigno influxu, vsu siderũ ad nauigationes, ac multiplici vtilitate, Saturni rigorẽ, aut furorẽ sibi à Marte ingenitum accusant: ita etiã reperiũtur homines, qui iam ignẽ, iam aërem, iam aquas, iã ipsas terras execrãtur, in quibus aliquid sunt passi: quasi velint, hęc ipsa elemẽta è medio tolli; atq; adeò mundũ ipsum destrui, in tãtas à DEO vtilitates conditũ. Destructis enim partibus, necesse esse, destrui mundũ. Eò impatientia mortaliũ progreditur, vt sapientissimũ Vniuersi opificẽ, in vicẽ laudis, carpere, imo & corrigere tentet: non iã sus Mineruam docẽs, sed incredibilis amẽtia DEVM infinitè sapientẽ. Cuius tam imẽnsa est bonitas, vt nos doceat, posse etiam ex ipsis peccatis bonũ elici. *Hæc sunt*, ait S. Augustinus, *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapienter exquisita, vt, cùm Angelica & humana natura peccasset, id est,*

S. Augustin. in Enchirid. cap. 100.

est, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiã per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod Creator noluit, impleret ipse, quod voluit, BENE VTENS MALIS (& quidem simpliciter ac sumè malis, nempe peccatis) *tanquam summè bonus, ad eorum damnationem:* quæ est actus justitiæ scelera vindicantis. Hanc justitiam si imitãtur Magistratus, & Superiores, vel quicunq; potestate in alios pollent, vtũtur & ipsi veris malis benè. Nam occasione peccatorum, cælum merentur; sicut & illi, quos aliorum injuriæ & tyrannis ad martyrium exercet. Deniq; nemo est, qui non possit, ex ipsis aliorum vitijs, virtutem discere. Audi perfectionis magistrum. *Illa*, ait, *studeas magis cauere & vincere, quæ tibi frequentiùs, in alijs, displicent. Vbique profectum tuum capias: vt, si bona exempla videas, vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraueris, caue, ne idem facias; aut si aliquando feceris, citiùs emendare studeas.* Si culpæ malũ prodesse potest, quantò magis malum naturæ?

Thom. de Kemp. lib. 1. de imit. c. 25.

§. XII.

Summarium quorundam rerum, in mũdo occurrentium, de quibus homines queruntur.

Sed descendamus ad peculiaria, quæ sunt naturæ,

naturæ,& vulgò simpliciter mala existimãtur, atq; per certas classes, exemplis historijsque judicia æquissima Dei demonstremus, eamúsque primùm per ea, quæ extra hominem sunt; vt de cœlo fulmina, grandines,tempestates; &, quæ cœli, aëríque (quippeni & ignium?) injuriæ appellantur: per pericula aquarum, & terrarum; item per inopias, paupertatem, matrimonia mala: per monstra,è matrimonijs nata, aut certè per monstrosas natorum deformitates: nec non per hominum afflictorum & affligentium infamias, & calumnias,insidiásque. Tum, quæ cruciant in proprio corpore,consideremus; vt sunt morbi,vulnera,truncationes, neces, immaturæ ac violentæ; itémque quæ communitatem totam inuadunt, ac plures depopulantur, vt fames,pestes,bella. Denique quæ animam ipsam potissimùm affligunt, vt graues tentationes, desperationes, malæ mortes. quæ omnia sunt in mundo; omnia sunt, Deo justissimè vel immittente, vel permittente. cuius æquissimam voluntatem vel tempus reuelat, vel fides & ratio approbat, vel historia narrat; dum ipsâ culpæ vituperatione, pœnæ justitiam cõmendat. *Vtinam tibi,*

ô Lector (ad quem verba Mercurij ad filiũ facta trãsfero) *Vtinã tibi daretur facultas, vt alarũ adminiculo in ſublimẽ aëris plagã volares, mediamq́, inter cœlum ac terrã, regionem ſortitus, conſpiceres terræ quidem ſolidit atẽ, maris diffuſionem, fluxum fluminum, aëris amplitudinem, ignis arctam celeritatem. O feliciſsimũ, fili, ſpectaculum, ô beatiſsimam viſionem! Siquidem vno luminã motu, ſeriem totius mundi comprehenderes, immobilemq́, factorem concitum, latentem quoque perſpicuum cerneres.* Pimander. cap. 3.

CAPVT. III.

DEI opera iudiciaq́ etiam in Fulminibus, & igne, & aëre; & reliquis iratis mundi elementis, eſſe laudanda.

§. I.

Momorum, contra mundi partes, querela.

TAm eſt abundans Numinis bonitas, vt non ſolùm in Filium, ac S. Spiritum redundârit, ſed etiam in creaturas, velut extra familiam, ſeſe effuderit, hominémq; condiderit, hominiſq; cauſsâ, cætera omnia; vt exiſterent, de quibus, & in quos eſſet liberalis. Quòd ſi totus mundus, hominis cauſsâ, factus eſt, partes

Vide Plutarch. lib. Aqua, an ignis vtilior.

partes quoq; mundi, hominis caussâ, erunt; cælũ, terra, aqua, ignis, aër. De quarum partium pulchritudine, vtilitate, ac necessitate etsi multi tractauerũt, & vel in pueros satis constat, vitium tamen alere videntur nonnullis. Vnde & Momos habent. Quid enim? siderum noxij sunt aspectus; in aëre væsaniunt venti; colliguntur intempestiuæ pluuiæ, quæ lapides effundũt; molestissimũ est, per imbrem, facere opus: ibi humor in pestẽ putrescit; ibi minatur fulguratio; terrent horridæ nubes; mugiunt rauca tonitrua. In mari procellæ & tempestates cõmouentur, & turbo totas classes dissijcit; euertit, mergit. Fluminũ eluuiones, inundationésq; aquarum, quas non dederunt vastitates? In terra sterilitates, ac metuendi tremores; illę quidem homines, isti autem, & ciuitates, & homines hausserunt. Ab igne natæ sunt tot insignium domorum, tot magnarum vrbiũ populationes. Hæc talia imperitis Devs, si bonus est, in mundi partibus, censetur creare, aut permittere non debuisse.

§. II.

Magnam in Deum, è creatione Ignis & Fulminis, gloriam redundare.

Verùm, vt à fulmine & igne, velut à Ioue,

ue,incipiam,qui rectè calculum ducit, meritò canit: *Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.* Equidem liquidè intelligit, lucem noctu, calorem in hyeme; opem in quauis arte,ab ignibus haberi;ob quam causſam Xenophon, & Philo affirmant,*ignem esse veluti generale artificiorum omnium instrumentum:* quorum posterior tradit, idcirco prohibitam fuisse, apud Iudæos,ignis in Sabbatho,accensionem, vt inde omnium opificiorum justitium fieret. Norunt etiam docti, ex Empedocle, Hippocrate, & Varrone,ac Plinio, ignis maximum esse vsum ad medicinas; sine quo etiã Chymici sunt nulli; & durum manet ferrũ, crudi cibi,frigidi senes: vt proinde Lactantius eleganter ac eruditè ignem,*lucis ac vitæ elementum,* appellàrit; quo nõ bestiæ,quippe terrenæ & mortales,sed solus homo vteretur. Ob has causſas meritò dicimus: *Benedicite ignis & æstus Domino.* Est enim ignis non tantùm diuinæ beneficentiæ,sed & regiæ cuiusdam maiestatis symbolum. Beneficẽtiæ quidem,ob plurima commoda,quæ inde petuntur: qua de causſa grauissimũ est, si cui *igni & aqua interdicatur.* Maiestatis autem,ob splendorem. Vnde ignis olim Romanis,

Dan.3.66.

Xenophon. lib. 4.de dictis & factis Socratis. n. 466. Philo.li.3. de vita Moysis. Plin. 36. c. 27.

Lactant. li. 7. ca. 9.

Dan.3.66.

manis, & Constantinopolitanis Imperatoribus præferebatur, vti & Patriarchis & Ecclesiæ principibus, quibus *Lampadarius* (vt eum Codinus vocat) in liturgijs & processionibus, lampadem præopportabat, aurea corona redimitam; cùm faces Imperatorũ corolla aurea gemina insignes essẽt, vt Balsamo obseruat. Qui mos à Persis originem traxit, qui ignem cælo delapsum, apud se, sempiternis ferculis custodiebãt: cuius portionem exiguam, etiam merâ luce, quondã præisse Asiaticis regibus dicunt, vt ait Ammianus. Significabatur his facibus, à regib⁹ lucem, claritatem, dignitatem in alios emanare. An non & sol, & luna, & cæteræ cæli faces, & omnis, siue sub cælo, siue sub terra, ignis nobis DEI maiestatem præfert? Inde enim vera claritas, inde suma potestas. Vanus est, quisquis aliunde vult splendorem adipisci, aut calere, nisi igne diuino, aut ad diuina ducente. Sicut enim Indi, non quaslibet faces, sed eas, quæ in ara Mithræ, hoc est, Solis essent accensæ, prætulerunt; ita diuina duntaxat nos ardere flam̃a par est, non facibus Furiarum, aut Cupidinis. Ardemus autem igne diuino, si beneficia ignis, & omnium creaturarũ agnoscimus, à DEO

Amman. lib. 23.

prof-

proficiſci; & celebramus, ſi Indos imitemur, qui ad Phraotæ regis reditum, lætitia elati, accẽſis, ex ara Solis, facibus obuiam proceſſerunt, & ad regiam vſque deduxerunt, fauſtis acclamationibus proſecuti. Ad hũc modum Sancti ſolem, lunam, cæteroſq; minores ignes, & flammas omnium officinarum aſpiciunt; inde enim amore ſacro inflammati, DEO acclamant: *Laudate eum ſol, & luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen. Laudate Dominum de terra ignis, grando &c.* itemque: *Benedicite ignis & æſtus Domino.* Enimuerò etiam: *Benedicite fulgura, & nubes Domino.* Quiſquis enim ſapit, ſic igneſcit, caletque amore, non furore Numinis; cùm ſciat, ſapientiſſimo artificio pariter, & pro hominum bono, mundi Machinatorem iſta condidiſſe, atque in ſua manu habere, tanquam iuſtitiæ & miſericordiæ inſtrumenta. Quod probè agnouit inuictæ virtutis heros Iob, cùm nuncius veniret, ac diceret: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues pueroſq; conſumpſit.* Sciuit enim clariſſimè, DEVM nunquam, ſine iuſta cauſſa, fulmina de cælo iaculari; etſi tum fortaſſe iam non ſciret, quænam illa iuſta fulminandi cauſſa fuerit. Fuit autem profectò juſtiſſima tum

Phil. li. 2. c. 13. p. 96.

Pſ. 148. 3.

Dan. 3. 66.

Iob. 1. 16.

cauſſa. Nam dum ſathan ouium greges percuſſit, toti mundo oſtendit, Iobum ouibus ipſis eſſe patientiorem. Quid, non modò glorioſius, ſed etiam, vtilius fuit Iobo, oues ſeruare, an patientiæ laudem & mercedem adipiſci? cuius vt virtus per omnes numeros agnoſceretur, DEVS eam velut ſcopum, de cælo, petendi (quaſi inde origo plagæ eſſet) dæmoni id ſolicitè flagitanti conceſſit; quamuis id alio fine dæmon flagitârit. Eſt enim harum rerum promus magis, quàm cõdus Alaſtor, qui eiuſcemodi expeditionẽ in Iobũ, ex inuidia, inſtruxit, malus vtique, de theſauro ſuo, proferens mala: è quibus optimum Numen bona facit, etiam tum, quando per illum, tanquam per carnificem ſuum, in impios fulminat.

§. III.

Permittente, ob iuſtas cauſſas, Deo, malum ſæpe dæmonem eſſe fulminum fabricatorem, etiam in ipſa templa cadentiũ.

Thom. Cantiprat. li. 2. apum. c. 57. §. 2.

In Teutonia, circa annum Domini M. CC. L. VI. inquit magnus Alberti Magni diſcipulus, & D. Thomæ Aquinatis condiſcipulus, *tantos ventorum, coruſcationum, tonitruorum, & grandinum fragores inualeſcere vidimus, vt homines, per ciuitates, quaſi amentes*

ince-

incederent, & imminere diem iudicij formidarent. Circa Treuirim, vineas demolitas penitus, siluas & arbores antiquissimas funditus euersas inspeximus, & excelsorum ædificiorum fastigia corruisse. Fuerunt autem, qui dicerent, dæmones se vidisse, & eos, quasi bestias, diuisos in aëre, sibi inuicem ex ventis contrarijs occurrisse. Itaque non elementis duntaxat ex ingenio atque natura agentibus, sed etiam cacodæmonibus ipsis, furore atq; odio, incitatis frænum subinde, vel in exercitium, vel in supplicium nostrum, laxat vniuersi Rector: vnde magni persæpe motus damnáque ingentia bonorum temporalium existunt, vt bona spiritualia eorum vice subeant. Nam discunt inde mortales metuere, atque exorare omnipotentem, & aliorum interitu moniti semper in procinctu stare. Ita Volsinium Tuscorum oppidum opulentissimum, fulmine incensum, omne concrematum est. Ita, teste Baronio, Anno 857. Coloniæ. 17. Cal. Octobr. terribili coorta tempestate, subitò fulmen informe, igne, draconis instar, Basilicam S. Petri hominibus confertissimam, scidit, penetrauit, atq; ex omni illa multitudine tres homines, diuersis quidem locis, vno tamē ictu, in mor-

Baronius ad Ann. Christ. 857.

tem dejecit; alios autem sex, eodem impetu, ita prostrauit, vt semiuiui auferrentur; cæteros verò, quos non tetigit igne, perculit timore, docuitq; rebus diuinis incontaminatos adesse. Itaq; non impia Ethnicorum duntaxat fana, sed religiosissima etiam Christianorum templa sunt de cœlo verberata. *Cur enim Dominus vniuersorũ* non posset sathanæ permittere in templa, ad terrorem eorum, qui templis abutuntur, quod concessit illi, in Iob seruũ suum, qui & ipse
2. Cor. 6 16. *templum Dei* fuit? De Romano illo Tullius cecinit:

Iuppiter omnipotens stellanti nixus Olympo
Ipse suas arces, atque inclyta templa petiuit,
Et Capitolinis injecit sedibus ignem.

Quod mirum nõ erat, dignum etenim igne fuit fanum, tot sacrilegijs impiatum. Magis mirum id de nostris. Nam & de alio Chri-
Cæsar. li. 10. cap. 72. stiano templo, alius Author memorat: *In vigilia S. Mathiæ Apostoli*, Coloniæ ignem è nubibus excussum, in turrim S. Andreæ incidisse, eámque incendisse, illâ ipsâ nocte, quâ, præ frigore, aquis glacies est inducta, vt tantò mirabilius esset, si, vice niuis, fulmina cecidissent.

§. IV.

§. IV.

Fulmina Ioui & Imperatoribus appicta, vero Deo longè rectiùs conuenire.

At ostendit ea in re dominium suum Deus, & potentiæ maiestatem. Si enim Poëtæ Ioui suo maiorem se conciliare authoritatem non putauerunt, quàm si eius pingerent *armatam trifido fulmine dexteram*, ipsúmq; rubẽte manu sacras arces jaculantem; cur non potiùs verum Numen, eodem telo, terribile præuaricatoribus fieri deberet, ac metuendum? Quod sanè & olim factum est, cùm Moysi legem daret, tabulis lapideis insculptam; & cùm Pharaonis contumaciam vellet frangere; itémque, quando aliàs *illuxerunt fulgura eius orbi terræ:* & quando vel Angeli facies facta est velut species fulguris; immò vel Moysis etiam radijs cornuta. Voluisse & alios Reges, hac effigie, suos fingi colossos, testatur Plutarchus. Sed aliud fulmen, in DEO, significat, aliud in tyrannis. *Quemadmodum in vulnere priùs apparet sanguis, quàm plaga*, ait ille, *& quemadmodum priùs emicat fulgur, quàm tonitrus audiatur: ita apud Tyrannos, hoc est, Principes ferè omnes, priùs erumpit condemnatio, quàm probatio; & perijt delatus priùs, quàm coarguatur.*

Exod. 9. 23.

Psal. 96. 4. Dan. 10. 6.

Erasm. Chil. 1. cent. 3.

tur. De quibusmeritò dicitur: *Procul à Ioue, procul à fulmine.* At DEI judicia non sunt præcipitata. Nulla crimina dãnat, nisi, quæ ipse oculatus testis habet probata. Quę vbi, ad pœnam matura esse deprehendit, etiam procul ferit. Nemo enim nocens tam potest procul à DEO recedere, vt eò sese potentia illius nõ extendat; nemo ad eum tam propè adire, vt ei fulmẽ noceat innocenti. Qua propter longè rectiùs DEO conueniret id, quod in Antonini Pij, atq; etiã in aliquot Neronis numis, cernere est, fulmen in thoro collocatũ: aut, quod in suis symbolis Carolus V. & Maximilianus II. vsurpârunt: in quorũ Numismatis, *Aquila fulmini insidet; cui ramus oliuæ est additus.* Ostendebatur scilicet, offendendi potestatem penes Imperatorem esse; verùm, ob illius clementiam, quiescere, & nõ, nisi consultò, torqueri fulmen. Appositissimè Seneca: *Quare,* inquit, *id fulmen,* quod solus *Iuppiter mittit, placabile est? Pernitiosum id, dequo deliberauit, & quod alijs quoq; dijs auctoribus misit? Quia Iouem, ideſt, Regem prodesse etiam solum oportet, nocere non, nisi cùm pluribus visum est.*

Senec. Nat. q. q. li. 2. c. 43.

§. V.

Deum fulmina ostendere sæpius, quàm mittere.

Vt

Vt tales sint Reges, Principésque: & quicunq; magnam potentiam, inter homines, adepti sunt; vt, non quod falsus monitor, verus susurro, aut adulator, atque hinc ira, & in vindictam ebulliens superbus sanguis suggerit, sed quod equitas, quod ratio, quod consilia sana suadent, id statuant & mandent; DEVS ipse fulmina non statim expedit, *quoties homines peccant:* quæ etsi in manu habeat, ac potestate, tamen millies, atq; iterũ millies sinit antè quiescere, quàm decernat vibrare: priùs telum ostentat, quàm ingerat, *vt fugiant à facie arcus* peccatores, quos mauult metu, quàm pœnis coërcere. Quod si illi differunt, si nauigationem prorogant, & cũ Aceſſæo, lunam magis opportunam expectant, tardántque conuerti ad Dominum, & implent mensuram scelerum; tunc coruſca tela, diu librata & rotata, mittit, in contumaces, aut eos, quorum Tartaro digna facinora, omni contumaciâ, sunt detestabiliora. Psal. 59. 6.

§. VI.

Cur fulmina dicantur ignis Dei?

Tametsi enim fulmina, non Cyclopum manibus, sed in nube, ipsius naturæ industriâ, ad terram concutiendam, agrósq; fer-

Vide Lucret. li. 6. Iob. 1. 16. tiliores faciendos, alióſq; vſus fabricantur; cenſentur tamen meritò, è cœli armamentarijs promi. Vnde & *ignis Dei* appellantur; quia hic ignis eſt non ſolùm à DEO, vt cæteri ignes, ſed etiam, quia de cœlo, & quia potentiſſimus, penetrantiſſimus, velociſſimus, & maximè formidandus. Sæpe enim his armis vtitur DEVS, ad hoſtes ſuos ſubigendos.

Pſ. 49. 4. Siquidem, ſi inſolentes fuerint, *aduocabit cœlum deſurſum: & terrã diſcernere populum ſuum. Et annuntiabunt cœli juſtitiam eius: quoniam Deus judex eſt.* Sicut fuit, quando D.

Sur. Tõ. 5. die 13. Septẽb. Maurilius ſanũ diuerſis idolorum cultibus dedicatum, nõ procul Andegauo, videns, humanâ vi, excindi non poſſe, oratione impetrauit, vt, igne de cœlo labente, quidquid ſimulachrorum, & immũditiæ ibi erat, mo-

Dan. 3. 48. mento temporis abſumeretur. Tres pueros *non tetigit omnino ignis;* qui tamen *incendit, quos reperit juxta fornacem.* Quod prodigium renouatũ eſt, in Iphigenia Ægippi AEthiopum Regis filia. Ea, D. Matthæi Apoſtoli colloquio, Chriſtianorum numero addita, cùm Chriſto virginitatem vouiſſet, & iam, conſtructo cœnobio, multis virginibns DEO pariter dicatis præeſſet, neq; minis, neque blanditijs moueri potuit, vt Hirtacum

paterni

paterni regni ſucceſſorem acciperet maritum, æterni Regis ſe eſſe ſponsã dicens, nec licere ſibi, illo relicto, alteri nubere. Hirtacus, amore in furorem verſo, Iphigeniam, cum toto cœtu, adeoq; etiam cum ipſo monaſterio, cõcremari juſſit. Admoto igne, flamma virginalis pudicitiæ vltrix inde ſe auertens, in regiam proſilit, quam, Hirtaco, cum vnico filio, vix euadente, funditus conſumpſit. Hirtacum morbi impatientia, filiũ Hirtaci diabolus inſeſſor interemit. Ita calido ſe, ſuóſq;, elemento defendit DEVS, dum libidine æſtuantes hoſtes vltus eſt, in quos flammam reflauit. Quid habet hîc Momus, quid naſum corrugat Ariſtarchus? an, ſi ipſe DEO Conditori rebellat, vult, vt ei etiam elementa non ſeruiant? Num adhuc ignem accuſat, quia Satyro barbam aufert, eum intemperanter & ſtolidè ad oſculum applicanti? At ſtipitem & ſtipulam lædit, aurum non lædit, ſed oſtendit eſſe aurum, quod ſpectabilius facit. Quemadmodum enim fulmen, & ferit reos, & defendit innocuos; ita & ignis reliquus eſt velut anceps gladius, ad offendendũ & defendẽdum vtrinq; factus. Laurentios, Vincẽtios, Apollonias & Afras illuſtrat; Cræſos, & Didones in fumum ſoluit.

§. VII.

§. VII.

Pontiani martyrio ostenditur, ignem Deo parere, & Dei amicis parcere.

Ferrarius 19. Ian.

Nobili loco natus adolescens, Spoletanus, cui Pontiano nomen fuit, Antonino Imperatore, Fabiano præside, varijs modis, ad Christum abnegandum, tentatus & cruciatus, antè, quàm idolis thura offerret, seipsum ignibus obtulit. Ardentissimis igitur prunis inambulare adactus, ita fertur Fabianum allocutus: *Ecce, in nomine Christi, Dei mei, illæsus prunas tuas, ac veluti rosas calco. Tu, si Scæuola es, vel in aquam feruentem manum tuam impone, & experire, nũ te Deus tuus Iuppiter sit à dolore ac læsione liberaturus.* Vsſit hoc dictũ tyranni superbiam, quæ furiosè inflammata, vim omnẽ in Martyrem effudit, jussitque eum, equuleo distentum, vngulis ferreis, toto corpore, dilacerari. Sed, vt videas, Deo, Deique seruis, omnes creaturas famulari, carnifices priùs, quàm Martyris constantia, sunt fatigati. Quin innocens eius caro, vti à peccato, ita & à ferro integra permansit. Et, quod mireris, dum castissimum eius corpus, velut æneum lacerari non potuit, ipsa è ferro fabricata instrumenta, fracta fuerunt, ac dilacerata. Potuisset

tuisset vtique etiam ipsum ferreũ iniqui Iudicis pectus frangi, nisi crudelitas adamantina esset, atque omnem duritiem ferri superaret, &, giganteo fastu, cum ipsa Numinis omnipotentia certaret. Projectus est ergo Pontianus in obscurissimi carceris tenebras; sed adfuêre Angeli, qui, diuina luce caliginem dispulerunt. Producitur iterum, & leonibus obijcitur epulandus. Sed & hæ belluæ, quantumuis fame rabidæ, Martyri pepercerunt, imò circumuolutatæ, non dubiè blandientes feritatem posuerunt. Retrahitur in vincula Pontianus, & viginti duos dies noctésque, absque cibo potuque, relictus, ostendit, hominem, *non in solo pane*, viuere. Cantans igitur ac Deum laudans repertus, in lecticam ferream astrictus, subiectóque vehementi igne, & liquido plumbo vberrimè omnibus eius membris superfuso, nihil est mali passus, vt planè immortalis videretur. Certè, in mortali corpore, immortalem DEI omnipotentiam dominiúmque luculentè demonstrauit: vt meritò dicere potuerit. *Benedicite ignis & æstus Domino. Laudate Dominum de terra, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Matth. 4. 4. Dan. 3. 66.

§. VIII.

§. VIII.

Ignem Dei amicis vel parcentem, vel nocentem, Dei nomen ac gloriam propagare.

S. Greg. li. 1. cap. 11. Dial.

Quod verbum etiam fecit ignis, quando Martyrius omni alio vaſe deſtitutus, prunas ardentes, immo luculentum ignem pallio exceptum, longâ viâ, in montem, ad fratres ſuos, apportauit, nullo vſtionis veſtigio, in arida veſtis materia, relicto. Qua deinde veſte leproſum obtexit, & ſanauit. Witikindus ſcribit, Haraldum Danorum Regem, à Popone Epiſcopo, ab idolis, ad fidem SS. Trinitatis antè non adductū, quàm eum videret, illæſis manibus, ferrum candens geſtare. Eo miraculo ita eſt accenſus Rex, vt vnicum DEVM trinumque & ipſe profiteretur, & à toto regno iuberet adorari. Quod etiam DEO tres pueri, in fornacis flagrantia illæſi, effecerunt: & effecerunt alij quoque, quamuis læſi: inde enim teſtes, vnde Martyres fuerunt. Nicephorus certè tradit, in quadam Phrygiæ ciuitate, ita religionis Catholicæ zelo arſiſſe ciues, vt vnà cum liberis, vxoribus, & omnibus fortunis ſuis, ac tota inſuper vrbe, maluerint in cineres redigi, quàm Maximini imperio, fidem negare. Qua de cauſſa eorum, tanquam

VViti-ckind. lib. 3 hiſt. & Baron. 10. Tom. An. 849.

Niceph. li. 7. cap. 10.

tanquam heroicorum Martyrum Christi, Festum 7. Februarij die, Ecclesia celebrat. Sic ignis, vel holocausto, vel miraculo laudat Conditorem. Holocaustum etiam fuit D. Laurentius, D. Pionius, & quotquot, per flammas, ad cæleste refrigerium, transierunt. Miraculũ fuit Lot, è sulphureo Sodomæ incendio, eductus; & Abraham, quem Hæbræi tradunt, quia ignem, quem Chaldæi colunt, adorare noluerit, in ignem missum, à DEO liberatum. Vnde &, in itinerario Romano, dicitur, *de vr Chaldæorum*, hoc est, de igne *eductus*; & probatus *sicut igne probatur argentum.*

Gen. 19.

Viues in lib. 19. de Ciuit. ca. 15. Prouerb. 17. 3.

§. IX.

Ignem quoque fulmineum sæpe magis esse ad splendorem, & authoritatem, quàm in damnum cadere.

Ne autem fulmineam quis flammam magis indomitam esse existimet; est ea itidem à DEO nonnunquam cohibita, ne sæuiret. *Mithridates Rex Asiæ & Ponti, cùm adhuc infantulus in cunis vagiret, collapsum fulmen fascias, quibus inuolutus erat, exussit, neq; tamen, ipsum læsit, vestigium modò quoddam ignis in fronte relictum est, quod facilè occultaret coma. Rursus, cùm iam vir esset, ità propinquum*

Muret. li. 1. var. hist. cap. 2.

ei

ei dormienti cecidit, vt tela in pharetra, quæ haud procul a lecto pendebat, condita conflagrârint; ipse quoq; tum intactus. Aiunt & Aquilam à fulmine non afflari, vnde & armigera Iouis, & sacra esse fingitur. Cæterùm ignem ipsum, velut *diuinum*, & verè mirandum Homerus nominat. Moysi quoq; *apparuit Dominus, in flamma ignis, de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non comburetur.* Ita DEI dignitatem, splendorem, maiestatem agnouit. Sicut etiam, quando legem in mõte, accepit: & sicut agnoscent, sub nouissimũ diem, homines, quando, de eadẽ lege seruata, aut violata iudicabuntur. Tũc enim *ignis ante ipsũ præcedet.* Certè Macarius affirmat, homines, naturali ratione, Deum esse, nosse ex fulmine & fulgure: estq; ibi clarissima potentia, & potentissima claritas, quæ diuinum quid profitentur; iubar quoddam, vnà cum sonitu, tanquam diuinitatis radios, quàquà diffundentes. Sic, apud poëtã, describitur Sol, qui Phaëthontem allocuturus *circum caput omne micantes Deposuit radios, propiusq; accedere iussit*, procul consistentem. *Neq; enim propiora ferebat Lumina.*

Homer. Iliad. 11. 13. 15. & 20.

Exod. 3. 2.

Ps. 96. 3.

Macar. homil. 12.

§. X.

§. X.

Fulgor maiestatis, in fulmine non ladente consideratus.

Eiuscemodi coruscationes capiti hominum affusæ, vel sanctitatis, vel regiæ Maiestatis indicia semper fuêre. Quare & Angeli illius *erat aspectus, sicut fulgur, & vestimẽtum eius, sicut nix;* & Diui quoque radiauerunt. Quin & Seruio Tullo quoque id contigisse memorant, quod Virgilius Iulo suo scribit eueniſſe. Matth. 28. 3. Plin. lib. 2. c. 170. & Plutarch. de fortun. Rõ. Virg. Æneid. lib. 2.

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Magni nimirum faciebant veteres, ab igne aliquem splendere, & nõ ardere, aut fulminatum, & non læsum; existimabant enim, ei, non nisi à cælo sanctitatis teste, splendorem accessisse; aut certè omen arbitrabantur, futuræ, inter maxima pericula, incolumitatis. Scopelianum refert Cardanus, dum in cunabulis esset, à fulmine occiso fratre, qui vnà cum illo natus erat, euasisse incolumem, atque, per maximos labores, ad extremam peruenisse senectutem. Hîc prolem fecit admirationi esse fulmen, aliàs matrem Card. de rerum variet. lib. 8. cap. 43.

Plin. li. 2. cap. 51. illustrauit. Nam Marcia Princeps Romana, fulmine icta grauida, partu exanimato, ipsa citra vllum aliud incommodum, vixit. In fætu igitur ostendit tum natura ignis, se lædere potuisse; vt in parente doceret, se peperciſſe. Cuius rei & Plutarchus exemplum tradit, militis, qui, Romæ, ædem sacram custodiebat: cuius fulmẽ prope delapsum ambussit calceamentorum corrigias, neq; aliud quidquam incommodi attulit: ac pyxidularum argentearum, quæ ligneis inclusæ capsulis erant, argentum quidem colliquefactum & conflatum fuit, lignum intactum ac integrum inuentum. Quo loco & illud refert author, de fulmine, quod, Elide, in domũ Dorothei rhetoris delapsum, multa miracula edidit, dum vinũ ex dolio exhausit sitibundum, vase illęso, & hominem somno stratum transuolans, neque illum offendit, neq; vestem attigit, sed eius cinctum, in quo succinxerat nummos æreos, liquefecit & fudit totũ. Verè hæc fuit *Vox Domini intercidentis flammam ignis*: nam vim eius intercîdit; vt, per interualla, vreret, & parceret, Deoq; ad nutum obediret. Quod etiam, in miseranda illa Macliniæ conflagratione, fecit, quæ An. 1546. ex fulmine accidit. Apud

Plutar. li. 4 q. q. conuiual. 2.

Psal. 28. 7.

pud cauponem, cui nomen Croes erat, conuiuæ chartis ludebant, àquibus, dum, deficiente zytho, caupo in cellã descendit, tantus tempestatis extitit impetus, vt auulsa à fundamẽtis domus, procul abiecta sit, & oppressi lusores, adhuc chartas manibus tenẽtes, reperirẽtur, nemine illius domus saluo, præter cauponem, qui concameratæ cellæ beneficio, inter dolia, homo fortasse non doliaris seruatus est. Gilb. Cogn. l. 8. Narrat.

§. XI.

Ignis innocentibus idem, qui auro; nocentibus, idem, qui stipulæ, quam facilè consumit.

Prodest ergo, & defendit ignis innocentes, & laudat Dominum flamma, quæ ei ancillatur. At etiam offendit? etiam in cineres redigit? Vel innocẽtes sunt illi, quos lædit, vel igne digni. Si innocentes, Laurentios, Vincentios, Pionios, Carolos Spinolas, Apollonias, Affras, Hilarias, Eutropias, Eunomias, Dignas ex eis efficit. *Nam, sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus;* vt dicere possint: *igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Quod si verò elemento hoc vstulantur iniqui, non est id iniquũ. Habent quod merentur. Prouerb. 17. 3. Psal. 16. 3.

tur. Sentiunt, quod iustitia his verbis exigit:

Ps. 20. 9. *Inueniatur manus tua, omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui: Dominus, in ira sua, conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Ita sæpius contigit. *Negantes enim te* (ô DEVS) *nosse impij, per fortitudinem brachij tui, flagellati sunt: nouis aquis & grandinibus, & pluuijs persecutionem passi, & per ignem consumpti. Quod enim mirabile erat: in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat. VINDEX EST ENIM ORBIS IVSTORVM. Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia, sed vt ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem. Et, quodam tempore, supra virtutem ignis, exardescebat vndiq;, vt iniqua terra nationem exterminaret.* Quis artifex opere suo non defendit? suâ se hastâ protegit hastarius; suo gladio machæropeius; solus Deus mundum fecerit, quo, contra illum, homines vtantur, & ille non vtatur eodem, contra illos? Enimuerò *pugnabit cum illo orbis terrarum, contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum*

Sapiēt. 16. 16.

Sap. 5. 21.

locum

locũ insilient. Quæ omnia, in aliquot tremendæ narrationis exemplis, ostendemus contigisse.

§. XII.

Tibicinis, & aliorum obscœna leuitas fulmine punita.

Primum recensetidem, qui supra laudatus est, Thomas Brabantinus, his verbis: *Marchia, in Flandriæ atq; Brabantiæ districtu, villa populosissima sita est, in qua dedicatio celebrata multos, ad spectacula & ludos, traxerat. Inter quos, vt â Magistro Guilelmo bono & litterato presbytero, & de eisdem partibus nato, percepimus, quidam tibicen erat, qui chorisantes iuuenes & puellas, saltationibus, & gesticulationibus suis, ad carmina obscœna & turpia, concitabat. Hinc, cælo nubibus circa vesperas obscurato, quiq; ad propria redierunt, solo autem tibicine nondum lusibus satiato, per viam ad solita remeante, & canente tibia, & saltante, & posteriorum sonitibus turpiter insonante, duo pueri pastores, vbi tonitrua, & coruscationes imminere viderunt, ad dumeta fugerunt, &, eis videntibus, in tibicinem fulmen incidit, & extinxit, & eius brachium amputauit. Nec mora. viderunt pueri, quòd duo nigerrimi canes, ex insperato, venerunt, & inter se pendulum extincti brachium deportarunt. Hæc, post tonitrua, nuntian-*

Thom. Canti-prat. lib. 2. apũ. cap. 67. §. 4.

tiantibus pueris, amici venerunt, & cadauer mortui ad propria detulerunt. Manè autẽ, dicente presbytero, quia in atrio fidelium sepeliendus non esset, quem in ludis turpibus, tam notabiliter tonitruum occidisset, responderunt amici: etsi extinctus sit tonitruo, tamen ad dedicationẽ Ecclesiæ peregrinus, cum alijs, occurrit. Permisit ergo Presbyter, etsi dolens, vt in atrio sit sepultus. Et vide rectitudinem diuini iudicij. Manè facto, sepulchrum patens inuentum est, & loculus, in quo iacuerat, vacuus & eiectus, cadauer verò, vt optimè credi potest, sicut eius brachium, à Dæmonibus asportatum est. Nota ergo, lector, quia tali vindictâ digni sunt, etsi eos, parcente Deo, tales semper casus non puniant, qui, turpibus ludis & cantibus, sacra fideliũ atria & Ecclesiam inhonorant. Hoc primum exemplum docet, nubibus ac tempestatibus, non solùm maiestatem DEI hominibus innotescere, sicut quondam contigit, cùm Moysi decalogus, in monte Sinai, traderetur, quando *ceperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire mõtem*; &, quando, auditâ voce diuinâ, turba *dicebat, tonitruum esse factũ*: sed etiã, coruscis his ignibus, iram Numinis ostendit, peccatores, cum authoritate, punientis. Ita minitans dixit: *si acuero, vt*

Exod. 19. 16.

Ioan. 12. 29.

Deuter.

ro, vt fulgur, gladium meum, & arripuerit ju- 32. 41.
dicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Quod in hostibus suis etiam Dauid expertus dixit: *Tonabit de cœlo Dominus: & excelsus dabit vo-* 2. Reg.
cem suam. Misit sagittas, & dissipauit eos; ful- 22. 14.
gur, & consumpsit eos. Quod An. Christi Cæsarius
1222. in quodã Saxoniæ theatro, non sine libro. cap.
tragico luctu, spectatum est, vbi subitum 28.
fulmẽ homines adeò viginti, momento absumpsit; vt, leuissimo elemento, grauissimè punirentur obscœnæ leuitatis amatores; solus Sacerdos euasit, qui cæteris tamen, ob scandalum, plus videbatur, peccauisse. Sed *sæpe Deus Sacerdotibus parcit propter ordinem: sicut legitur de Aarone, quem non percussit lepra, sed sororem; cùm tamẽ non legatur, sororem minùs peccâsse: vel fortè, in eo, aliquid boni, Deus præuidit, propter quod illi pepercit. Quod verò aliquando, ob huiusmodi leuitates, Deus, Sacerdotes puniat, præsto est exemplum;* ait idem author, cuius verbis ipsa sinceritate à fabula vindicatis, vtile fuerit plura hîc apponere.

§. XIII.

Impurus & saltator sacerdos, fulmine eastratus.

Est villa, in Episcopatu Treuirensi, Elisatia Idem Au-

ehor eod. lib. 10. cap. 29.

vocata, inquit, *in qua, anno præterito, quartâ feriâ, ante natiuitatem ſancti Ioannis contigit, hoc grande ac terribile miraculũ. Sacerdos loci Henricus nomine, dum ſederet in taberna, facta eſt intemperies aëris maxima, quo feſtinante, cum Campanario ſuo, in Eccleſiam, cũ campanas pulſarent, creuit & tempeſtas, & nebula, & inenarrabilis ſtrepitus aëris, in Eccleſia, vehemensq; repentè ictus turbinis proſtrauit vtrumque, Clericum ſcilicet, & Campanarium, ita quòd Campanarius, ſub Clerico, jacebat. Campanarius verò in nullo læſus eſt, Clericus extincto, cuius genitalia exuſta ſunt, reliquo corpore intacto, quæ filius eius accurrens, calcando extinxit, & aunlſit. Ex quo patet, fornicatorem illum fuiſſe. Veſtimenta verò eius ita ſunt lacerata, vt nulla particula cohæreret ſolidæ parti, nec ſolida eſſent; exceptâ illâ particulâ, in qua dependere ſolebat manipulus, in ſiniſtro brachio: ſed ſtiualia ſua, quæ noua erant, ita ſunt dilacerata, ac ſi fuſcinulis diſſipata eſſent, ſolea verò ſic ſunt fracta, ac ſi in aqua feruida fuiſſent decocta. Campanarius verò, in maximo timore & ſtupore jacens, vidit dæmones inſultum facientes in Eccleſia: ſed & capſula, qua erat poſt altare, proſiliit ſuper altare, & apertura fa-*

cta

cta est in eâ, quæ adhuc ita remanet. Sancti verò, quorum reliquiæ ibi sunt, egressi fortiter resistebant dæmonibus, & factũ est, inter Sanctos & dæmones, vehementißmũ certamen: tandem deuicti dæmones, cùm corpus Domini asportare non possent, partem tecti secum abstraxerunt. Refert idem Campanarius, quòd corpus Sacerdotis, vsq; ad tectum turris, sub quâ simul pulsantes steterant, & sub quâ prostrati jacebant, violentia dæmonum aliquoties sit raptum, sed beneficio Sanctorũ relapsum. Aiunt, Clericum eundem tunc de nouo acquisiuisse coronam chorisando, quam quasi victor, juxta domum, suspendit, vt ibi stulti homines luderent, ducerẽtq; choreas. Subiungit, his narratis, Apollonius: Sicut in hoc Sacerdote considero, in laceratione vestium atq; calceamentorũ, Deus puniuit superbiam; sic in exustione genitalium luxuriam. Respondet Cæsarius: benè sentis, quia sæpe pœna respondet culpæ. Hoc etiam scire te volo, & probare exemplo, quòd sicut Deus, vt dictũ est, malos per fulmina, atq; tonitrua de cœlo punit, ita per eadem aliquando bonis succurrit. Dixit quidã: Multa, ex quo fuerint cõmoda, eius incõmoda æquum est ferre. Coñoda ergo ignis cùm sint plurima, nemo debet de illius in-

commodis conqueri. Quanquã pro incommodo habendũ non est, si igne cœlestis judex reos plectat, cùm eâdem opera vel moneat, vel defendat innocentes. Tradunt operas mutuas, Iustitia & Misericordia Numinis. In quam rem pergit Author.

§. XIV.

Monachus fulmine, contra militis rapinam, defensus.

Idem lib. eod. cap. 32.

Richvvinus cellarius noster, cùm, die quadam, tempore discordiæ inter sæpe dictos Reges, de Colonia exiret, non procul ab vrbe, plures armatos, ex latere stratæ publicæ, in suis dextrarys, sedere conspexit, quibus visis, cùm satis timeret, vnus ex eis cursu rapacissimo ad eum veniens, equum eius per frænum tenuit; quem his verbis superbè allocutus est, dicens: Domine Monache, descendite, oportet me habere equum istum. Vix verba finierat, & ecce, Dominus, non verbo, sed tonitruo prædoni, pro seruo suo, respondit. Nam, cùm, totâ illâ die, nulla fuissent audita tonitrua, ictus tã validissimus inopinatè personuit, vt equus satellitis genibus terrã peteret, & ipse nutantis tergo vix inhæreret: moxq; manũ à fræno monachi retrahens, ait satis humiliter: Ite in pace, bonus enim vir estis, cui ille regratians lætus processit, diuinitus se liberatum recog-

recognoscens. Hæc mihi idem Richvvinus, ore suo, confessus est. Quàm sæpe nunc, prædones dicam, an milites, viatorem inuadunt; spoliant, neque equo duntaxat, sed omnibus, quæ secũ defert, priuant? immo vitã ipsam emere cogunt, vt omnia simul eripiant? Et deest fulmen? & non tonat? nec cœlũ murmurat? murmurabit aliquando, tantò truculentiùs, quantò mitiùs nunc gladium in vagina continet, vt & patientiæ alij, & pœnitentiæ, prædones tempus habeant. Non desunt illi arma, nec deest causſa, *cui militat æther*, cui in conspectu sunt humana scelera; sed suâ patientiâ, patientiam nostram erudit. Quanquam, si vult plectere, aut si vult suos defendere, non opus est illi, ignem de cœlo vocare; etiã in terris ignem habet, qui illi, qui seruis illius famulatur.

§. XV.

Ignem quoq;, & incendia parcere innocentibus, in viduæ simplicis exemplo, ostenditur.

In Episcopatu Colonienſi, oppido imperiali, quod Dousburg dicitur, vidua quædam cerusiam braxare ac vendere solebat. Die quadã, cùm ciuitas casu fuisset incensa, ipsumq; incendium domui eius appropinquasset, illa, iam non habens spem in auxilio humano, ad diuinum confugit. Ibid. cap. 31.

Nam

Nam omnia sua vasa, quibus ceruisiam emptoribus mensurare solebat, ad ostiũ domus, contra flammas ponens, in multâ cordis sui simplicitate, sic orauit, dicens. Dominus Deus justus & misericors, si vnquãaliquem hominem his mensuris decepi, volo, vt domus hæc comburatur, si autem feci, quod rectum est in oculis tuis, precor justitiam tuam, vt, in hac hora, misericorditer respicias necessitatem meam, & mihi, meaq; supellectili parcere digneris. Mira fides fœmina, mira Dei humilitas: is, qui dixit, quâ mensura mensi fueritis, remetietur vobis, ac si oratione fidelis viduæ conclusus fuisset, flammas omnia in circuitu deuorantes, à domo eius conpescuit, cunctis stupentibus, quòd ignis furens materiã cremabilem lamberet, nec incenderet. Quid erat hoc aliud, quàm justissimę fœminæ æquitatẽ, flammis illustrare? quàm multi alij caupones, aut mercatores, si sua vasa, vel mensuras, ad eundem modum, incendio opponerent, lustrarentur, non illustrarentur? Allicerent enim, non arcerent, illorum vasa ignem, qui illis injuriarũ dicam ab hospitibus & emptoribus scriptam, perspicuè manifestaret. Nouit enim, & ignis causſas decidere, Deo jubente. Ita in manu illius est omnis creatura: sæuit, vel parcit, ad nutum

Con-

Conditoris. Nec, si secum argumentis putet, meliùs eam vllus subditiuus Dædalus condere potuisset. Apparet ergo, tonitrua & fulmina, & ignes, & incendia, non naturæ tantùm, neque tentatoris duntaxat Stygij, sed etiam DEI esse, & aliquando quidem defendentis, sæpe tamen etiam terrentis, aut punientis instrumenta.

CAPVT IV.

Æquitas bonitasq; diuina, in tempestatibus, & mundi elementis, Pharaoni, Alphonso X. alijsq; luculentè ostensa.

§. I.

Ignis è terra erumpentis, & fulminum vera caussa fabulosæ oppositæ.

GIgantes olim, cùm Iouem vellent cælo pellere, finguntur à Poëtis fulminum iactu deturbati. Nimirum vt vel fictum DEVM docerent, in picturis ac statuis, meritò exprimi, rubente dextera fulmen vibrantem, sumpta occasione, ex turri *Babel*, montes montibus impositos cecinerunt. Vtque vel in mortuis vindictæ esset monimentum, scripserunt, Typhoeum sepul-

Virg. in Ætna.

Gen. 11.

sepultũ, quoties in latus se vertat, flammas & aquas, ex insula, euaporare. Qua de causa Strabo fabulam natam memorat, quòd cùm Eretrienses, & Chalcidenses, in Pithecusis insulis, habitarent, terræ frugibus atque auri fossione beati, inde, ob terræ motus, exhalantes ignes, aquarum feruores, & mare inualescens, excedere coacti sint. Huius enim generis eructationes habet insula, ob quas etiã missi ab Hierone tyranno Syracusanorum coloni, paratum iam à se murum compulsi sunt deserere. Hæc natiua soli damna, eiusce modi fabulâ Poëtæ excusauerunt. Sed non opus est ad fabulas confugere. *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentia:* vbi voluit, posuit bitumen, sulphur, & ignes, quæ & ipsa cedunt in hominum vtilitatem. Nam & bitumine muros Semiramis struxisse dicitur, & aqua *bituminata & nitrosa, qualis Cutilia, vtilis est bibendo, atque purgationibus*; & eiusmodi ignes de terra, aut cœlo erumpentes, vt iam olim docuit Tertullianus imago sunt inferorum. Denique *in manu Dei potestas terræ.* vnde sæpenumero *terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vsq; ad fundamentum.* Quod factum est, quando *Dominus pluit su-*

Strab. lib. 1.

Prouerb. 3. 19.

Plin. l. 31. c. 6.

Eccl. 10. 4.

Iob. 11. 19.

Gen. 19, 24.

per

per Sodomam & Gomorham sulphur & ignem à Domino, de cœlo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia: item, quando Moyse virgam in cœlum extendente; *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura, super terram: pluit q3 Dominus grandinem super terrā Ægypti. Et grando & ignis mixta pariter ferebantur, tantæq3 fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit, in vniuersa terra Ægypti.* Sed sæpe, vbi forti medicina opus est, per tonitrua concionatur, per fulgura illuminat mentes, dum cæcat oculos DEVS, quod non solùm factum est, quando Paulum *subitò circumfulsit lux, de cœlo,* & ille *cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* voce pariter & luce percussus: sed etiam regi in cælum ferocienti; cui de ingenio atq; sapientiâ suâ stulta opinio fastum fecerat, forti manu, deprimendum. Verùm operæ pretiumerit, rem deductiùs narrare. Exod. 9. 23. Act. 9. 3.

§. II.

Alphonsi Deũ corrigentis Arrogans & amens superbia.

Tradit, in Hispanorum annalibus, Ro- Roder. deri-

Santius 4. p. hist. Hisp. cap. 5.

dericus Santius Alphonsum X. huius nominis Ferdinandi III. filium, non minùs superbiâ, quàm honoribus elatum, eo supercilio fuisse, vt ipsa etiam diuina opera, quæ perfectissima, & cũ summa sapientia, pondere, numero, & mensura creata sunt, auderet, sub censuram suam, nouus Momus rapere. Iam hoc illi, in mundo, displicebat, iam illud. Hyems nimis frigida, æstas nimis calida erat: cælum nimis altum, mare nimis profundum. Nec hominis illi satis probabatur fabrica; cornutos omnes esse voluisset magisq; nasutos. Qualis scilicet ipse erat, cui nasus fuit plus quàm Rhinocerotis. Atque, vt videas, apud superbos, nullum esse terminũ insaniendi, eò Alphonsus hic progressus est, vt sacrilego ore palam iactaret: *si ipse, à principio creationis humanæ Dei altissimi consilio interfuisset, futurum vtiq;, vt nonnulla melius ordinatiusq; conderentur.* O vana! ô funesta! ô impiè superba amentia! Itáne Marsyas prouocat Apollinem? discipulus docet Magistrum? homo stultissimus æternam sapientiam emendat? Aliter sapiens ille loquitur, qui ait, *non possumus eis* (operibus DEI) *quidquã addere, nec auferre.* Nec aliter alter, qui ait: *Magnificata sunt opera tua,*

Ouid. lib. 6. Metã.

Eccl. 3. 14.

Psalm. 71. 17.

tua, Domine, omnia in sapientia feciſti. Nimirum ſtultitiam ſuam prodit, qui ſapientiam carpit: atque, qui ſe, cœleſtibus oculis anteponit, cæcitatē ſuam oſtendit: non ſecus, ac ſi talpa lyncē, noctua aquilam velit ducere. Qua de cauſa diligenter monet ille ſolicitus parens: *ſuperbiam nunquam, in tuo ſenſu, aut in tuo verbo, dominari permittas.* Permiſit hoc ſuperbiæ dominium, & in ſenſu, & in verbo ſuo ebullire Alphonſus; & quò eum non impulit? Ne joco duntaxat flagitioſa illa verba protuliſſe videretur, de ſuo ſenſu confidens, idem arrogantiſſimum, & ſtolidiſſimâ vanitate pleniſſimum dictum identidē repetiuit. Audijt has, in cœlo, voces DEVS. Quo ſenſu audijt? quo Apelles, quo Zeuxis, quo alius minorū gentium artifex audiuiſſet ſutorē, abſolutiſſimum ſuum opus, etiam vltra crepidas, Theonino dente, carpentem? Si ſic Thraſo quiſpiā locutus fuiſſet, Praxitele audiente, nonne ſcapulas perdidiſſet? Nunquid Alphonſus dignus erat, cuius ſe pedibus terra dehiſcens ſubduceret? quem, cardinibus euulſis, cœlum ruens (ſi vllū illi pondus ineſt) obtereret? & cui ſe Tartarus, totis oſtijs, panderet, in mille gehennas? Digniſſimus ſanè erat. Sed mirabilis eſt diuinę miſe- Pſalm. 72. 17. Tob. 4. 14.

ricordiæ immensitas, quæ humanam insipientiam sæpe antè erudit, quàm ferit.

§. III.

Angeli, regem per militem admonentis vigilans cura.

Miles erat, *Petrus Martini de Pampliega* dictus, cui id officium fuit, vt infantis Manuelis curã gereret, illiq; esset, quod Chiron Achilli, instructor & manuductor. Hic, præter communem militũ morem, abdicata rerũ vanitate, Numini colendo totus intentus, in somno, aspectabilẽ habuit juuenem, cãdido amictu splendidum, & formâ humanâ augustiorem, vt facilè Angelum esse conijceret; ab eo hæc verba audiuit. *Lata est, in diuino tribunali, contra Regẽ Alphonsum, sententia. Hæreditate excidet, &, ni resipiscat, crudeli morte, interimetur.* Exterruit hęc vox militem, qui, sopitis adhuc sensibus, caussam tantę comminationis cùm scire vellet, caussam Angelus aperuit, nempe licentiam loquendi, quæ summates, nullum supra se metuentes, eò prouehit, vt quidquid libet, dicere statueréq; non vereantur; quasi licitum sit, quod à mortalibus non timetur puniendum. Addidit sacrilegam esse temeritatem, diuina opera corrigere molientis; ab hac ni

desi-

desisteret, atrocia mala experturum Regem; idq; ei significare militẽ jubet, adjecta seria exhortatione, pœnitentiæ de tanta stoliditate non procrastinandæ. Tantâ patientiâ piũ Numen & sustinet, & lucrari vult Encelados istos cœlum expugnare cogitantes, & in superos arma mouentes, de terra natos, & in terrã reuersuros, qui, cùm vix sint idonei, ad opus ruri faciendũ, audent DEO leges dare, & recta praua facere.

§. IV.

Militis fidelitas, regis contumacia, Numinis longanimitas,

Miles, vt erat diuini honoris sitientissimus, non diu cunctatus, illico Regem, apud Burgos, commorantem adijt, petitoq; colloquio secreto, primùm ei exposuit, quæ visu, deinde etiam quæ auditu acceperat: postea oratione vehementi suadere cœpit, vt tam blasphema verba, quæ delirando illi exciderant, etiam atq; etiam, corã ijsdem, qui audierant, retractaret. Mirare hîc, Lector, nouum (ah nimis antiquum & consuetum) certandi genus. Summa DEI bonitas, cum summâ hominis malitiâ pugnat; & certat illa, vt clementiâ; ista, vt pertinaciâ vincat. Mittit legatum offensus ad offendentẽ; sug-

gerit Dominus ſeruo veniæ modum; monet judex reum, vt caueat fugiatq́; ſupplicium. Quæ maior poſſet eſſe bonitas? non tantùm dat *metuentibus ſe ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*, ſed & perſequentibus! At quid ille, *cui robur & æs triplex, circa pectus erat*, quid fecit adamantinus Alphonſus? quia iã prævaluerat in vanitate ſua, militis monitionem, cũ riſu, accepit, & acerbo ſarcaſmo. Quin illico exeſſe iuſſit, peruicaciſſimè ſacrilega illa repetens: *ſi tempore creationis humanæ interfuiſſet, plurima meliùs ordinari potuiſſe*. Olim, promagno abſurdo habebatur, ſi ſus docere Mineruã voluiſſet: aliquid abeſurdius noſtra ſæcula audierunt. Potéſtne humana ſuperbia altiùs aſcendere? olim, in Lucifero, iuxta DEVM; iam in Alphonſo, ſupra DEVM aſcendit, quem putare audet, homine minùs ſapientem. Quid hîc par fuit facere diuinam Maieſtatem? in quod non calamitatis barathrũ debuit hunc Regem præcipitare? Ex æquo feciſſet, ſi eum iuxta, aut infra ipſum Luciferum, in inferni infima, & vltima applauſiſſet, tam nouum, & impium æmulum diuinitatis.

Pſalm. 90. 6.

§. V.

Altera vice pulſans, & moneri ſuperbũ regem iubens Deus, dennuo repellitur. At

At vide cælestis Clementiæ immensitatẽ. Expulso, cum ignominia, pio milite, ac fideli monitore, pauci ierant dies, cùm iam Rex, apud Segobiam, versaretur, Eremitæ cuidã sanctissimo viro, eadem de Rege diuinitus ostensa mandataque sunt, quæ priùs militi fuerant reuelata, & mandata. Eremita nihil prius habuit, quàm vt Regem adiret, eique, quę vidisset, quæ audijsset, ordine referret, hortaretúrque, ad tam detestandam, de diuina Sapientia, blasphemiã quantocyùs retractandam, pœnitentiaque exemplari diluendam. Poterat hæc iterata monitio, fidem priori facere. poterat vel corneã fibrã emollire; sed verba fiebãt mortuo. Alphonsus, saxo durior, tanquã alter Sennacherib, in blasphemia perstitit; velut nouus Nabuchodonosor, in superbia confirmatus, pro eo, vt diligeret Eremitam, toruo vultu, & corrugato naso, percussit, iratissimáq; voce, vt insipientẽ, abire à se procul in malã rem jussit, iterum nefanda illa verba repetens: *Si tempore creationis humanæ interfuisset, plurima meliùs ordinari potuisse.* Nempe Holofernem aut egit, aut imitatus est, Achior increpantem, quòd soli DEO potentiam attribuisset. Væ vobis, Principes, væ Reges, si eò per

fastum elati estis, vt neque primipilos militum, neq; bonos consiliarios, neq; viros religiosos, neq; ipsos confessarios, aut Eremitas ampliùs audire sustineatis. Obduratæ aures, obdurati cordis sunt argumentũ: & obduratum cor, magnum est aut pereuntis signum, aut perituri.

§. VI.

Fulminum, & tempestatis metu, tandem Alphonsus ad pœnitetiam adigitur.

Quanquã non rarò DEVS misericordiæ suæ omnipotentiam, etiam in istis saxis, ostendit. Accipite enim, obsecro, quid porrò contigerit huic, tam diu Christianũ Pharaonẽ agenti. Proximâ nocte, tenebris horrorem augentibus, tandem sese cœpitexerere diuinæ maiestatis ira. Primùm insoliti venti, & spiritus procellarum, concussis arborum ramis, & ædificiorum fundamentis væsanissimè fremuerunt. Crepabant fenestræ; tremebant ianuę, quatiebantur muri, mœnia ipsa videbantur collapsura. Caliginoso & nocturno cælo inducebantur fœdissimæ nubes. Eæ inter se, Aquilonum vi, collisæ in repentinam flammã emicabant: fulguraq; metuenda identidem, è tenebris, coruscantia oculos perstringebant. Fulgura

aërem

aërem incendentia, ſequebantur horrenda tonitrua, quæ, abrupto fragore, ipsã mundi compagem videbantur ſolutura. Nec fuére fulgura illa è pelui, ſed terrifico lumini fulmina tam denſa miſcebantur, vt cælũ cadere videretur. Nimirum *tunc intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocẽ ſuam: grando & carbones ignis: miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Nã, *Qui ſunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent?* Nonne quorũ conſcientia clamat, DEVM ſe habere inimicũ? Quid ergo tunc animi Alphonſo putemus fuiſſe? cùm præſertim & tempeſtas, & circumſtantes venti, & fulminum jactus, illi ſemper fierent viciniores? Trepidabat Rex, ſed, ad ſalutaria ſtupidus, non emendabatur. Itaque propiùs cenſuit ira Numinis feriendũ. Fulmen triſulcum in ipſum eius cubiculũ deſtinat, quo & Regis & Reginæ veſtes extemplò combuſtæ, atq; in cineres redactæ fuerunt. Ibi enim è veterno excitatus Alphonſus, ſed attonitus, & vix loqui valens, cubicularios vocat, jubétq; Eremitam, ante aliquot horas, cum indignatione, abactũ actutum reuocari. Sed erat ea tempeſtatis vehementia, vt è palatio exire nemo poſſet. Re- Pſalm. 17.

petitis igitur cæli mugientis fragoribus ictibúsq;, & coruſco fulmine, alia ſuper alia incendente, immenſum auctus eſt Regis metus, vt augeretur & deſiderium Eremitæ reuocandi. Quem vt tandem vidit Rex ingredientem, iam longè à ſe alius ad pedes eius procidens; *Ego*, inquit, *ſum, qui peccaui.* Eremita verò, *Homo acharis*, ait, *quaſi fabula vana.* Et: *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiã?* Nuncquid Altiſſimi Conſiliarius tu es? O vtinam, Rex, memor fuiſſes verborũ Regis ſapientiſſimi Salomonis; *Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.* Vides nunc omnipotentiam DEI? Vides, cur fulmina condiderit?

Eccl. 10. 21. Iob. 38. 36.

Prouerb. 30. 8.

§. VII.

Fulminum vis, Deo ſeruientium tribus exemplis, declaratur.

Si homines diuina affectare, ſi Pelion Oſſæ imponere, ſi ſe gigantes exiſtimare volunt, *pugnabit cum illo Orbis terrarum, contra inſenſatos. Ibunt directè emiſſiones fulgurũ, & tanquam à benè curuato arcu nubium, exterminabuntur, & ad certum locum inſilient;* in intimum tuũ cubile penetrabunt; pectus tuum ferient: hoc ſatis eſt Creatori, ſi habeat tales ſatellites, honoríſque ſui defenſores.

Sapi. 5. 21.

fores. Tales habuit Elias, & tunc, quando fruſtra clamantibus ſacrificulis Baal, elicuit ignem de cælo, ad abſumendum holocauſtum; & tunc, quando Ochozias *miſit ad eum quinquagenarium Principem, & quinquaginta, qui erant ſub eo. Qui aſcendit ad eum, ſedentiq; in vertice montis, ait: Homo Dei, Rex præcepit, vt deſcendas. Reſpondénsq; Elias, dixit Quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaq; ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo. Rurſúſq; miſit ad eum Principem Quinquagenariũ alterum, & quinquaginta cũ eo. Qui locutus eſt illi: Homo Dei, hæc dicit Rex, feſtina, deſcende. Reſpondens Elias, ait: Si homo Dei ego ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcẽdit ergo ignis de cælo, & deuorauit illũ, & quinquaginta eius.* Nunquid tunc fulmen inutile fuit, quando hominẽ DEI defendit, & hoſtes DEI extinxit? ſicut & Iudâ Machabæo pugnante, *cùm vehemens pugna eſſet, apparuerunt aduerſarijs viri quinque de cælo, in equis, franis aureis decori, ducatũ Iudæis præſtantes, ex quibus duo Machabæum mediũ habentes, armis ſuis circumſeptum incolumem conſeruabant; in aduerſarios autem tela & ful-*

3. Reg. 18. 38. 4. Reg. 1. 9.

2. Machab. 10. 29.

mina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia, quingenti, & equites sexcenti. Olim *duo fulmina belli Scipiadæ* dicebãtur. Hi duo Angeli, immo quinque, an nõ æquiùs *belli fulmina* poterãt appellari? Machabæo autem, an fulmen nõ profuit? exercitum totum Israëlitarum, imõ cœlũ ipsum defendit, vt verè *fulminatrix legio* posset appellari. Quin & tibi, Rex Alphonse, profuit: terruit, vt resipiscceres; & vel iam tonat, vt minis erudiaris. Adhuc misericordiam sperare potes, si te finis doceri; sin in amentia tua perseueras, & fulmen, & æternos ignes expecta, in pœnam desperatorum, creatos;

Psa. 97. 4. *Tunc demum ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Nunc tantùm præluditur. Nunc fulgurantem vidisti: nisi in tempore sapis, experieris fulminantem DEVM. Tunc idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicabitur.

§. VIII.

Pœnitentia compescit tempestatem, à qua fuerat, & ipsa Alphonso Regi obiecta.

Rex & oratione ista fulminatus, & metu tam tremẽdæ tempestatis iam antè perculsus, primùm cœpit, publicè, nefandas suas blas-

blasphemias retractare, ac illud: *Bene omnia fecit*, profiteri. Deinde instantis mortis gehennæque formidine, eidem Eremitæ peccata sua voluit confiteri. Mox, magno animi mœrore, ac eiulabili pœnitudine doluit, à se Numen, tantâ stultitiâ, quantâ superbiâ offensum. Secutę sunt dolorem hũc amarissimæ lachrymæ. Stupendum dictu, quò ille vehementiùs fleuit, eò se magis fregit tempestas; quæ tantò serenior effecta est, quantò ille vberiores imbres fudit lachrymarũ. Neq; desijt ille insanias suas antè deplorare, quàm Dеvs & cælum ad liquidum tranquillaretur. Sic fulminat misericors Dominus: vt ostendat superbis errorẽ suũ; ad modestiam eos redigit, docétq, vel in hoc, magnam esse fulgurum, tonitruum, fulminumque vtilitatem. Alphonsus certè aliter, post illa, sensit, aliter vixit, piéq; pœnitentiâ actâ, apud Hispalim, defunctus, cor suũ euiscerari, Murtiã deferri, & in templo S. Mariæ, quod magnificè construxerat, sepeliri jussit. æternum diuinæ potentiæ, patientiæque monimentum. Ita, qua potentia, Apollinis in Daphne idolum, ac Iuliani Apostatę, contra Babylã martyrẽ, insolentiam fulmen deiecit, dęiecit & superbiam Alphonsi.

Baron. in Martyrol. 24. Ian.

§. IX.

§. IX.

Igne de cœlo cadente punitorum complura exempla.

Quis hanc historiã narrari audiens, non
Dan. 3. dicat: *Benedicite fulgura & nubes Domino?* Nam coruscationes hę & iram, & misericordiam DEI luculentè patefecerunt. Cumq;
Psal. 34. *sint omnes viæ Domini misericordia & veritas*, necesse est, mundo exhibere, non tantum benignitatem erga homines, sed etiam opera justitię vindicis peccatorum. Si enim vindicta non esset, pauci se cælo dignos facerent, pauci virtutem sectarentur; sed propè omnes in flagitij sese cœno volutarent. Vtitur ergo DEVS creaturis suis, quas armat in
Gen. 19. peccatores. Sic igne vsus est, quando Sodomam & Gomorrham, Adamam & Seboim, cum vicinis locis, ignis sulphurei nimbo exussit. Sic, Dione & Xiphilino teste, vsus est
Dio in Marc. Aurel. Baron. An. 176. igne, quando *fulminatrix legio*, imbrem de cælo bibit, hostésq; Christianorũ, prodigiosè impetratis fulminibus, attriuit. Sic non solũ in fabulis, de Encelado Titani & Terræ filio, cæterísq; Gigantibus Iouẽ in cælo oppugnãtibus semiustis, aut in Romanis de fulmine in ipsam Neronis mensam delapso; aut rursum in Christianis, de Olympio Carthagi-

thaginenſi Arriano Epiſcopo, in Balneo publico, SS. Trinitatem deteſtante, tribus fulminibus icto, & in cineres redacto; ſed etiam de Chuga Barbarorũ in Theodoſium conſpirantium duce fulmine tacto legimus. Sic de Rege Francorũ Theodorico memorat D. Gregorius Turonenſis; nam dum feneſtras atq; ianuas templi fregiſſet, vt eò receptos ſpoliaret, fulmine de cælo tactus inferni raptoris ſpolium ipſe fuit. Sic, in Peruana hiſtoria, refertur, gentem quandã giganteæ magnitudinis Sodomitico peccato fœdatam, Sodomitico etiã ſupplicio perijſſe. Deſcendit enim de cœlo, viſibili forma, juuenis, qualẽ Daniel deſcribit, inſtar Solis radios jaciens. Hic, coruſcante manu, triſulca fulmina ſupernè in eos ſparſit, omnéſque, ad vnum, momento extinxit. Aiunt veſtigia horrendæ aduſtionis, tam in ſaxis, quàm in oſſibus interfectorum, adhuc reperiri. Pari pacto multas & ædes, & vrbes, & homines, incendia depopulantur, DEO ſcelera vindicãte, qui etiã in vindictam malefactorum, ignem æternum, *diabolo, & Angelis eius, præparauit.*

Gregor. Turon. li. 3. c. 12. de reb. Franc.

Ioſeph. à Coſta. li. 1. c. 19. de Nat. noui orb.

Matth. 25. 41.

§. X.

Cur aliquando fulmina & tempeſtates ſæuiant in innocentes? Quan-

Quanquam hoc mirum non est, si vel extimulet, ad flagitia deserenda, DEVS; vel ea deserere nolentes, fulminibus, grandinibusue extinguat. Mirissimum est, tempestates non rarò malis parcere, ac sæuire in innocentes. Cur hoc DEVS agit? cur permittit? Mille caussas habet, siue agat, siue permittat. Quis enim ei præscribat, qua ratione debeat exercere innocentes, aut, è vita hac, ad se, in momento euocare, quod fecit, quando sanctum illum virum, tot virtutibus ac miraculis insignem Simeonẽ Stilitã fulmine de columna deiectum, ad cælum euexit. Tametsi enim Ecclesia rectè nos doceat orare: *à fulgure & tempestate*; itémque, *à subitanea, & improuisa morte, libera nos Domine*; quia multos fulmẽ & *subitanea*, ac præsertim *improuisa mors* inuenit imparatos: si tamẽ quis ad moriendum sit paratus, atq; ad extremũ illum agonem accinctus, grande potest esse, & corpori & animæ beneficium *mors subitanea*, siue celeri sagittâ, siue globo plumbeo, siue gladio ferreo, siue fulmine illata; antè enim, quàm mors talis sentiatur, iam est transacta: aut certè idem est tangi & mori, sentire & finire dolorẽ. Quantis igitur molestijs morborum & pharmacorũ, & hæreditatem

ditatem ambientium, & inſomniorum, & tormentorũ liberat mors præcipitata? quæ etiã magno compendio, abſoluit animas ad moriendum ſemper paratas. Nam quantis ea angoribus, quantis dæmonum machinationibus, quantis tentationum procellis filum incîdit? Grata eſt mors mortem optantibus, ſi cita venit; & quò compendioſior; eò clementior. Solet etiam DEVS malo dæmoni non rarò poteſtatem facere, vt grandines ſpargat, vt fulmina jaciat, vt nimbis, turbinibus, pruinis agros populetur. At tunc, quid mirũ eſt, ſi dæmon innocentes vexet, & ſibi ſeruientibus parcat, in ſtipendij mercedem? Notum eſt, cur Iobum, igne de cælo cadente, exagitârit. voluit ſcilicet nocentem atque impatientem facere, ex innocente: voluit DEI amicũ exagitare. DEVS autem voluit amici ſui conſtantiã atq; fortitudinem toti mundo velut in theatrũ producere. Neq; grande beneficium eſt, ſi malorũ ſatis & pratis parcit humanæ gentis inimicus. Nunquam is parcit, niſi vt ſæuiat. *Hoſtium dona, non ſunt dona.*

§. XI.

Cur tempeſtates aliquando parcant nocentibus?

In

Thom. Cãtiprat. lib. 2. cap. 17. §. 3.

In prouincia Prouinciæ, ait Episcopus pius, *apud Lemouicas, tempore ætatis nostræ, Priore Fratrum Prædicatorum eiusdẽ ciuitatis narrante, percepimus, tanta magnitudinis grandines cecidisse, vt in vrbibus, villis, atq; campestribus tecta frangerentur, demolirentur vineæ, fruges redigerẽtur in paleas, homines extra tecta, volucres in agris, & pecora, necarentur. Qualiter autem his se immiscuerit Sathanas, breuiter audiamus. Vinearum custos, sub tugurio in campestribus, imminentibus tempestatibus latitabat, & audiuit clamantium voces, in aëre:* Caue Caue. *Et alius respondebat:* quid cauebo? *Et primus.* Vineam Petri Richardi ne læseris. *Sopita ergo postmodum tempestate, sola vinea Petri Richardi immunis reperta est à læsura. Erat autem Petrus Richardus (sic enim binomius vocabatur) vsurarius pessimus, & obnoxius multis malis. Ex quo considerandũ est, quia, in comitatu spirituum nefandorum, amicos, immò potiùs inimicos, vt saniùs loquar, dæmones habuisset, qui ei bona sua, etsi ad vitæ solatium, tamen ad perpetuæ damnationis cumulum, conseruassent.* Noñe huic auaro magis profuisset, oleum incendio demi, & fomitem subduci cupiditati, & adeò, pati, quàm declinare tempestatem? Nõ est optabilis

bilis clementia parcere, vt sequantur atrociora. Calamitatis caussâ, hostis facit fortunatos. Sæpe grando contudit innocentis coloni segetẽ, vt patiẽtiam meteret; sæpe viri dolosi vites non verberauit, vt felicitate suâ inebriaretur. Quod aër, atq; ignis alijs quoque modis nõ rarò perpetrat. Siue ergo noceat, vtiliter potest nocere; siue faueat, potest fauere perniciosè. Immo siue fauere, siue nocere videatur, semper nocet ijs, apud quos virtus est in vinculis, scelus in solio; prodest illis, qui DEVM, in omni tempestate, venerantur.

§. XII.

Sanctorũ meritis, ab igne intacta manere, quæ alioqui flamma vorax absumeret.

Sæpe etiam, contra naturæ suæ indolem, vim suam exserere vetatur; vt ea non attingat, quæ Sancti attigerũt. Nam, vt Sigonius refert, cũ in hospitio, in quo D. Germanus Antisiodorensis Episcopus, in Britannia ægrotus iacebat, graue casu excitatum esset incendium; illud vehemẽtiùs homines mouit, quòd, quę acris hominum sedulitas custodiuerat, omnia vis ignis exhausit: quæ verò vir Sanctus tetigit, illa omnino flamma nõ læsit. Habet nimirum DEVS cælestes Sigon. li. 12. Imp. Occid.

quasdam salamandras, qui est *mirabilis, in Sanctis suis.* Neque tres pueri tantùm eiuscemodi Salamandræ fuerunt, sed & alij serui Dei. Vim extinguendi ignis, in salamandra, alij frigori natiuo ascribunt; alij autumant esse fabulosam. Vis domandæ flammæ, in Sanctis, ex alia flamma sancta prouenit: nec est fabulosa. Marcellinus, teste Gregorio Turonensi, Anconitanus Episcopus podagra affectus, manib⁹ gestatus alienis, vrbis incendium, ex aduerso se oblijciens, derepentè cessare fecit, tam potens virtute, cum pedibus tam debilis esset. Leo IV. Pontifex incendium signo crucis extinxit, quod diu per domos Saxonum & Longobardorũ vagatum D. Petri basilicæ appropinquabat, vt Sigonius testatur. Quem extinguendorũ incendiorum modum meritò censeas Christianos magis decere, quàm vt, à Iudæis accepta arte, inscriptam certis quibusdã verbis, à Moyse olim pronunciatis, in ignẽ inijciant schedam. Iudaizant, qui à Iudæis eiuscemodi res discere malũt, quàm à Christianis. Et Iudæi rectiùs Moysis sanctitatẽ imitarentur, quàm potestatem. Deniq;, vt norimus vtrumq; esse in potestate Sanctorum, defendere scilicet, contra ignes, atque defendi,

S. Gregor Tur. lib. 1. Dial. c. 6.

Sigon. l. 5. regni Italiæ.

fendi, cùm Romæ Elphegus Cantuarienſis Archiepiſcopus omnibus bonis exutus, & vrbe eiectus fuiſſet, repentino tecta incendio conflagrare cæperunt. Reuocatus eſt, ſuáq; oratione incendium extinxit. O quoties ſancti hominum patroni, ac præcipuè cuſtodes Angeli nõ incendia ſolùm, aut fulmina à capitibus noſtris auertunt oratione ſua, ſed etiam obſtant, ne in æternos ignes proijciamur? At nos id tam grande beneficium non agnoſcimus, per quod ad DEVM amandum inuitamur; alioqui vtique etiam in ipſis fulminibus, & tempeſtatibus, laudandi Creatoris argumentum reperiremus. Marul. li. 3. cap. 3.

§. XIII.

Fulminum naturales, & ſpirituales vtilitates.

Quid quòd aliæ quoq; cauſſæ, atque vtilitates, immo neceſſitates, in igne, atque in aëris intẽperie, reperiuntur? Quid ſine pluuijs terra gigneret? An non ſine ventis aër ignauus putreſceret? Fulminum vis, an non omnipotentiam Creatoris manifeſtat? impingit in nubium latera ſicca & calida terræ expiratio, motúq; ita incaleſcit, vt, horribili cum fragore obſtaculum diſrumpens, omnem bellici tormẽti ſonitum impetumq; vincat. Quid quòd *Ceraunia* (Iaſpidis id ge-

nus est) nullibi, nisi in locis fulmine ictis, reperiatur? Quid quòd à cuneo Fulminis ramenta & rasuræ ad medicamenta vtiliter adhibeãtur? Aliæ quoq; vtilitates plurimæ ex igne, aut fulminibus, seu in artes, seu in mores redundant. De rebus Orientalibus memorat Olaus Magnus, apud Gothos & Sueonios, à fulmine tangi montes marmoream duritiem superantes, eorumq; ictibus formari tũ pyramides, tum columnas, quæ nõ minore arte excisæ videantur, quàm humano labore, & reliquæ à lapicidis conficiuntur. Quis non miretur hîc opificem DEVM? Sed vel maximè hinc mores instruuntur. Vt taceam, Martinum Lutherum Iurisprudentiæ adhuc studiosum, in agro, cum socio deambulantem, repẽtè, fulminis ictu, minimo minùs, socium autem eius omnino exanimatum fuisse, Lutherumq;, ex illo terrore, Monachum factum. An non superbi hîc discunt metuere? Nam sicut fulmen igne id sursum euocante, & vi, qua è nube deijcitur, deorsum premente, obliquo plerumq; motu fertur, atque idcirco summos præcipuè montes, & prælatas turres ferit (adeò, vt in Italia, quondam inter Sarracinam & ædem Feroniæ, turres fieri desierint, nulla nempe

Olaus mag. li. 5. cap. 16.

Sur. in com. sub. annum Christi. 1517.

nempe non earũ fulmine deiecta) ita ſumma capita plerumq; citiùs, certè grauiùs, à DEO puniuntur. Sicut fulmen valẽtiora vehementiùs obterit, eò quòd non cedant, *ita ſuperbis reſiſtit Deus, qui humilibus dat gratiã.* Iac 4. 6. Apud Ariſtotelem, in ſcuto fulmine icto, æs liquefactum, lignũ quia exhalationi tranſitum dederat, nihil perpeſſum legitur. Nec ſimilitudine duntaxt, ſed etiam reipsâ fulmen ſuperbiam notauit. Tradit enim Oroſius, Lucij AElij Equitis Romani filiam fulminatam, omnibus veſtimentis ac pectoris pedumq; vinculis diſſolutis, monilibusque & annulis diſcuſſis. Ita fulmina, ita ignis, ita aër, & tempeſtates ſunt Numinis ſatellites, & hominum doctores. Oroſius. lib. 5. cap. 15.

§. XIV.

Aliæ Fulminis ſpirituales vtilitates.

In igne, hominis DEVM amantis virtutes intuemur. Vterque ignis lucidus, calidus, celer eſt. Vterq; ſurſum tendit. Nam & eius, qui DEVM amat, lucent opera, calet affectus, nec patitur amor tarditatẽ: deniq; cælum verſus ſemper mouetur; nec terram petit, niſi violentiam patiatur. Quid quòd celeritas Angelici motus hinc iñoteſcit? *quippe fulminis ocyor alis* is eſt. Vnde &

Luc. 10. 18. Matth. 28. 3. Dominus ait: *videbam ſathanam, ſicut fulgur, de cælo cadentem.* Immo & claritas eius fulgure exprimitur. Quippe boni Angeli *aſpectus erat, ſicut fulgur.* Quin ipſius Filij hominis velocitas & claritas pariter, cum fulgure, comparatur. *Nam, ſicut fulgur coruſcans de cælo, in ea, quæ ſub cælo ſunt, fulget: ita erit Filius hominis, in die ſua.* Et, quia *celeritatis*, atq; *claritatis* ſimilitudinem habemus, addamus & reliquas duas corporis glorioſi dotes, *impaßibilitatem*, inquam, *& penetrabilitatem*, quæ itidē quodammodo in fulmine conſpiciuntur. Aiunt enim, fulminis lapidē, ob vehementem lentæ & viſcoſæ materiæ ſiccitatem, nulla ratione liquari aut emolliri poſſe, tametſi duriſſimi alioqui ſilices liquefieri fundiq́ue, per artem, ſoleant. Quæ eſt vtique quædam *impaßibilitatis* imago. *Penetrabilitatis* autem longè clarior, in fulmine, ſimilitudo reperitur. Eſt enim quoddam fulminis genus, quod *clarum* vocant, ſubtile & flammeū, ita terebrans, vt per anguſtiſſima quæque, ob puram flammæ tenuitatem, effugiat, nimiaq́ue velocitate tranſiens, nihil denigret; imò vt dolia exhauriat, nullo ſui veſtigio relicto, intactis operimentis; gladióſque, illęsâ vaginâ, abſumat; aut nummos,

Luc. 17. 24.

crū-

crumena non attaminata: quin vt ipsa animalis ossa minutatim conterat, carne integra. Certè, hunc in modum, Martia Romanorum Princeps grauida, partu exanimato fulminata, citra vllum aliud incommodum, superuixit. Est & inferni ignis in fulmine, adumbratio. Etsi enim eo nihil vrat vehementiùs, multa tamẽ fulmina habent, quod Aristoteles tradit, de igne in Pithecusis, qui non comburit; aut quod, in vino adusto, experientia monstrat, quo charta, vel pannus imbutus accendi potest, comburi non potest. Quid, quòd ipsum incendium fulmine excitatũ, &, vt aiunt, vix alio liquore, quàm lacte extinguibile, quemadmodum & Asbestus lapis semel accensus, quandã æterni ignis effigiem repræsentat? Ita res mala malis, bonis bona fit materia meditandi; quemadmodum multi in Æthna, Vesuuio, alijsq; ardentibus, & ignẽ eructantib9 saxis ac montibus, immo in salis cocti, atque alijs officinis, quas Vulcanus vrit; quin omni flamma aspecta, inferorum sibi incendia imaginantur. Quanquam nihil ad hanc rem cogitandam aptius fulmine.

Arist. de admir. cap. 3.

Solin. cap. 12. & S. August. lib. 21. de Ciuit. cap. 6.

§. XV.

Ceadda, in tempestatibus, meditatio. Et timoris etiam seruilis vtilitas. In-

S. Beda, lib. 4. hist. Anglic. ca. 3.

Inter varia virtutum merita, inquit venerabilis Beda, *quibus insignitus erat Ceadda, in Merciorum Prouincia Episcopus, in tantũ erat timori Domini subditus, in tantum nouissimorũ suorum, in omnibus memor operibus, vt si eo fortè legente, vel aliquid aliud agente, repetè flatus venti maior assurgeret, continuò misericordiam Domini inuocaret; & eum generi humano propitiari rogaret. Si autem violentior aura insisteret, iã, clauso codice, procideret in faciem, atq; obnixiùs orationi incumberet. At, si procella fortior, aut nimbus perurgeret, vel etiam coruſci, ac tonitrua terras & aëra terrerent, tunc veniens ad Ecclesiam sollicitus, orationibus ac psalmis, donec serenitas aëris rediret, fixa mẽte vacaret. Cúmque interrogaretur à suis: Quare hoc faceret? respondebat, non legistis? Quia intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, Misit sagittas suas, & dissipauit eos; Mouet enim aëra Dominus, vẽtos excitat, jaculatur fulgura, de cælo intonat, vt terrigenas, ad timendum se, suscitet, vt corda eorum, in memoriam futuri judicij, reuocet; vt superbiam eorum dissipet, & conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ille, cælis & terris ardentibus, venturus est, in nubibus, cum potestate magna, & maiestate, ad judi-*

Psalm. 17.

candos

eandos viuos & mortuos; propter quod oportet nos admonitioni eius cælesti, debito timore & amore respondere; vt quoties, aëre commoto, manum ad feriendum quasi minitans erexerit, nec adhuc tamẽ percutit, mox eius imploremus misericordiam, & discussis penetralibus cordis nostri, atque expugnatis vitiorum ruderibus, soliciti, ne vnquam, quòd percuti mereamur, agamus. Talia sanctissimus Antistes meditatus est, aliósq; cælo tonante, jussit meditari, ad timorem illum excitandum, quo homines mouentur ad rectè agendum, saltem vt pœnas à DEO peccatoribus constitutas effugiant. Quod cùm proprium sit seruorum, *timor iste*, ait S. Augustinus, *quo non amatur justitia, sed timetur pœna, seruilis est*: qui nõ quidem ex amore DEI, sed ex amore sui oritur, attamen non idcircò repudiandus est, tanquam malus, sed vt salutaris etiam sæpe, ad peccati cautelam vel medelam, adhibendus; quem & ipse Christus præscribens dixit: *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Blasphemis igitur, & impijs vtilis est tonitruum & fulminum metus, imõ & sanctis quoq; eiuscemodi rerum terribilium prodest consideratio. Configit enim *timore carnes eorum*, qui ita timent offensionẽ

S. Augustin. conc. 25.

Matth. 10. 28.

Psal. 118.

Dei, vt simul etiam timeāt pœnam Dei, per fulmen, infligēdam, vel ante oculos ponendam. Vnde plurimi, cum Ceadda, quando tempestas ingruit, in se descendunt; pectus pulsant; de Numine offenso dolent, ad preces conuolant; à peccandi consuetūdine resiliunt. *Timor salutaris, & timor sanctificationem faciens qualis sit vis exponam?* ait S. Basilius, *cùm ad peccatū aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud, & nō ferendū Christi judicium. Hæc time, & hoc timore eruditus, animā a concupiscentia ad hæc mala, velut frano quodam relide.* Vt autē hæc cogites, è nubibus, in quibus Filiꝰ hominis veniet, mundū judicaturus, metuēda auribus tonitrua, terrifica oculis fulgura, nullo adamante excludenda fulmina pariuntur. Aëre igitur in tot minas contracto, cùm paueſcit animus, & vel vnicum horret tantopere ictum, alij sese mutuo ita adhortantur: *Quis habitare poterit de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* alij non tantùm ad Hispanicas confugiunt, sed & ad alias sibi à Deo impositas cruces. Et quid mirum? cū ipse de se scribat D. Hieronymus, se, metu gehennæ, solitudinem & durissimum vitæ genus elegisse; & D. Ambrosius

S. Basil. in Psaml. 33. hom. 9.

Isai. 33. 14.

S. Hieronym. epi. 22. ad Eustochium

brosius tradat, Martyres, in agone positos, timore gehennæ ante oculos mentis propositæ, vincere solitos earum pœnarum timorem, quę à carnifice ingerebantur. Ad hunc timorem, quia impellunt fulmina, inde laudanda veniunt, vnde sunt formidanda. Esto occiderint multos puniendo, longè tamen plures non igne, sed ignis timore salubriter tetigerunt. Quemadmodum flammei illi, in cælo, exercitus, quos Italia aliquando vidit, timuit, cauit, de quib⁹ D. Gregorius Turonensis. Vtinã hîc timor multos percelleret, qui cùm viuant in cubilibus, in impudicitijs, in mollitie, in nefandis criminibus, in stupris, in corruptionibus juuenũ, in seductionibus puellarũ, in fœditatibus, quæ nec inter bestias reperiuntur, denique, more Sodomitarum, tamen nõ metuunt sulphur, & picem, & ignitas pluuias, & incendia Sodomitarum. Nimirum, quod non metuunt, nõ cauent; quod nõ cauent, patientur; & tantò atrociùs patientur, quantò sunt delicatiores; qui meritò sibi illam facere possent cogitationem, quàm intolerabilis sit futurus ignis gehennæ, cùm nunc, post tot & tanta admissa piacula, ne cilicium quidem, incesto corpore, possint tolerare.

S. Gregor. Turonens. li. 10. hist. Franc. c. 1.

C A-

CAPVT V.

Ventos, nubes, pluuias, pruinas, grandines, lucem, & tenebras, & quidquid, in aëre, mali ſpeciem habet, ab hominibus habere; ac Dei potentiam & æquitatem prædicare.

§. I.

Aëris accuſatores, & commendatores.

SAtis dictum de aëre videri poteſt, poſtquam de tempeſtatibus, in aëre natis, dictũ eſt. Sed reſtant multa, in compendio, percurrenda. Aër enim *reciprocandi ſpiritus ſpacium*, non ſolùm adreſpirandum datus eſt, ſed æquè etiam inter morborum ac ſanitatis cauſſas refertur; &, vt Seneca loquitur, *ex aëre omnis inconſtantia tumultuſq; eſt. Eo æſtuante*, ait Plinius *& concalefacto, æſtuant omnia, ex eo autem frigefacto nubila, grandines, pruinæ, imbres, procellæ, turbines, & plurima mortalium MALA.* Verùm de morbis, deque peſtilitate, aëris infectione, ac peruſtis veneno ventis, propagatâ, alius erit dicendi locus. Alios, cum Plinio, contra frigus eius; contra calorem alios, alios contra alia queri audimus. Quid tum? ſunt, qui frigore delectentur; ſunt qui capian-

Tertullian. l. cõtr. Valentinian. cap. 23. Senec. 2. natur. ca. 6. Plin. li. 2. ca. 38.

piantur calore; sunt, qui alterutro, sunt qui vtroque, ad virtutē durentur. De Lappis & Finnis Septemtrionalibus scribit Zieglerus, in Scondia, aëris eos frigidissimi libertate non gaudere tantùm, sed & juuari adeò, vt, quandocunq;, in Sueciā, negotiorum caussa, veniunt, nunquam domos intrent, sed sub dio tantùm versentur, atq; cubent pellibus inuoluti. Obesi, & alij quoq; non obesi, hieme, &, dum bruma riget, sunt saniores: resq; omnes frigido, quàm calido cælo diutiùs asseruantur.

§. II.

Aëris, per imbrem, beneficia.

At ex aëre pruina descendit? Quid tum? descendit & ros, *in teneris pecori gratissimus herbis.* In aëre *spiritus procellarū?* In aëre vapores, & ex ijs nubes; ex his pluuiæ, niues, grandines, si magis magísque constringantur? Quid tum? ibi est & officina fertilitatis: inde imbres, velut per cribrū, guttatim terram irrigant; inde niues, semina, tanquam lanæ, per hiemem, contegunt. Et qui nescit, quid sit pluuijs carere, Eliæ historiam legat, in qua inueniet has minas & pœnas: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, non erit, annis his, ros & pluuia.* Alibi autem, inter

Aristotel. l. Meteor. cap. 9. 10. 11. 12.

3. Reg. 17. 1.

ter beneficia, imbres numerantur, precibus à Numine impetranda. *Si clauſum fuerit cælum, & non pluerit, propter peccata eorum, & orantes, in loco iſto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis ſuis conuerſi fuerint, propter afflictionẽ ſuam: exaudi eos, de cælo, & dimitte peccata ſeruorum tuorum, & populi tui Iſraël: & oſtende eis viam bonã, per quam ambulent; & da pluuiam ſuper terrã tuam, quam dediſti populo tuo in poſſeſſione.* Tria indicantur hic. Primò, pluuias ſuſpendi, & claudi cœlum, propter peccata. Secundò hanc ipſam pœnã ſiccitatis eſſe mortalibus in medicinam, ea enim ad pœnitentiã adducuntur, & docentur, ex oculis imbres lacrymarum fundere, ſi velint, fundi imbres de cælo. Tertiò, pluuias oratione & pœnitentia impetrandas, tanquam beneficium. Quare, alio loco, dicitur: *Speciosa miſericordia Dei, in tempore tribulationis: quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis.* Si pluuia beneficium eſt, quo modo malum? Si à DEO *imbrium pincerna*, vt Baſilius Seleuciæ loquitur, quomodo, aut cur pincernæ iraſcimur, cũ & Reges pocillatores ſuos ament, ac præmio afficiant? Et vel hinc agnoſcant mortales, pluuiarũ ac tempeſtatum, juſtã illam cauſſam, facilem, vincibilem, optimam.

3. Reg. 8. 35.

Eccl. 35. 26.

Baſil. Sel. orat. 11.

§. III.

§. III.

Iosephi Anchietæ & Marci Senensis de pluuia responsum.

Imo ex Elia discant, DEVM subinde Sanctis suis tradere habenas pluuiarum. Exemplum est recentissimum, in nostro Iosepho Anchieta, qui aliquando *jussit apparari reditum in crastinum. Erat tempestas turbida, densus imber, grauisq; ortus sub vesperam, nunquã cessauerat: & duraturus noctem totam videbatur. Obiecit ei comes: opportunam sanè, Pater, tempestatẽ ad iter elegisti. Cui Iosephus: Vtinam tam simus ipsi viri boni, quàm de nobis Deo curæ est; non enim tantùm die crastino, imber molestus nobis nullus erit, sed ne nunc quidem, tempestate tanta, vllus est, quà sumus cras iter facturi. Postero die iter manè ingressi, ad vicum S. Barnabæ, qui tribus inde distat leucis, quacunque iuerunt via, tota, ad latitudinem triginta passuum solum siccum, ac nullo tentatũ imbre, ad vicum vsq; inuenerunt, cùm circa loca omnia nocturnâ pluuiâ maderent.* At non omniũ est hæc potestas? Vexantur pluuijs multi? ita est. Hoc hominis meruit præuaricatio. Si in originali justitia mansisset, māsisset in Paradiso, quem locum fons, in quatuor flumina diuisus, non molesti imbres irrigàssent. Eò homi-

Sebastiã. Beretar. li. 4. vitæ Iosephi Anchietæ.

hominem inuitauit,& posuit; sed inde, ob repudiatam gratiã, exclusit. Faciant id homines, & DEVS contemptũ suum ferat? *Petrus Marcus Senensis amicum, cælo admodum turbido, & non pluuias tantùm, sed grandinem quoq; minante, iter facientem amãtissimis verbis, vt in ædes suas, quoad præteriisset tempestas, diuerteret, inuitarat, is verò nihilominus iter prosequens, cùm vix octauam milliaris partem emẽsus esset, tam effuso imbre, tamq; turbulenta tempestate exceptus fuit, vt pergere amplius nõ posset. Reuersus igitur ad Marci villam, fores pulsat; ac prospicienti è fenestra Marco,* Amice, *inquit,* prius illud meum propositum mutaui. *&,* ego meum, *respondit Marcus: statimq; se subduxit, sic illi alibi hospitium fuit quarendum.* Voluit benignus mundi Conditor nos homines secũ esse, in Paradiso, quasi in villa sua, in qua *deambulauit ad auram, post meridiem*; ibi fuissemus, ab imbre, & grãdine tuti. Sed spreuimus locum, serpẽti, quàm DEO obediẽtiores: idcirco nos ipsos excluſimus, cælo turbulentiore digni. Habemus ergo, quod voluimus; & patimur tempestates. At mutauimus propositũ, & vellemus nunc libenter in Paradisum admitti? mutauit igitur & DEVS, propositum suum, nec vult nos amplius

Caspar. Ens. li. 2. Epidorp.

Gen. 3. 8.

ampliùs eò admittere: immo non mutauit: siquidem ab æterno, vno eodémque proposito, voluit nos justitia originali ornatos ibi degere, spoliatos, inde in exilium pellere. Seruassemus itaq; locum, si seruassemus cõditionem. Amissa gratia, cur expostulemus, si cęlo mitiore non fruamur, qui cęlũ ipsum amiseramus? Et quàm molles sum⁹, si aquarum aspergine lædi nos existimemus?

§. IV.

Ventorum vis & varietas.

At in aëre pugnantes variorum nominũ venti fremũt, qui arbores à radice extirpãt; siluas ac nemora prosternunt; classes disijciunt, tecta tegulis exuunt: fenestras perrumpunt; domos ac ædificia tota, quin & mænia vrbium, turrésque ipsas aliquando euertunt. Vt alia taceam, testatur Herodotus, Pręfectos Xerxis, triduana tempestate, 400. naues amisisse. Quid tum? Hæc est potentia DEI, qui, si leuissima exhalatione tantam vim exerit, quid poterit, si ferro & igni, cõtra nos, pugnet? Sed est ventorum insuper ingens vtilitas, maxima necessitas. Sunt enim etiam verriculum & vehiculum nubiũ atque pluuiarum, in aëre; hominum & nauium in aqua; sunt aëris & aquæ ipsius con-

De ventorũ nominibus; Aristot. lib. de Mund. ca. 3. Plin. li. 2. c. 47. Herod. lib. 7.

S. Chry-

ſeruatores; nã ſine motu corpora iſta com-
Soſt. in Pſal. 134. putreſcerent. Sunt laborantium refrigeratio, & æſtuantium voluptas. *Nulla propemodum regio eſt, quæ nõ habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem, & circa ſe cadentem*, ait Seneca.
Senec. li. 5. nat. qq. cap. 18. An ſine cauſſa? cauſſam vnicam è vicinia diſcamus, de qua vulgatiſſima eſt: *Auſtria ventoſa, aut venenoſa.* Alias cauſſas Seneca recenſet, cùm de diductione nubium, & de diuiſione imbrium agit. Ait enim *in Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam reijcit. Eteſiæ non patiuntur, apud nos, nubes conſiſtere: Idem totam Indiam, & Æthiopiam, continuis, per id tempus, aquis irrigãt. Quid, quòd fruges percipi nõ poſſunt, niſi flatu ſuperuacua admixta ſeruandis ventilarẽtur, niſi eſſet, quod ſegetem excitaret, & latentem frugem, ruptis velamentis ſuis, quæ ſolliculos agricolæ vocant, adaperiret?*

§. V.

Ventorum vi, contra Pharaonem, allatæ locuſtæ,

Extra naturæ ordinem nonnullis DEVS ſubinde regionibus, aut terris ventum inducit, vt cum illo, pro juſtis pugnet, Qua in re beneficium maximum connectit, cum ſupplicio impiorum. Ad hunc modum *extendit*
Exod. 10. 13. *Moyſes virgam, ſuper terram Ægypti, & Do-*

minus

minus induxit ventum vrentem, tota illa die & nocte, & manè facto, ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles. Quales, ante illud tẽpus, nõ fuerant, nec postea futuræ sunt. Operuerúntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Ventus has locustas attulit, in pœnã peruersorũ; in bonorum defensionẽ. Quorum vtrumque bonum quoddam est. Nouit enim simul diuina potẽtia, *Parcere subiectis, & debellare superbos. Ecce quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra compleuit Dominus, pugnando pro Israël, in Ægyptios,* ait Rupertus. Locustæ hæ, in Ægypto, genitæ non fuerunt, sed extra, in desertis Arabiæ, vel Æthiopiæ locis. Vento igitur in Ægyptum fuerunt deportandæ, & *vento vrente*, vt scriptura loquitur, quem rectiùs Philo existimat, fuisse Austrum: cum & LXX. interpretes eum *Notum* appellẽt; & non subsolanus Oriẽtalis, sed *Auster sit vẽtus vrens.* Quàm potens tunc pariter & sapiens fuit ira Dei, contra superbiam Pharaonis, non ferro armatas, & hastato milite onustas classes aduocans; sed ita leuis armaturæ cohortes adducens, vt possent à vento porta-

Rupert. li. 1. Comment. in Exod. ca. 38.

Loc. cit. ri? *Ranæ*, ait idem Rupertus, *Sciniphes, muscæ, atque locustæ fuerunt castrorum eius acies, & huiusmodi cohortibus totas contra fortes Ægyptios compositas legiones.* Singuli milites, secundùm se, breues quidem *& infirmi, verùm, pro exercitibus Pharaonis, satis valentes fuêre, duce imperio Dei. Nempe quod multus hominum exercitus facere non potuisset, istæ Phalanges locustarum strenua peregêre militia. Operuerunt enim vniuersam superficiẽ terræ. Quamobrem festinus Pharao, tanquam ad deditionem, vocauit Moysen & Aaron, duces tanti exercitus atque Primates Imperatoris Dei. Rogate*, inquit, *Dominũ Deum vestrum, vt auferat mortẽ hanc à me. Hoc velut dedititius dixit.* Nonne magnus & excellens est Imperator, qui vento potest suos hostes difflare? vento milites aduehere? & tali milite victoriã obtinere? Incredibile nonnullis videtur, militem alicubi cataphractum vento, in aëra, fuisse sublatum. Totos DEVS exercitus, vento, de regione, in regionem, transfert, vt expugnet ventosos.

§. VI.

Ventus quid fecerit in mari rubro siccando?

Quin ipsa quoque maria vento difflat, vt
Exod. 14. 21. viam faciat transituris. *Nam, cùm extendisset*

disset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi & vrente, tota nocte, & vertit in siccũ: siue tunc ventus magno impetu incurrẽs, seu percurrens scissas, per medium, aquas extruserit, in vtrumque latus; viamq; vndis nudârit, in parietum morem vtrinq;, Angelica manu, retentis, siue virtute vrendi siccandiq; aquas absumpserit; siue aquis Angelorum ministerio, in vtrumque latus, muri instar, erectis, humidum, limosum & lutulentum fundum siccârit duntaxat. Quem ventum textus Hebraicus *Orientalem* vocat. Hebræi enim tunc iter, contra orientẽ faciebant, & contra mare rubrum, quod Ægypto est orientale. Igitur vento factũ est, vt mare, sine nauibus, posset transiri; & vento, vbi mare non cedit, naues impelluntur: quæ, vt in omnes partes possent agi, variæ sunt ventorum stationes.

§. VII.

Ventorum Dominus est solus Deus.

Hæc, & plura eiuscemodi ventorũ commoda, Theologi, Philosophi, &, cum illis, Eugubinus, enarrant; vt proinde meritò illi, inter Dei thesauros enumerẽtur, qui *educens nubes ab extremo terræ; fulgura in plu-*

Eugub. lib. 7. perẽn. Philosoph. cap. vlt. Psal. 134. 7.

uiã fecit: *Qui producit ventos de thesauris suis*; ad quorum motum, & causſam rimandam, multi accesſerunt, nemo adhuc penitus peruenit. Solus DEVS verus, (nõ Æolus aliquis, aut Neptunus,) eos habet in potestate; vel inde agnoscendus viuere, ac spirare. Sicut, quando Christus *surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Hoc ventorum dominium ad solum DEVM pertinere, iam tum etiam diuinę indolis puer agnouerat, B. Aloysius Gonzaga. Siquidem *Iacobũ Principem, etiã tum paruulum, è feneſtra prospectantem, ventus vehementiori flatu incesſebat: cui ille pueriliter indignabundus:* HEVS vente, *inquit*, impero tibi, vt molestiam mihi exhibere desinas. *Tum Aloysius, qui proximus astabat, opportunitate vsus:* Potes, *inquit*, Domine, homines, dictis obedientes nancisci, in elementa autem solius DEI imperium est, cui & te parere oportet. *Rex, vti de omnibus filij rebus solebat, ita de hoc quoque mandato, quod vento dederat, atque de Aloysij apophtegmate certior factus, in loco, & prudenter dictũ esse judicauit.* Solius enim DEI in vẽtos est potestas, quam sanè luculentã ostendit,

Matth. 8. 26.

Virgil. Cepari-us. De vit. B. Aloysij lib. 1. cap. 7.

teste

teſte Sigiberto, Anno 1081. *cùm campanile Eccleſiæ S. Petri Maldemburgenſis, in Belgio, (quam, ipſo Apoſtolo ſibi reuelante extruxerat, & conſecrârat S. Vrſmarus Epiſcopus) vehementi vento flante euulſum, inq; terram inuerſum, ita in aëre penderet, vt tum ſui ipſius, tum vicinorum omnium ruinam minitaretur, populúſque in 6. dierum, totidémque noctium ſpatio tractaret, quanam ratione, hinc inde extractis machinis, ſurſum erigi poſſet; ecce prid. cal Ian. circa noctis medium tota Eccleſia intus ac foris luce ignea diuinitus impletur: ipſum verò campanile totũ ſimul erigitur, ſuiſque in ſedibus firmiſsimè, campanis mox ſonantibus, reponitur.* Hoc imperiũ in ventos, ſolus DEVS habet.

§. VIII.

An, & cur Deus etiam magis, in ventos permittat poteſtatem?

Vel fabuloſum igitur, vel Magicum fuit, quod Suidas refert, cùm aliquando Eteſiæ ita vehementer flarent, vt fruges ſternerẽt, Empedoclem Agrigentinum, nouo philoſophandi genere, juſſiſſe aſinos, *animal ſine fraude doloq;* excoriari, & vtres fieri, eóſque in promontorijs extendi, vt ventum vtiq; aſininum exciperent. Quo ſopito, appellatus fuit κωλυσανέμας; quaſi *prohibitorem ventorum*

torum dicas. Sisti enim, & excitari, si DEVS permittat, etiam dæmonũ arte, ventos, non solùm vtres Vlyssi, alijsque dati, & nodi sudariolorum vincti, vel soluti, ac ventũ in silentia ligantes, vel in maria emittentes, venditi, sed ipsæ etiã diuinæ litteræ docent; in
Iob. 1. 19. quibus ad Iob dicitur: *ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Quæ, mali genij suggestione & opere, facta sunt; non tamen antè, quàm DEVS illi diceret; *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* E quibus, instruimur, ventos & tempestates cieri quidẽ à malignis spiritibus, qui ministri sunt pariter & rerum aduersarum procuratores; non posse autẽ cieri, nisi potestate concessa ab eo, cui summũ imperium est in ventos, & omnem creaturam. Permittit autem eam potestatem, vel ad castigandos homines; vel ad probandos; vel, si peruicaces sunt, vt impleant numerũ ac mensuram peccatorũ. Perinde autem est, seu immittantur, hac arte, venti, seu inhibeantur: vtroq; modo nocere possunt: cùm sit & procella, & malacia nauigantibus periculosa.

§. IX.

Et nimium, & nullum ventum nocere posse.

Ni-

Rob. An. 1135.

Nimirum verè *aurea* est *mediocritas*; &, in omni re, *nimis multũ, & nimis parum est perniciosum.* Hinc Anno 1135. nimius ventus multas turres atque ædificia subuertit. Sed & subtractio venti est exitiosa. Quo pacto Eunapius tradit, vrbe Constantinopolitanâ in magnam rei frumentarię difficultatẽ adductâ, naues in diuersas dimissas fuisse partes, quæ frumentum deueherent. Hæ, cùm onustæ redijssent, appelli ad littus, deficientibus ventis, nulla vi potuerunt. Quo cognito, populus vndiq; ad theatrum, sæua famis stimulatus rabie, conuolauit. Tum Constantinũ M. ea de re animi anxium, & tempestatis aduersæ rationẽ exigentem, æmuli, Sopatri Apamensis Syri sophistæ (qui propter insignem sapientiam, in aula Constantini ad inuidiam eminere conspiciebatur) in primísque Ablauius præfectus prætorio adierunt, atq; ita eũ affati sunt: *Quòd ventos votis refragari tuis vides, id scito Sopatri, quem tu tantis honoribus extulisti, peregrinâ & perniciosâ nobis sapientiâ fieri: is enim, qui Lunam potest de cælo deducere, eadem arte sua, ventos deuinxit; & , quò minùs nauibus aspirent, arcanis quibusdã verbis inhibuit.* Quâ re auditâ, ille offensus, Sopatrum properè

comprehendi, duci, ac ſecuri percuti juſſit. Adeò Magicæ artes exoſæ & deteſtabiles erant Conſtantino, vt eas, ſiue per calumniam fictas, ſiue veras, ne in chariſſimo quidē, atque doctiſſimo viro, vellet tolerare.

§. X.

Tempeſtatum potentes fœminæ punitæ, & puniendæ.

Sprãger. lib. quinque Iniquiſitorũ.

Nec noſtra ætas tolerat, apud eos, qui & juſtitiæ ſunt amantes, & ſciunt, ſe damnorum, per veneficos, & veneficia illatorum, vel judices, vel participes eſſe oportere. Narrat Sprangerus, Año 1488. in Conſtantienſi diœceſi, etſi coloni ſedulò feciſſent, tamē ventos, procellas, grandines, fulmina, & tempeſtates malas extitiſſe, quæ fruges omnes in agris, quatuor milliarium ſpacio, perdiderint. Inſpexit querelam magiſtratus. Megæræ comprehenſæ ſunt duæ, Anna de Mindelē, & Agne; eę ſeorſim confeſſæ ſunt, ſe, vno die, in agrum, cum pauxillâ aquâ, proceſſiſſe: &, quamuis vna conſiliũ neſciret alterius, effodiſſe ſcrobem, atq;, ſub meridiem, aquam ſcrobi infuſam conturbaſſe, adhibitis coniurationũ formulis, & magicis procurationibus: quibus abſolutis, ſimul ac domum reuertiſſent, procellam extitiſſe.

Eant

Eant nunc homines, & dicant: *aër ventos, aër grandines parit.* ipsi hæc homines pariunt. Sed & puniunt illi, qui nō consentiunt: consentiunt, qui non puniunt, cū possunt. Nam, eodem teste scriptore, alia saga agri Constantiensis, cùm videret, omnes sui pagi incolas, in nuptijs lætissimè conuiuari, saltare, tripudiare, ægrè ferens, se prętermissam, & ad hæc gaudia non inuitatā, procurauit, vt, clara luce inspectantibus pastoribus, per aërē, ab Orcino hirco, ad Phryxi & sororis eius modum, in collem exportaretur, pago propinquū. Ibi, cùm ei alia aqua deesset, mundissima Orci Nympha lotio scrobem impleuit, illudq; pulmentum bacillo, an furcâ, in gyrū ter tertium commouens, voces quasdā arcanas admurmurauit. Mox cælo, quod sudum serenúmq; fuerat, nubibus atris obscurato, venti ac grando, in saltantes, vehementissimè sæuierunt, &, tibicinū vice, functi, nuptiatores, extra chorum, atq; sub tecta saltare inuitos coegerunt. Saga domum, cornuto equo ligneo, reuecta, indicio pastorum, capta, viua igni fuit tradita, vt flammis lueret, quod aquis peccauisset. Hoc hominū genus accusemus, si ad votum nostrum non faciunt elementa,

Et Bodin. lib 2. Dęmon. cap. 8.

quæ

quæ bona esse mali non patiuntur. Ab hominibus discunt sæuire.

§. XI.

Ipsos sæpe homines ventorum ac tempestatum, & tenebrarum esse procuratores.

Senec. lib. 5. natur. qq. c. 18.

Sapienter Seneca ait: *Non queri possumus, de auctore nostri Deo, si beneficia eius corrumpimus, &, vt essent contraria, efficimus.* Et rursum: *Si beneficia naturæ, vtentium prauitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita tormentum est? Nihil inuenies tam manifestæ vtilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. Sic ventos quoque natura bonos futuros inuenerat; ipsi illos contrarios fecimus.* Neque venti tantùm irritantur, sed etiam lucidus aër, quem tenebriones, atrocissimorum authores facinorum, & opera tenebrarũ obscurant. Refert enim M. Paulus Venetus, Tartaros adeò pollere dæmonũ præstigijs, vt quasi lumen de cælo reuellant, tenebras, cùm velint, & vbi velint, inducant, diémq; ipsum extinguant, quare non neminem, à latronibus, hac arte circumuentum, vix euasisse; alios, velut loliginem sepia tectam, ita caligine velatos effugere, nec ab vllo cerni.

Vide & Cardan. de subtilit. libr. de dęmonib.

ni. Cui rei teſtis accedit Haitonus vir grauis, qui in ſua Sarmatarũ hiſtoriâ, inclinatã iam aciem Tartarorũ, in prælio, vexillarij præcantatione, dum tenebras offunderet obſcuriſſimas, reſtitutã, & victricẽ factam, litteris prodidit. Ab hominibus ipſis hæc, in aëre procurantur; ſua ergo, non DEI opera, accuſant, quando aërem caliginoſum accuſant; quia ipſi, cùm malè agant, dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, & luce, & tenebris abutentes. Nam omnia, prauis, fiunt *in arcum prauum*, qui telum retorquet in jaculantẽ: ita enim & illi lædũtur ab vſura omnium creaturarum. Pſalm. 77.

§. XII.

Tenebris homines, in multis rebus etiam bonis, juuari.

Alium in finem, aliũ in vſum mundi Machinator *diuiſit lucem à tenebris; quando appellauit lucem diem, & tenebras noctem.* Nam vtriuſque author eſt DEVS, cui dicitur: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox;* itemque: *Tuus eſt dies, & tua eſt nox.* Vnde jure alij, atque ex debito cecinerunt: *Benedicite noctes & dies Domino.* Quid ita? quia plurimas & ipſa nox habet vtilitates. Eo tempore, aër, terra, aquæ, beſtiæ, & homines, à diurnis æſti- Gen. 1. 4. Pſal. 103. 20. Dan. 3. 71.

ſtibus ardentes, refrigerantur. Eo tempore, mortales quietiùs dormiunt. Eo tempore, qui nauigant, ſtellis iter metiuntur. Eo tempore, qui orant, collectiùs meditantur. Eo tempore piſces copioſiùs ſolent capi. Vnde & Apoſtoli *per totam noctem* piſcantes, laborauerunt. Eo tempore, multi opera pia exercẽt, quę interdiu facere non ſinerentur. Qua de cauſſa & Tobias *rapiebat corpora occiſorum, & occultabat ea in domo ſua, & mediis noctibus ſepeliebat ea.* Atque vt etiam ad militiam veniã, eo tempore, tradit Frontinus, Iugurtham regem Numidarum prælia inijſſe, ſemperque inclinato die, confligere ſolitum; vt, ſi exercitus ſuus fugaretur, opportunam noctẽ haberet ad deliteſcendum. Quam etiã habuerunt Chriſtiani illi, quos Haytonus auctor eſt, in Georgianæ gentis monumentis proditum eſſe, in Alaniam compulſos, impia Sauorini Perſarum regis inſectatione. Imminente autem fugientium ceruicibus hoſtili ferro, extemporali miraculo euenisſe, vt profuga multitudo tenebris ſit repentè obſepta, in munitiſſimi valli ſpeciem. Ita tenebræ, quos texêre, etiã protexêre. Ita bonis nox noxia non fuit. Cuius rei gloria penes DEVM eſt, qui tantæ eſt poten-

Luc. 5. 5.

Tob. 2. 9.

Frontin. li. 2. cap. 1.

Sab. lib. 6. En. 10.

tentiæ, vt non tantùm creaturas habeat obedientes, sed ipsas etiã priuationes creaturarum; quibus ex luscis cæcos facit: tametsi tenebrę creatura non sint. *Nam lux quidem,* ait S. Gregorius Nyssenus, *vt esset, diuinum mandatum expectauit, tenebræ autem extiterunt, sine mãdato,* cùm mundus crearetur. S. Greg. Nyssen. l. Hexam.

§. XIII.

Tenebris illuminatum S. Dionysium Areopagitam.

Quin ipsis quoque tenebris, & extraordinaria eclipsi, nouit DEVS, vti ad homines illuminandos. Christo patiente, plus, quàm ad Thyesteam mensam, sol cohorrescens radios lucémque resorbuit; dies expalluit; &, *à sexta hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant* (tenebris) *timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.* Quod Centurioni prope crucem, id Dionysio Areopagitæ longè dissito contigit; qui eadem solis defectione *lumen ad reuelationem gentium* datum cœpit videre. Rem ipse, cùm in Apollophanem Philosophum inuehitur, his verbis memorat. *Quid de illo, quit empore crucis dominicæ fa-* Matth. 27. 45. Dionys.

Areopag. ad Polycarp. Baron. tom. 1.

cæ factus est, solis defectu dicturus es? eramus tunc ambo, apud Heliopolim, amboq; simul incidentem mirabiliter soli Lunæ globum notabamus (non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus) ipsamq; rursus, ab hora nona, ad vesperam, ad solis diametrum, supra naturæ vires, restitutam. In memoriam autem illius, renouat etiam aliud quoddam: nempe enim, (vt ipse non ignoras) eam Lunæ incidentiam, ab oriente cœpisse, & vsque ad solaris corporis finẽ peruenisse, ac tum demũ resilijsse, notauimus: neq; verò eadem ex parte, vt assolet, & incidentia illa, & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri.

S. Dionys. Areop. epist. ad Apollophan.

Idemque, de eadem re, scribens ad ipsum Apollophanem, agit his verbis. *Heliopoli tu quidem pænè mihi coæuus, & ego quinque & viginti ferè annorum tempus exsoluens, vnà morantes consederamus, cùm feria quadam sexta, & hora etiam pænè sexta, Sol horribilibus subitò est obsitus tenebris, Luna ipsum intercurrente: quia non Deus, sed creatura Dei, in ipsius veræ lucis occubitu, lucere non potuit. Quærebam enim tunc, apud te, qui mihi sanè sapientissimus videbaris: quid ipse inde sentires? tu verò mirabili prudentia subintulisti, quod vsque adeò penetralibus mentis meæ inhæsit, vt nulla obliuione deleri, nulla vnquam valeat mortis imagine deleri.*

leri. Offusi enim tenebris ipsi erramus, orbem solis, vndiquaque, & ex æquo, occupante caligine: &, postquam repurgatio, & restitutio facta est, Luna ad Solis diametrum conuersa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridæi assumpsimus. Cumq; reperissemus, quod & erat notissimum, eo tempore, solem eclipsis molestias laboresq; minimè perpeti debuisse, ac nihilominus Lunam ab occidente solarem splendorem pullis nigrantibusq; velis obduxisse: cùm soleat ex occidua parte solem ingredi: tunc autem opifices lucis thesauros caliginibus, quas ipsa genuerat, ad occiduos vsque solis fines, peruagata (vt ipsi putauimus) occultauit: Cùm tamen, & lunæ tempus deesset, nec coitûs vicinum tempus esse, cognosceretur. Aio ad te (neque enim adhuc mysterij tantæ rei conscius erã) O ingentis prudentiæ promptuarium, quid, inquam, ô Doctrinæ speculum, Apollophanes, his secretis adscribis? Ad hæc, nescio quo pacto, diuino quodã afflatu, & non humani sensus sermone subintulisti: Hæ, ô bone Dionysi, diuinarum vicissitudines sunt rerum. Deniq; verò adnotatum diligenter feriæ diem, & annum annuntiatione, qua sacer Paulus nostris attẽtis auribus infudit, consentientibus signis conspirare, & concordare experius, manu veritati submisi, & ex falsitatis nexi-

bus ſubabſolutus, quam quidem veritatem mirificè effero, quam & tibi communico. Hæc de ſe S. Epiſcopus Dionyſius, & de Apollophane: quibus vtriſque voluit ille, *qui lucem habitat inacceſsibilem*, per tenebras innoteſcere; & vni quidem innotuit, alter verò, quia, in ipſis tenebris, tenebras ſuas magis, quàm lucem amauit, veteri amico occaſionẽ præbuit, per eas ipſas tenebras, diuinam lucem prædicandi. Itaq; non ſolùm ſolis ſplendore, per aërem diffuſo, ſed ipſo etiam ſolis defectu, & caligine vtitur DEVS, ad fidei lumen mortalibus inferendum. Qui enim à luce non dependet, illi perinde eſt, de quauis re illuminare.

§. XIV.

Quàm horrendæ fuerint tenebræ, quibus Ægyptij fuêre puniti?

Quanquam non rarò his etiam inſtrumentis vtitur, tam ad ſeruos ſuos illuſtrandos, quã ad obſcurandos hoſtes, & plectendos; docendóſque, & quas olim in inferno paſſuri ſint, & quas iam, in animo tenebras patiantur. Quem in finem, *dixit Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam in cælum, & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti tam denſæ, vt palpari queant. Extenditque Moyſes manum*

Exod. 10. 21.

manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles, in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat, vbicunque autem habitabant filij Israël, lux erat. Vbiplura sunt consideratione digna. 1. Tenebras has non accidisse, absentiâ Solis, sereno enim die, repentè ofusæ sunt; quæ diurnæ, vt magis insolitæ, quàm nocturnæ, ita fuêre etiã mirabiliores. 2. Nec accidisse defectu maiore solis, seu eclipsi; conspecta enim essent tunc aliorum siderum lumina, cùm tamen Ægyptij omni lumine priuati memorentur, nec potuisset eclipsis naturalis vel vnam horam, ne dum tribus diebus perdurare. Præterquam, quòd non in Ægypto tota, sed vbiq; eclipsis soleat esse, & generalis. 3. Verisimiliùs loqui Philonem, cuius hæc sunt: *Sereno die, repentè offusæ sunt tenebræ, continuis densisq; nubibus cælũ subtexentibus, & nimia constipatione, intercluſis radijs siderum, vt dies nihil differret à nocturna caligine.* Ob quam caliginosi aëris densitatem dicitur, alio loco: *Nec siderum limpida flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.* 4. Hinc etiam, ob eandem spissam multorum crassissimorũmq; vaporum eleuationem, aër ita fuit condensa-

Philo; lib. 1. de vita Moysis.

Sapi. 17. 5.

tus, vt tactum admitteret, fierétq; palpabilis. Neque enim aliter tenebræ esse palpabiles potuerunt; cùm corpus esse debeat, quod palpatur, non priuatio; neque tenebræ tactu, sed visu percipiantur; oculis, non manibus, deprehendendæ. Certè ob magnitudinem obscuritatis, homines, more cęcorum, palpando parietes ingredi cogebantur. 5. Ob hanc caliginem & diurnam, diuturnámque noctem, *Nemo vidit fratrem suum:* non quia impedita erat oculorum acies, quasi essent Ægyptij cæcitate percussi, vt Sodomitis, & militibus regis Syriæ contigit. Medio enim nõ lucido, aut pellucido, nemo quidquam, nisi noctuæ aut felis oculos habeat, videt. Quemadmodum, in Sicilia, etiam euenisse scribit Cicero, his verbis: *Nos tenebras cogitemus tantas, quantæ quondã eruptione Æthnæorum ignium, finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominẽ homo agnosceret. Cùm autem, tertia die, sol luxisset, tunc, vt reuixisse sibi viderentur.* 6. Ob hanc ipsam aëris densitatem, *ignis nulla vis poterat illis lumẽ præbere.* Adeoq; non juuabat, faces, tedas, lucernas, cereos, aut lampades accendere, in remedium tenebrarum; vel quia omne lumen artificiosum

Gen. 19.
4. Reg. 6.
Cic. lib. 2. de Nat. Deor.
Sapi. 17. 5.

sum illico extinguebatur; sicut fit in metalli fodinis, quando aër non ventilatur: vel quia caligo illa ita fuit densa, vt cuiuslibet lucis aspectū auferret, nec ab vllo lumine posset penetrari. 7. Ob hanc caussam, nemo *mouit se de loco, in quo erat*, toto illo triduo. Putant nonnulli, penitus immobiles fuisse; alij, de loco, in locum non migrasse; alij, de domo in domū non egressos; Philo, non esse ausos se mouere loco, ne offenderent; aut, si necessitates corporales vrgerēt, ægrè ingredi potuisse, & non, nisi parietibus palpatis; ac instar cochleæ cornua protendentis, quauis re obuia, iterum sub testā reuocāda. Quod vtiq; tenebris ascribi potest. Crassi⁹ illud est, quod nonnulli putant, tantam fuisse crassitiem densitatémque aëris, vt, cum aspectu lucis, motum progressiuum impediret. Non impediuisset gressum tantummodo, sed ipsam etiam respirationem; cùm vel aqua suffocet, quam tamen possumus superare gradiendo. Verissimè dicitur, Ægyptios, præ metu, se non ausos esse mouere. Metum tenebræ conciliabant, & in tenebris auditi horribiles sonit⁹, & visa monstrifica. *Sonitus*, ait Scriptura, *descendens, perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes*, Sapi. 17. 4.

tes, pauorẽ illis præstabant; & transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti tremebundi peribant. Ob has causſas pauefacti, metuebant, si se mouerent, ne quàm primũ

Ibid. v. 18. perirent. Itaque *vna catena tenebrarum omnes erant colligati: & longæ noctis vinculis compediti tenebantur, in carcere, sine ferro recluſi.* 8. Ne quis autem putet, in tam densis tenebris, Aegyptios tam terrifica monstra videre non potuisse, addit diuinus textus:

Sapi. 17. 6. *Apparebat illis subitaneus ignis timore plenus: & metu perculsi illius, quæ videbatur, faciei,*

Ibid. v. 1. *existimabant deteriora esse, quæ nõ videbantur. Magna sunt enim judicia, tua Domine,* ait ibidem Scriptura, *& inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt. Dũ enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarũ, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ jacuerunt.*

§. XV.

Quàm mirabile fuerit, inter Ægyptiorum tenebras, Israëlitis lucem non defuisse?

Ibid. v. 20. Talibus tenebris aër contumacẽ superbiam puniuit; cùm interea *omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur: solis autem illis super-*

ſuperpoſita erat grauis nox. Et quod plus eſt, in ipſa *Ægypto, vbicunque habitabant filij Iſraël, lux erat.* quod ingentis miraculi loco habendũ eſt. Quippe Hebræi, in terra Geſſen, cum Ægyptijs permixti indiſtinctè habitabant; erantque domus eorum vicinæ contiguæq; domibus Aegyptiorum; vt intelligi poteſt, ex poſtibus, ad eas domos diſcriminandas, ſanguine Agni illitis & notatis; ac cæde primogenitorũ Aegypti, qui in domibus non ſignatis inueniebantur: itemq; ex ijs, quæ, ſub diſceſſum, commodatò ab Aegyptijs vicinis Iſraëlitæ acceperũt. In eadem igitur platea, hîc Iſraëlita, ibi Aegyptius; immo non è regione tantùm, ſed etiam proximè adſitis in ædibus eodem ſæpè muro ſultis habitauerũt. Et tamen, cùm adeò prope, & in tam arcta permiſtione degerent, intra paucos paſſus, tantùm fuit diſcrimen, vt, vbicunque Hebræi eſſent, clariſſima, lætiſſimaq; luce fruerentur; vbi autem Aegyptij, quamuis Hebræis proximi, in denſiſſimis, mœſtiſſimiſque tenebris verſarentur, DEO aëris denſitatem, & ſiderum radios ita moderante, vt Hebræi filij lucis, lucidiſſimo lumine, ac ſole amœniſſimo gauderent; Aegyptij pluſquam Cimmerijs Exod. 10. 24.

tenebris inuoluti, mortuos, aut certè inter vmbras, se esse arbitrarentur.

§. XVI.

Luce abutentes, Dei luce indignos esse.

Quid est hoc aliud, quàm Deum bonis adesse, & à malis justissimè manum suam subducere? Tantáne affectum quenquam hominem esse audacia, vt Domino suo toties rebellis fieret, & Dominum semper conniuere oportebat? Apud Romanos, teste Gellio, ignem à Flaminis Dialis domo, nisi in sacrũ, efferri jus non erat. Et canones Apostolorum vetant, de Christianorũ oleo lucernas Iudæorum, aut Gentilium incendi. Sic enim habet Canõ septuagesimus: *Si quis Christianus oleum tulerit ad sacra Gentilium, vel Synagogam Iudæorum, festis ipsorum diebus, aut lucernas accẽderit, de societate pellatur.* Apud Phœdrum etiam indignissimè factum putatur, quando

Phædr. l. 4. fab. 68.

Lucernam fur accendit ex arâ Iouis,
Ipsúmque compilauit, ad lumen suum.

An non indignetur DEVS, si de sole suo videat acceptam lucem conuerti, non solùm in vsus profanissimos, sed etiam sacrilegos? an non meritò diem extinguat? facémque illam auferat, in Creatoris laudes, nõ in in-

jurias

jurias conditam ac lucentem ? An Pharao, cum assecliſ ſuis, dignus erat, quem vel ſol aſpiceret ? vel qui purum diem ipſe intueretur? Ieremiam Prophetam innocentiſſimũ proceres, Sedeciæ regis permiſſu, in foſſam regis filij demiſerunt, in qua collo tenus demerſus eſt, in cœno, vt caput ſolùm extaret. Et alij reges, à quibus offenſi ſunt, eos in carceres obſcuriſſimos conijciunt. Cur DEVS Aegyptios tam præfractos in hanc Tænariam caliginem non compegiſſet, in qua, *vna catena tenebrarũ omnes erant colligati: & longe noctis vinculis compediti tenebantur, in carcere, ſine ferro recluſi?* Enimuerò potuit eos etiam mittere *in tenebras exteriores*; quemadmodum & Iſraëliticum populum ſuum luce perfudit. Qua de cauſſa Pſaltes regius DEVM ita alloquitur: *Cũ ſancto ſanctus eris: & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris. Quoniam tu populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.* Quis hæc ad animum ſuum admittens, non malit, pro DEO, quàm contra DEVM ſtare, & pugnare? pro quo ipſe aër ſtat, & pugnant mundi elementa? Vſque adeò non juſtè duntaxat aër intemperijs agitur; verùm etiam ipſis nos

Ierem. 38.

Sapi. 17. 18.

Pſalm. 17. 28.

intemperijs erudit, vt tales erga Creato-rem ſimus, quales volumus erga nos eſſe alias creaturas.

§. XVII.

Tenebræ Ægyptiorum, tenebris peccatorum pares, & dignæ.

Et tamen ſunt, qui malunt Aegyptios quàm Hebræos, Pharaonem, quàm Moyſen imitari, ita quidam profundè cœci ſunt, & ſenſibus omnibus obtenebrati. Ad quas tenebras diſpellendas, idem Dauid orans ait:

Pſal. 17. 31. *Domine Deus meus, illumina tenebras meas.*

Quæ vtiq; non erant tam denſæ, vt illæ Ægyptiorum, & tamen à viro ſalutis amante timebantur, in exemplum eorum, qui cùm ſint in rebus ad virtutem pertinentibus noctuæ, tamen ſe aquilis putant eſſe perſpicaciores. Ad eaſdem hominibus fugiendas & deteſtandas, Aegyptiæ tenebræ ſedulò expenſæ vtiles ſunt. Nam vt illæ, teſte Origene, ſignificabant extremam Pharaonis, & Ægyptiorum cæcitatē, qui tot percuſſi plagis, tot icti prodigijs, totq; viſis miraculis, nondum ſapuerunt, neque DEI adhuc potentiâ agnouerunt, vt voluntati imperioq; eius ſe ſubmitterent: ita ſunt hodiéq; multi, ſuâ malitiâ, Numiniſq; pœnâ adeò mente exo-

te exoculati, vt tenebræ eorum, hoc est, inscientia grauis, errores phanatici, judicia falsa & peruersa, hæreses turbulentæ, tanquam nebula, palpari, & à quouis sano homine liquidò deprehendi possint. Ita namq; *obscuratum est insipiens cor eorum,* vt odia justitiam, vindictas generositatẽ; rapinas militiam, blasphemias elegantiam; cædes iniquas priuilegium; superbias honestatem; ebrietates quotidianas officium suum esse judicent; imo in circulis & poculis jactent. Quãta caligo, quæ cęcitas, quę rabies mentis est, non erubescere, non videre turpitudinem furiosissimarum libidinum? nefanda flagitia, tanquam glorioſa facta, de seipso fingere, commemorare, prædicare? *Nonum præceptum est,* ait S. Augustinus, Non concupiscès vxorem proximi tui: *& nona plaga Aegypti fuit caligo palpabilis. Nimirum magnæ sunt animi tenebræ, non esse contentũ vxore sua, sed alienam appetere, alienumq; polluere torum. Est profectò palpabilis cœcitas animi non aduertentis, nihil esse, quod magis doleat patiens injuriam istam; nec, quod minus vellet sibi fieri, qui eam facit. in qua sanè duplex est, tum intemperantia, tum injustitiæ crimen execrandũ.* Detestamur Aegyptiorum cœcitatem, quo-

Rom. 7.

S. August. Exod. 20.

rum

rum numina in hortis crescebant, qui lapi-
des & ligna, & bruta, colebant, qui feles,
qui boues, qui crocodilos profanissimâ reli-
gione adorabant. At quàm multi sunt, etiã
Phil. 3. 19. non Aegyptij, *quorum Deus venter est*? &
summum bonum Venus & Bacchus? Plutus
& Cupido, cæca numina, & cæcantia? in
quibus, quisquis delicias & libidines facit,
non homo est, sed libidinosus caper, aut
Epicuri de grege porcus.

§. XVIII.

Quàm horribiles futuræ sint tenebræ infernales?

Nonne hæ tenebræ tenebras æternas me-
rentur? Atqui istarum horrorẽ hominibus
vt inferrent, tenebræ illæ Aegyptię, in diui-
nis litteris, tam graphicè describuntur; quę,
si horribiles fuerunt, longè profectò erunt
istæ in Acherũte horribiliores. Illæ tenebræ
densæ & tactiles fuerunt; erunt in inferno
densissimæ. Illæ, nec absente, nec deficiente
sole, cõtigerunt; in inferno, nullus erit, nec
redibit sol, sed nox sempiterna. Illæ nubium
constipatione natæ sunt; in inferno ater fu-
mus lucem omnem eripiet; nisi quando, ad
ingens damnatorum tormentum, metuen-
dus ignis per acerbas vices, interlucebit; si-

cut

cut contigit, quando Aegyptijs *apparebat subitaneus ignis timore plenus: & metu percussi illius, quæ videbatur faciei, existimabant deteriora esse, quæ non videbantur.* In Aegyptijs tenebris, *nemo vidit fratrem suum;* in inferno nox perpetua non aliter lucem excludet, quàm ne quidquam lætum oculis appareat; quæ tamen nox, vt dixi, suis interuallis, sulphureis crepusculis interrumpetur, vt damnati, quidquid est triste, videre, quidquid jucundum, non videre possint. In Aegyptijs tenebris nulla lux poterat solatio esse, nullum accensum lumẽ durare; in inferno, nulla erit diuina inspiratio, nullum à fide diuina, nullum ab Angelo, nullũ ab vllo homine lumen, nulla diei mica. In Aegypto tenebræ, vltra triduum, nõ durauerunt; Laponibus, quando sol occidit, noctem vnam ducit, per tres ferè menses brumæ; in inferno æternæ erũt tenebræ. In Aegyptijs tenebris, nemo *mouit se de loco, in quo erat;* in inferno, non ad triduum, sed in perpetuũ manebunt, quicumq; eò detrudi merebuntur. *sedet, æternumq; sedebit Infelix Theseus. Tenebræ Cimmeriorum,* prouerbio occasionem fecerunt, ob prodigiosam obscuritatẽ, quia ibi, vt Homerus canit, sunt.

Sapi. 17. 6.

Virgil. lib. 6. ÆEn. Strab. li. 1. Geograph.

Numi-

Homer. Odyss. l. 12.

Nubibus & caca assidnè caligine tecta.
Illos haud vnquam radijs sol aspicit ardens,
Nec quando astriferum curru petit arduum axem,
Nec rursum ad terras magno deuectus Olympo,
Sed nox incumbit miseris mortalibus atra.

Longè tristius est prouerbium, audire *tenebras exteriores*, desperatas, semper duratu-
Sab. lib. 6. En. 10. ras. Possunt proinde meritò considerari, in Aegyptijs tenebris: immo & in Georgorũ & Alanorum Scythica caligine, apud quos, pars regni, trium dierũ circuitu, tam densis obducta fertur tenebris, vt, ob tenebricosá formidolosamq; caliginem, nemo locum subire audeat, neq; cerni aliquid possit, in ea densitate tenebrarum. Qui in proximo habitant, exauditas aiunt inde voces hominum, gallorum cantũ, hinnitum equorum; nec horum quidquam visum; regionẽ ipsam Anisen vocari. Talis est sedes damnatorum,
Apocal. 16. 10. & Luciferi. Nam postquam *quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, factũ est regnũ eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas, præ dolore: & blasphemauerunt Deum cæli, præ doloribus, & vulneribus suis.* Eiuscemodi tenebræ nobis in mentem

sunt

sunt vocandæ, quoties nox, cum sole, diem sepelit; vt ad diem & solem nunquam occubiturum, tantò desiderantiùs aspiremus. Multos hæc meditatio, ab Orco, mortuos, in lucem reduces fecit.

§. XIX.

Molestiæ tenebrarum, in aëre, desiderium lucis æternæ accendunt.

Ex his conficitur, grande nos etiam ex aëre obscurato emolumentum capere; quia docemur & monemur, quòd sit *via peccantium complantata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Respuunt homines sæpe pulchram alioqui domum, eo solùm nomine, quia parùm luminis habere, neque satis ex dignitate eorum esse videtur. Discant hinc fugere *terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Discant, ad aërē liberiorem atq; lucidum aspirare. Discant, *in qua via lux habitet & tenebrarum quis, sit locus.* Ita vtique illis & clarus proderit aër, & obscurus. Hoc pacto, per aërem, ascendent ad aëris Conditorem, Bellerophonte velociores, quem Pegasus vexit; feliciores Perseo, qui à Mercurio talaria accepit; Musæo beatiores, qui Boreæ dono fingitur volí-

Eccli. 21. 11.

Iob. 10. 22.

Iob. 38. 19.

Pausan. in Attic. volitasse ; denique illo laudabiliores, de quo summus Poëta canit:

Virgil. lib. 6. AEneid. *Dædalus (vt fama est) fugiens Minoia regna,*
Præpetibus pennis ausus se credere cælo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos:

Sabellic. li. 2. ca. 6. & in eius vita. Immò potiùs Magdalenæ similes, quam tradunt; cùm in solitudine esset, statis diei horis, supra cælum, ab Angelis euectam. Quod si corpore non licet imitari, fas est tamen imitari affectu. Abaris Scytha ἀφεν-Cάτης dictus est, quòd, emissa sagitta, quam abApolline acceperat, cum ea vnà ferretur, vt scribit Herodotus & Iamblicus. Fabulam hanc veram facit, quisquis, non telum, sed affectum & desiderium in cælum jaculatur; &, cõsiderata hinc caligine, inde luce exclamat: *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: Et dixi, Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Profectò, qui eiuscemodi verba, velut ignitas sagittas ad DEVM sæpe effuderit: si non vnà cum illis, saltem post illa tandem, & corpore & animo sequetur. Solent corpora hominum

Psalm. 54. 5.

eò

eò trahi, quò desideria præcesserunt. Desideria autem hæc, quemadmodum cælesti luce inflammantur, ita gliscere incipiunt nauseâ tenebrarum; atque horrore caliginis efferuescunt.

CAPVT VI.

Beneficia Dei, ab Aquis, ob quæ meritissimò eum Sancti laudauerunt; & impatientes laudare deberent.

§. I.

Artificum, & instrumentorum varietas & vsus.

QVemadmodum lyræ vel citharæ concentus efficitur longè dulcissimus, quãdo manus apta, ad neruorum eliciendos sonos, accedit, & fides ad rectam intentæ sunt proportionem; quòd si verò magister desit, aut fides laxatæ, necesse est, illam perire concinnitatem; quippe & ars requiritur, & temperatio, sine qua nerui vel nullum, vel absurdũ sonum edunt: ita DEVS *ludit in orbe terrarũ*, Prou. 8. 31. ita ipsi etiam terrarũ incolæ homines. DEVS artifex est optimus, plectrum semper re-

ctè ducit, sed homines non sunt semper o-
ptima, & ad obedientiam facta instrumen-
ta: vnde nec sonum illum edunt laudis diui-
næ, quem eos edere oporteret. Quidam san-
Act. 5. 41. etiam percussi, *eunt gaudentes, quoniam digni habiti sunt, pro nomine* IESV, *cõtumeliam pati* atque in ipsa quoque exilia extrusi, suauis-
Psalm. 113. 1. simè resonant, & canunt: *In exitu Israël de Ægypto, facta est Iudæa sanctificatio eius.* Ni-
mirum qualis animus, talis sonus; respon-
Matth. 12. 35. détque menti vox; & *bonus homo, de bono the-
sauro profert bona: & malus homo, de malo the-
sauro profert mala.* Vis aliam audire citha-
Act. 5. 40. ram percussam & bene sonantem? Iudæi A-
postolis *cæsis denunciauerunt, ne loquerentur in nomine* IESV, *& dimiserunt eos: & illi quidẽ ibant gaudentes; omni autem die, nõ cessabant, in templo, & circa domos docentes, & euange-
lizantes Christum* IESVM. Dulcissimum hi so-
num ediderunt, quia rectè, atq; ex lege di-
uinæ harmoniæ fuerant temperati. Opti-
mum organum pulsat, quisquis pulsat pati-
entem. Quòd si DEVS percutiat, aut sinat
percuti impatientes, in quàm absurdos illi
sonos erumpunt? quantis Diris naturam de-
Iudic. 30. uouent? *Hi autem quæcunque quidem igno-
rant, blasphemant; quæcunq; autem naturali-*
ter

ter, tãquam muta animalia, nôrunt, in his corrumpuntur. Hinc mala exiſtit muſica, quia ipſi ſunt mala, & non ritè compoſita inſtrumenta; licet DEVS ſit bonus citharœdus; & adeò bonus, vt etiam, ad ſuam juſtitiam oſtendendam, in his ipſis *vaſis iræ*, rectè laudabiliterque diuinæ artem exerceat ſapientiæ. Bene enim ſonat juſtitia Numinis, licet malè reſonet hominis impatientia. Sic contra punctum canitur. Quòd ſi verò iam homines ipſos ludentes conſideremus, canunt quidam benè, quia boni; malè alij, quia mali; tametſi præſtantiſſima non illis modò, ſed iſtis etiam inſtrumenta ſuppeditentur. Neque dubium eſt, exceptis prauis hominibus, optima eſſe omnia totius Mundi inſtrumenta, in quibus omnibus, & Dauid, & tres pueri, & alij Sancti Numen laudauerunt.

§. II.

Elementorum terræ & aquæ conſortium mirè artificioſum, & vtile.

Inter hæc inſtrumenta, eſt tertia ſublunaris Mundi pars, *aqua*; & quarta *tellus:* quæ duæ partes, mirabili prouidentia, inter ſe, loci viciniâ, & elementi vtriuſq; mixturâ, cohærent. Hoc coñubio omnia gignuntur,

quæ necessaria sunt, ad vitam hominis sustentandam. Aridus & sterilis puluis esset terra, sicco cineri similis, nec frugis, nec pôderis quidquam ferre posset, farinæ instar, ponderi cedens, si humectata non coalesceret. Aqua igitur eam humectat, estque ei in *glutinum*, vt ait Philo. Qui, alio loco, id etiã inter admirabilia ponit, his verbis: *Nonne prodigiosum videtur, id, quod dissolubile est, contineri à dissolutiuo, videlicet terram ab aqua?* Nec contineri tantùm, sed & fructiferum fieri, scilicet, *qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absq; numero*, ille etiam *dat pluuiam super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa*. Hoc beneficium ab aquis terra, &, per terram, accipiunt mortales. Sed & vicissim terra aquas, & per has, mortales omnes, beneficio afficit, non solùm dum eas sustinet; sed etiam quia aquæ, per canales terræ, limpidissimè percolantur, extractaq; salsedine ex adustis exhalationibus commixtis nata, fiunt dulces, atque potabiles, & idoneæ ad germina, sine morsu, aut vredine, nutriẽda. Fuêre, qui *cunctorum originem esse* dicerent, *ignem & aquam*, apud Arnobium. In diuinis legimus: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terrã,*

Philo in Cosmop. Idem lib. de plantat. Noë.

Iob. 5. 9.

Arnob. li. 2. contr. Gent.

Gen. 2. 20.

sub

sub firmamento cæli. Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile, ſecundùm genus ſuum. Quo loco, per *reptile*, piſces intelliguntur, qui pedibus deſtituti, quaſi repunt. Eſtq; in mari tãta varietas, vt exprimat omne genus terreſtrium beſtiarum: tanta ad facilẽ conuectionem opportunitas, vt, Theodoſio teſte, *vnius nauis onera vix aliquot millibus jumẽtorum vehi poſſent.* Quanquam neq; fluuij ſunt nauium impatientes; quorum nonnulli aurum arenis miſcent. Itaq; ſi eſurimus, alit nos aqua piſcibus; potum præbet, ſi ſitimus. Quin & ſi aurum, ſi margaritas quærimus, in illa reperimus. Si iter facturi ſumus, vehit nos; & ſi quid eſt lutulentum, valet ad ſordes abluendas; ſi quid intutum, ad ciuitates muniendas, diſtinguendáſq; regiones, intercurrit. Neq; hortos quidquam magis animat, quàm aquæ, in omnes delicias hinc de petra, inde de menſa, alibi de concha, vel de ſtatua, ſalaciſſimè ſalientes. Quod ſi quis ægrotet, vel acidulas habet, vel thermas, quibus reſtauretur. Quocirca, vt puteum quondam Patriarcha *abundantiam*, ita nos omnes aquas beneficiorum diuinorum *ab-*

Theod. ſer. 2. de prouid. ſub finẽ.

Gẽ. 26. 33.

undantiam possumus appellare. De quarum vtilitatibus ac laude prolixè agit Petrus Damiani, Vitruuius, & Lælius Biſciola. Illud prodigij loco haberetur, niſi quotidiana experientia in contemptum veniret; quòd aqua aëre multò grauior, tamen ſupra aërē aſcendat, & in ſublimi ſuſpenſa feratur, volitetque, plumæ aut lanæ inſtar. Quam ob
Iob. 26. 8. cauſſam à Iob DEVS laudatur, tanquam ille ſapientiſſimus artifex. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis: vt non erumpant pariter deorſum.* Vbi mihi videtur Iob nubes non tantùm conſideraſſe, tanquam fœcundas pluuiarū matres; ſed etiam, vt quædam picturata, & auro relucentia tapetia, veláque ſoli oppanſa, ad optatam hominibus extra tecta verſantibus vmbram inijciendam: quod vix magnis ſumptibus, in theatro Romano, legimus impetratum.

§. III.

Aquarum aſtimatio apud Romanos.

Ob has aquarum vtilitates, vel neceſſitates, vel jucunditates, nulli mortales ſumptui, nulli labori parcunt, vt in vrbes, vicinias, domóſue ſuas deriuentur. Hinc tanta, per
Strabo. lib. 15. aquæductus, Romæ olim, aquarum vbertas influebat, vt, per vrbem atque cloacas

toti amnes inundare viderentur, & vniuersæ propemodũ ædes, subterraneos meatus, siphones ac fistulas venosas haberent. Quorum accuratissimam diligentiam M. Agrippa egit, qui vrbem pluribus alijs monumentis adornauit. Vnde, apud Suetonium, Augusti jocus, flagitante vini largitionem populo: *Satis ab Agrippa genero suo prospectum dicentis, ne populus sitiret.* Plinium audiamus. *Clarissima*, inquit, *aquarum omnium, in toto orbe, frigoris salubritatisque palma, præconio nobis Romæ* Marcia *est, inter reliqua, Deûm munere vrbi tributa. Vocabatur hæc quondam* Aufeia, *fons autẽ ipse* Piconia. *Oritur in vltimis montibus Pelignorum, transit Marsos, & Fucinum lacum, Roma non dubiè petens. Mox specu mersa, in Tiburtina se aperit IX. M. Pass. fornicibus structis perducta. Primus eam in vrbe ducere auspicatus est Ancus Marcius, vnus è regibus. Postea Quintus Marcius rex in prætura. Rursúsque restituit M. Agrippa. Idem &* VIRGINEM *adduxit ab octaui lapidis diuerticulo II. M. passuum, Prænestina via. Iuxta est Herculaneus riuus, quem refugiens Virginis nomen obtinuit. Horum omniũ comparatione differentia supradicta deprehenditur, cùm quantum Virgo tactu, tantum*

Plin. lib. 31. cap. 3.

præstet Marcia hausţu. Quanquam vtriusqu iam pridē vrbi periyt voluptas, ambitione, auaritiaq;, in villas ac suburbana decoquentibus publicam salutem. Hæc ille. De nostra ætate nihil attinet dicere. Oculi nobis dicunt, quanti fiant aquæ. Vino faciliùs careremus: &, ab aquis homines fieri vigilantiores, dulcioribusque somnis, quàm vini potores, frui, docet Philostratus.

Philostrat. lib. 2. de vit. Apollonij. cap. 14.

VI.

Aquæ commendatio, est hostilis aquæ subductio.

Pretijs porrò aquarum, vel inimici, aut hostes subscribunt; qui, cùm aquas auertunt, aut auferunt, plurimùm se auferre arbitrantur. Isaaco *inuidentes Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore, obstruxerunt, implentes humo. Rursum fodit alios puteos, quos foderāt serui patris sui Abrahā, & quos, illo mortuo, olim obstruxerat Philisthim, appellauitq; eosdem nominibus, quibus antea pater vocauerat. Foderuntq; in Torrente, & repererunt aquam viuā. Sed & ibi iurgiū fuit pastorum Gerara, aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei, ex eo, quod acciderat, vocauit* calumniam. *Foderunt*

Gen. 26. 15.

Alij

autẽ & alium: & pro illo quoq; rixati sunt, appellauitque eum inimicitias. *Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt. Itaque vocauit nomen eius*, Latitudo, *dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.* Pro re leui nõ contendunt, nisi leues. Hîc inter grauissimum Patriarcham, & inter Abimelech regem, ac Philistæos, de puteis lis toties mota est. Apparet igitur vel hinc, magnum eos, in puteis momentum posuisse. Quod etiam fuit videre, in Holoferne Bethuliam obsidente, qui, *dum circuit per gyrum, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum, à parte Australi, extra ciuitatem dirigeret; & incîdi præcepit aquæductũ illorum. Erant tamen non longè a muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potiùs, quàm ad potandum. Sed filij Ammon & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filij Israël, non in lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio constituti. Vt ergo, sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, vt non hauriant aquas ex eis; & sine gladio interficies eos: vel certè fatigati tradent ciuitatẽ suam, quam putant in montibus positam superari non posse.* Iudith. 7. 6.

Et placuerunt verba hæc, coram Holoferne, & coram satellitibus eius, & constituit, per gyrum centenarios, per singulos fontes. Cumq; ista custodia, per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non esset, intra ciuitatem, vnde satiarentur, vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie. Eiusdem modi historijs strategematũ libri sunt pleni; è quibus perspicuum est, magnum esse, in aquis, beneficium, grande momentum: quod tantò pluris vt fiat, finit DEVS homines, negatione aquæ, intelligere. Valde enim charum nobis debet esse, quo tã ægrè caremus. Deniq; id, vbi deest, summo labore atq; sumptu, effossis puteis, quærimus; quod passim alibi, & totis riuis fluuijsque diuina nobis bonitas largitur.

Theod. serm. 2. de pro-uid.

§. V.

Aqua bis à Moyse data, duplicis fontis à Christo nascente & moriente dati, figura.

Quamobrem & ipsi sancti beneficia præstituri, fontes aperuerunt. An non enim *tulit Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine, ante petram, dixitq; eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus*

Num. 20. 9.

eyce-

eiçere? Cumq; eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet, & jumenta. Erat autem hæc alia petra, & alia percuſſio ab illa, quæ in Exodo memoratur. Hæc enim facta eſt, in Raphidim, juxta *Sinai*, anno primo vel ſecundo, poſt egreſſum ex Ægypto; illa autem altera, in deſerto *Sin*, apud Cades, ſub initium anni quadrageſimi, poſt exitum ex Ægypto. Igitur bis hoc beneficium prodigioſum pręſtitit populo Moyſes; ſicut & alter Moyſes Chriſtus, à quo, ceu fonte perenni, aut jugi aqua, omnium cœleſtium & terrenorum beneficiorum, itidem legimus, duos vberrimos ac ſaluberrimos fontes nobis excitatos: à naſcente vnum, alterum à moriente. Vt enim de dulciſſimis & diuiniſſimis fontibus lachrymarum nihil dicam, naſcẽte in ſpelunca Chriſto, inibi, ad ea, quæ, vſus quotidianus poſcebat, è petra fluxit aqua, quæ nunquam fugit, neq; potuit exhauriri; manſitque diutiùs diuinæ virtutis egregium monumentum. Siquidẽ adhuc Bedæ tẽporibus, vigebat cunctis perſpicuum & venerandum tantę rei prodigiũ. Quod ipſe à teſte, qui hæc viderat, ſanctiſſimo Epiſcopo acceptum, his verbis, ſcriptis man-

Exod. 17. 6.

Beda de locis sanct. c. 8.

mandauit. *Hæc spelunca tota interiùs speciosi marmore tecta, supra ipsum locum, vbi Dominus natus specialiter traditur, S. Maria grandem gestat Ecclesiam. Petra, juxta murũ, cauata primùm Dominici corporis lauacrum, de muro missum suscipiẽs, hactenus seruat: quæ, si qua fortè occasione, vel industria fuerit exhausta, nihilominus continuò, dum respicit, sicuti antè fuerat plena, redundat.* Hunc fontẽ dedit salutis nostræ fons; cùm viuere cœpit; postquam viuere desijt, alium nobis fontem

Ioan. 19. 34.

donauit. Siquidem *vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Vigilanti verbo Euangelista vsus est*, ait

S. Augustin. tract. 120. in Ioan.

S. Augustinus, *vt non diceret: Latus eius percussit, aut vulnerauit, sed* aperuit; *vt illic vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta Ecclesiæ manârunt. Hoc & prænunciarat, quod Noë, in latere arcæ ostium facere jussus est, quò intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia.* Dignatus est

Ioan. 4. 8.

Seruator ad Samaritanam dicere: *Da mihi bibere;* cumq; illa tergiuersaretur, *respondit* Iesvs, *& dixit ei: Si scires donum* Dei, *& quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Mirũ est, tot homines non dignari petere hau-

stum

stum à Christo, & à Christo propinante ac inuitante, imo *aquam viuam* promittente. Nam profectò talem in SS. Eucharistia haustum propinat; haustum è latere suo profluentem. *Itaq; , quia hinc suscipiunt principiũ sacra mysteria* , inquit S. Chrysostomus , *cùm accesseris ad tremendum calicem, quasi ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas.* Vt autem videamus , eum non solùm dedisse fontes salubritate, atque in medendis corporibus nobiles, sed dedisse tunc, cùm causas habuit negandi : tunc aquæ & sanguinis fons, in latere eius, est ruptus, cùm homines illi, in potum fel & acetum porrexissent. Ita absinthia nostra nectare suo cõpensauit.

S. Chrysost. hom. 84.

§. VI.

Alij fontes à Christo donati, Romæ, in AEgypto, in Emmaus.

Quin & alios salutares à Christo fontes promanasse , probæ authoritatis scriptores tradiderunt. Nam , sub eius Natiuitatem , vt scribit Eusebius, Romæ, è taberna meritoria, trans Tiberim oleum, è terra, erupit, fluxitque , toto die , sine intermissione. *Quo signo*, ait Orosius, *quid euidentiùs, quàm in diebus Cæsaris, toto orbe, regnantis, futura Chri-*

Eusebius in chron.

Oros. hist. lib. 6, cap. 19.

Christi natiuitas declarata est? Christus enim unctus interpretatur. In Ægypto quoq; nobile monimentũ habitationis suæ Christus adhuc admodum puer reliquit; quod & ab alijs traditur, qui eò sunt peregrinati, & a Burcardo sic describitur: *Inter Heliopolim & Babyloniam, medio fermè loco, est balsam hortus.* Et post multa: *Rigatur hortus ille ex paruulo fonte, sed vbere, in quo fama est, B. Virginem* IESVM *paruulum pluries lauisse, panniculosq; eius mundasse, cùm esset in Ægypto, propter metum Herodis: est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccasse. hæc omnia venerantur à Christianis & Saracenis.* Neq; puer magis, quàm adultus, fuit, in fontibus sacrandis, munificus Redemptor. *Est vrbs Palæstinæ,* ait Sozomenus, *quæ iam Nicopolis dicitur, cuius quidem tum pagi (sic enim iam tum fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionem, eamq; Emmaus appellat. At Romani, capta Hierosolyma, & parta contra Iudæos victoria, eã Nicopolim nuncupabant, nomine, ex euentu belli imposito. Ante hãc vrbẽ, prope triuium, in quo Christ⁹, propter resurrectionẽ à mortuis, cum Cleopha incedens, simulabat, se ad alterum pagum properè contendere, est fons quidam salutaris, in quo non homines modò, qui*

Burcard. in descript Terræ. S. part. 2. cap. 4.

Sozom. hist. lib. 5. c. 20.

gre-

grotant, loti curantur, verùm etiam animalia, quæ varijs morbis laborant. Nam ferunt, Christum, vnà cum discipulis, quodã tempore, è via, ad fontem illũ diuertisse, inq; eo lauisse pedes, & aquam ex eo tempore vim medendi morbis habuisse. Hoc Iosephus naturali aquarũ virtuti potiùs, quàm miraculo tribuens ait: *Ammaus* (est idem quod Emmaus) *si quis nomen interpretetur, aquæ Calidæ vocantur. Ibi enim eiusmodi fons est, sanandis corporum vitijs idoneus.* Quia tamen Plinius author est, Emmauntẽ pluribus fontibus fuisse irriguam; idcircò, in aliquo ipsorũ, ab alijs diuerso, quod scribit Sozomenus facilè potuit contingere; vt obseruat Cæsar Baronius. Quod si hæc vis medendi, à lotis Christi pedibus accessit ad fontem Emmaus; quantã vim inesse arbitrabimur illi fonti, qui ex oculis Magdalenę exilijt, & Christi pedes, calidissimis lymphis, tã honorificè irrigauit? Quanquã & illius fontis author Christus fuit; sicut & omniũ, è contrito corde erumpentium lachrymarum: quarũ vis penetrat vsq; ad animas peccatorum sanandas. Mirum est, quosdam esse tam siccoculos, &, *sicut terram sine aqua*, vt ne vnam quidẽ possit ab eis Moyses iste lachrymulã impetra-

Iosephus de bello Iud. lib. 4. cap. 1.

Plin. nat. hist. lib. 5. cap. 14.

Baron. An. Christi. 34.

Luc. 7.

re,

re, qui vel è pumice potest aquã eijcere. Et quia *lachrymæ pœnitentiũ, sunt vinum Angelorũ*, plus est vtique, in fletu liquefieri peccatorem, quàm aquam in vinum conuerti.

§. VII.

Aqua aliquoties in vinum versa gloriæ.

S. Hieronym. lib. de loc. Hæbr.

Quanquam neque hac ratione abstinuit benefacere mundi Reparator. Siquidem in Cana Galilææ, oppido, vt tradit S. Hieronymus, posito in Galilæa Gentium, primũ omnium miraculum Christus patrauit, cùm aquam permutauit in vinum, vt dudum Isaias facturũ prædixerat. Quod, sexto die Ianuarij factum, non solùm testatur Ecclesia, quæ eum diem hoc nomine, celebré habet, sed & complura miracula, varijs locis, solita exhiberi, de quibus S. Epiphanius hæc habet. *Post annos triginta factum est primum miraculum, in Cana Galilææ, quando aqua facta est vinũ. Quapropter & in multis locis, vsq; in hunc diem, hoc fit, quod tunc factum est, diuinum signum, in testimonium incredulis: velut testantur, in multis locis fontes ac fluuij in vinum conuersi. Cibyres quidem vrbis Cariæ fons, qua hora hauserant ministri, & ipse dixit: Date architriclino. Testatur & in Gerasa Arabiæ fons similiter. Nos bibimus de Cibyris fonte;*

Isa. 9.

S. Epiphan. hæres. 51.

fratres

fratres verò nostri de eo, qui est in Geruſa, in martyrum templo. Sed & multi, in Ægypto, de Nilo hoc teſtantur. Quare in vndecima Tybi (menſis, quæ lux eſt apud nos ſexta dies Ianuarij) *apud Ægyptios omnes hauriunt aquã, & reponunt, tum in ipſa Ægypto, tum in multis regionibus, &c.* Hęc Epiphanius. Hanc cauſſam cùm accolæ ignorarent, Baccho id beneficium ſuo tribuerunt, cui & idcirco fanum ſtruxerunt, in Andro; vbi, Plinio teſte, *in templo Liberi patris, fontẽ nonis Ianuarij* (vno die ab Epiphanio diſcrepat) *vini ſapore fluere, Mutianus ter Conſul tradit: Diotecnoſia vocatur.* Similes his accolis ſunt multi, qui non aqua modò, ſed & vino ſuauiſſimo munificentiſſimè donati, beneficium haud DEO, ſed diuitijs ſuis aſcribũt, immemores, ipſas ſe diuitias à DEO accepiſſe; quibus vina comparant; nec vnquam ſoliti mentionem facere *de fontibus Saluatoris.* Qui beneficijs grati ſunt, agnoſcunt benefactorem. Neq; enim in nuptijs tantùm, aut in illis fontibus hoc prodigium Chriſtus patrauit, ſed etiam alijs temporibus. Siquidem Cranzius memorat, Isfridũ Raceburgenſem, in Vandalia, Epiſcopum, miracula etiam non cogitantem expertum eſſe. Iuſſerat is, ſacra die

Plin. nat. hiſt. lib. 2. cap. 103. & lib. 4. c. 12.

Cranz. lib. 6. Metrop. cap. 40.

Paraſceues, à miniſtro aquam afferri, potu gratia. Allatam guſtauit, toruoque vultu: *An non*, inquit, *juſſi, vt aquã afferres, non vinum*? Territus ille, ſanctè affirmauit, aquam ſe attuliſſe de fonte. Iuſſit iterum haurire, & tertiùm haurire, ſemper, aquæ loco, vinum eſt apportatũ. Tum reſolutus in lachrymas, oculos in cælum ſuſtulit, inquiens: *Quando tua voluntate, mirifice Creator, creatura mutatur, cedo, quia jubes. Ecce in die paſſionis Filij tui, ſumo, quod præſtas.* Monſtrant hodie fontem, juxta domum theſaurariæ in Raceburgo, vnde hauſta fuit aqua, eo die, in vinum verſa à Chriſto, quo ipſe fel in potum à mortalibus accepit.

§. VIII.

Aqua Baptiſmo & Chriſti ipſius contactu conſecrata.

Enim verò aquas Chriſtus honorauit nõ ſolùm, quando eas, ad nuptias inuitatus, alijſque locis, in vinum conuertit: ſed etiam quando, *ſuſcepto à Ioanne baptiſmate, Iordanis fluenta conſecrauit*; itemq;, quando, *quarta vigilia noctis, venit ad diſcipulos ambulans ſuper mare*, pedibus eius ſe permittens calcari, tanquam marmor ſolidũ: & quando olim, quotannis, clariſſima illa miracula repe-

S. Maxim. ſer. de Epiphania. Matth. 14. 25.

repetiuit; *dum, plerisque in locis orbis occidentalis, Paschali tempore, quo solenne baptisma, in Ecclesia, peragi consueuit, e sicco aridoq; fonte lapideo copiosum ad baptismi vsum aquæ exundare consueuerunt.* Potest huc etiã merito suo referri ille fons, qui, teste S. Hieronymo, *ad radicẽ montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur, sorbetur humo. & Apostolorũ Acta referunt, Eunuchũ Candacis Reginæ Æthiopũ, in hoc esse baptizatum à Philippo.* Maximè verò ad hunc censum pertinet fons, qui, in Mamertino carcere Apostolorum Petri & Pauli, Romæ, ad baptizandos eorum custodes, Processum & Martinianum, diuina virtute, è petra promptissimè erupit. *Admiratione enim digna res est, eundem illic fontem, in hanc vsq; diem perseuerare, non tantùm rerũ ibi gestarum memoria nobilem, sed perenni illustrem miraculo: quippe positus, in medio carceris strati prægrandibus Tiburtinis sibi inuicem inhærentibus, è perforato saxo, altitudine cubitali tantummodo, & palmi vnius, vel circiter latitudine, sic aqua scaturit, vt nec foras exundet, nec quantumlibet hauriatur, vnquam siccetur. Notissimum est eius rei experimentum, dũ, certis anni diebus, quibus carcer ille, religionis ergò inuisitur, totius vrbis concursu, & fideles inde*

Cæs. Baron. Anno Christi. 31.

S. Hieronym. de locis Hebr.

Sur. 2. Iulij.

Cæs. Baron. An. Christ. 68. n. 12.

hauriunt aquam, & potant, & tamen fons indeficiens perseuerat.

§. IX.

Varius, in rebus sacris, aquæ vsus spiritualis.

Fontem hunc D. Petrus, qui prędictos, in carcere, milites ad Christum conuertit, precibus à DEO impetrauit, tanto maiore beneficio, quia, eo saliente, & sitis est restincta, & extincta sunt peccata baptizatorũ. Quæ sanè non minima dignitas est aquæ, esse scilicet instrumentum, per quod animæ expiantur, & gratiæ cælestis in eas vita infunditur. Neque in baptismo tantùm vsus hic aquæ sacer fuit. Siquidẽ consueuerant antiqui Christiani etiam, ante precationẽ, manus abluere. Ad quem morem alludens Paulus ait: *Volo viros orare, in omni loco, leuantes puras manus.* Et apud Clementẽ legimus, *vt Christianus lotus oret*; significabat scilicet ea lotio manuũ, operũ & conscientiæ puritatem. Qua de caussa Tertullianus ait: *Quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente, orationem subire?* Postea in eiusmodi lauacri locum succesit, vt aqua sacerdotis precibus benedicta (quæ fidelibus vsui esse consueuerat, in eorum domibus, vt Alexan-

1. Tim. 2.

Clem. lib. 8. Constit. c. 38.

Tertullian. de orat. c. 11.

lexandri Papæ res geſtę ſignificãt)in ipſo ingreſſu Eccleſiæ poneretur,qua,ad leuiorum peccatorum expurgationem, adeuntes Eccleſiam aſpergerentur. Quod etiã domi facere,vtiliſsimum plurimi experiuntur. Quæ maxima eſt aquæ gloria, non ad corporis duntaxat, ſed, & ad animæ ſordes abluendas,eam adhiberi. Maior tamen adhuc dignitaseſt,in ſacrificio miſſæ, vinũ non niſi aqua mixtũ offerri,ex Dominica traditione, ac more totius Eccleſię Chriſtianę,vt S.Cyprianus teſtatur.Nec vtiq;aliter fecit,in vltima cœna, Chriſtus,qui, tanquam temperantiæ exemplũ, cenſendus eſt, vinum aquâ miſcuiſſe. De his ſacris fontibus intelligit D. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus illud Ioëlis,de Chriſto vaticinantis: *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro,quia dedit vobis Doctorem juſtitiæ,& deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum, ſicut in principio.Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.* In quę verba ita ſcribit Cyrillus:*Sciendũ ſecundùm myſticum euentum promiſsionem verã eſſe. Data eſt nobis,ceu in pluuia,AQVA VIVENS SACRI BAPTISMATIS;&, tanquam in frumento,panis viuus;& tanquam*

S. Cyprian Epiſt. 63.ad Cęcil.

S Cyrill. in Ioël. cap. 2.

in VINO SANGVIS. Acceſsit item vſus OLEI, qui, per ſacrum BAPTISMA, in Chriſto juſtificatis, ad conſummationem conferret. Fontes ergo ſunt ſacramenta, & inter hos *aqua viua ſacri baptiſmatis*, vnde diuina in homines gratia dimanat.

§. X.

Sitis, miraculoſa aquarum Largitione à Sanctis reſtincta.

Hæc magna aquarum ornamenta beneficiaque eſſe, quis neget, vſque ad ſpiritum animámque penetrantia; cùm magni fiant alij Sancti, quivel ad ſitim corporis duntaxat reſtinguendam, Moyſen imitati, aquas æſtuantibus fontéſque ſunt diuinitus largiti? Recens eſt, quod de S. Iſidoro Hiſpaniæ colono, ex hiſtoria vitæ atq; imagine illius didicimus; cui idem fuit, ſcipione terram & fontem eruere. Refert Nicephorus, Donatum Eureę, in Epiro, antiſtitē, cùm aliquando, ex itinere feſſus, comites aquæ penuria languentes conſpicatus eſſet; primùm DEVM precatum, deinde terram manu fodiſſe, atq; illico fontem aquæ viuę produxiſſe, quæ vię comites ad itineris laborem recreauit. Quod hic manu, Antoninus (martyr Apameæ paſſus) virgâ fecit, quâ vbi humum

Niceph. lib. 12. cap. 45.

Marul. lib. 4. cap. 2.

per-

percusſit arentem, nec vllis aquis rigatam, illico fons exilijt, cui⁹ potu refocillatus, iam hilarior ad martyriũ cucurrit. Idem præſtitit Baſolus Rhemenſis Abbas, in Galliæ partibus, dum montẽ ſolitarius incoleret, nec aquã haberet, fontẽ precando de rupe elicuit. Quod hi pro ſe fecerunt; idem alij impetrarunt, in gratiã aliorum. Nã D. Franciſcus, dum ruſtici cuiuſdã ſitim, in ſolitudine, miſeratur, oratione terram dirupit, è cuius vulnere, in vicem ſanguinis, fons emicuit, cuius hauſtu, qui moribundus ſicco ore vix anhelabat, reſtitut⁹ ſibi, ſaluè vixit. Cũ Haimo dux, in venatione immodicè ſitiret, tetigit baculo terram Iodocus monachus, & reddita eſt illi extemplò aqua, ex arido ſolo; quaſi ad cellam pulſaſſet, aut tanquam ſi doliũ perfodiſſet. Dedicabat Dunſtanus Cantuarienſis Archiepiſcopus Eccleſiam quandam, magna hominũ multitudine confluente. Defecit populo ſitienti aqua; pedo igitur terram verberauit; &, quaſi teſtam aqua plenam rupiſſet, ita mox fons copioſus ſeſe effudit, qui à Vincentio ſcribitur hodiernum vſq; in diem manare, vt nomen quoque Dunſtani largiſsimè dimanet, per orbẽ. Quid longè excurrimus, cùm cele-

idẽ ibid.

ibid.

Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 65. Vincẽt. l. 24.

berrimos eiusmodi fontes, in vicinia nonostra, habeam⁹? S. Corbiniani Frisingæ; S. Wolfgangi Ratisponæ; trium Exulũ ad pagũ Oettingam? Ac, ne oleum desit, laudatissimum manat S. Quirini, in Degernsee; & Eichstadij S. Walpurgæ. Sed neq; ille fons mihi tacendus est, quamuis longè petendus, qui ab Edinburgo Scotiæ vrbe, plus minùs duobus passuum millibus, scaturit, cui lucidissimi olei guttæ innatant, eâ mensurâ & numero, vt, si nihil inde collegeris, nihilo plus confluat: quantumuis autem absumeris, nihilo minùs remaneat. Natum esse aiunt, effuso illic oleo D. Catharinæ, quod ad D. Margaritam, ex monte Sinai adferebatur. Fidem rei faciunt, fonti nomen D. Catharinæ inditum; atque in eiusdem honorem sacellum juxta, D. Margaritæ jussu, ædificatum. Valet id oleum, cõtra cutis scabritiem. Nempe, quia D. Catharina fuit vna ex prudentibus virginibus, quæ exeuntes

Matth. 25. 4. *obuiam sponso & sponsæ acceperunt oleum in vasis suis, cum lampadibus*: idcircò voluit & illam, oleo ad sepulchrum appositò, oleoq; à sepulchro eius ablato diuinus Sponsus illustrare. Similia extant complura; quorum

Egnat. l. 8. vnum Egnatius recenset de Narcisso Hie-

roso.

rosolymitano Episcopo: qui, cùm, Paschatis festo die, oleum defeciſſet, aquam, loco olei in vſum luminum infundi juſſit. Quæ, quàm primùm in oleũ verſa, ſic accenſa eſt, vt omnibus ſpectaculo eſſet. Neq; finis fuerit, ſi aut olei, aut aquarum fontes ſaluberrimos, vel ſolius Germaniæ velim commemorare. E quibus ſatis fit clarum, miraculũ Moyſis, rupem in laticem ſoluentis, *oleumq; de ſaxo durißimo* elicientis; ſæpiùs fuiſſe, etiã apud nos Chriſtianos, reſtauratum. Quibus miraculis aquarum gloria, præſtantiaque, diuinitus commendatur. cap. 13

§ XI.

Martyrium aquis conſecuti Sancti.

Nec mirabiles duntaxat fuêre Sancti, dum ſitientibus aquæ potum præbuerunt, ſed longè mirabiliores, quando non ſolùm aquas frugaliſſimè, in Eremo, atq; inter diuturna jeiunia; ſed etiam cùm eas adeò copiosè hauſerunt, vt ſuffocarentur. Clariùs loquar. Aquæ martyres fecerũt; & martyrijs ſunt conſecratæ. Colit, ob id, Clementem Romanum quotannis Eccleſia, quem ſubmerſum mare ipſum coluit, ad Angelicum illius ſepulchrum adituris ſe reducens, atq; iter patefaciens. Leguntur præterea & alij

Martyres, per aquam, ad cælum transijsse, vt Ascla, Anastasius Aquileiensis, Florianus, Hesychius, sub Diocletiano; Theogenes, sub Licinio; Claudius Tribunus, sub Numeriano; Callixtus Papa, sub Alexandro Seuero, Symphorosa, sub Adriano: item Apollonius, Bassus, Antonius, Philemõ, Protolycus, apud Alexandriã, Callixtꝰ & Charisius, apud Corinthum: Iucundianus, in Africa; Palatinus, Maxima virgo, Christina, & alij, sine numero, Christi caussa in aquas proiecti, per compendium ad portum cælestem peruenerunt; docueruntq; non virtutes tantùm, sed etiã beatas mortes posse haberi aquarum occasione.

§. XII.

Variæ artes, in aquis aut per aquas factitatæ.

Quòd si artes percurrere libeat, quæ vel sine aquis nullæ sunt; vel ab aquis plurimùm juuantur, in Oceanum quendam historiarũ intrabimus. In aquis exercentur artes natandi, piscandi, nauigandi, bellandi, molendi, medendi. Vnicum, de medica vi aquæ, apponam exemplum, quo docetur, Apolloniũ, non alia, quàm medica arte, sanauisse adolescentem, quem rabiosus canis mo-

Agricola. l. 2. de effluentib. è terra Sen. 3. nat. q q. Procluſ. lib. 2. c. 3.

momorderat, postquam scilicet is *hausta ex Cydno aquam bibit. Neq; verò canis curationem neglexit Apollonius*, ait eius laudator, *sed pro illo sanando, fluuiũ precatus* (en simulationem impostoris) *in eum coniecit canem. Is verò fluuium ingressus, cùm in eo natans aliquamdiu moratus esset, in ripa consistens vlulauit, quod rabiosi canes facere nõ consueuerunt; & auribus demissis, caudam vibrabat, tanquã & ipse conualuisse se agnosceret. Medicamentũ namq; rabiei est aqua, si eam attingere rabiosus audeat.* Repertæ sunt & aliæ artes, aquam in mensa, & è ferculo excitandi, atq; in altum jaculandi; ducendi per ardua montium; adhibendi, per siphones, ad alta incendia, sine scalis, attingenda restinguendaq; enimuerò ad expellendos è fistulis æneis globos, vice ignium: atque vt cæteras omnes prætermittam, illud non silebo, quod Proclus Geloni regi, plures autem, cũ Vitruuio, Hieroni tribuerunt; qui tradunt Hieronem, Syracusis, regia potestate auctũ; cùm, rebus benè gestis, auream coronam, dijs in quodã fano, votiuam constituisset ponere; immani pretio locauisse faciendam, & aurum ad sacoma appendisse redemptori. *Is, ad tempus, opus manu factum subtiliter regi approbauit,*

Vitruui. lib. 9. cap. 3.

Philostrat. l. 6. de vit. Apollon. c. 18.

Vitruu. lib. 9. cap. 3.

bauit, & ad sacoma pondus coronæ visus est pru-
stitisse. Posteaquam indicium est factum, dempt-
auro, tantundem argenti in id coronarium opu-
admixtũ esse. Indignatus Hiero, se contemptum,
neq; inueniens qua ratione, id furtum depre-
henderet, rogauit Archimedem, vti in se sume-
ret sibi de eo cogitationem. Tunc is, cùm haberet
eius rei curam, casu venit in balneum: ibiq;
cùm in soliũ descenderet, animaduertit, quan-
tum corporis sui, in eo, desideret, tantum aqu-
extra solium effluere. Itaq; cùm eius rationem
explicationis ostendisset, non est moratus, se-
exiliuit gaudio, motus de solio, & nudus vadens
domum versus, significabat clara voce, inuenisse
quod quæreret. Nam currens identidem Grac-
clamabat, εὕρηκα, εὕρηκα. Tunc verò ex eo in-
uentionis ingressu, duas dicitur fecisse massas æ-
quo pondere, quo etiã fuerat corona, vnã ex au-
ro, altera ex argento. Cùm ita fecisset, vas am-
plum, ad summa labra, impleuit AQVA, in qu-
demisit argenteam massam. Cuius quanta ma-
gnitudo in vase depressa est, tantũ aquæ effluxi-
Ita, exempta massa, quantò minus factum fue-
rat, refudit, sextario mensus, vt eodem modo
quo priùs fuerat, ad labra æquaretur. Ita ex
inuenit, quantum ad certum pondus argenti
certa aquæ mensura responderet. Cùm id exper-
ti

tus esset, tum aureã massam similiter pleno vase demisit, & ea exempta, eadem ratione, mensura addita, inuenit, ex aqua non tantum defluxisse, sed tantũ minus, quantum minus magno corpore, eodem pondere auri massa esset, quam argenti. Postea verò, repleto vase, in eadẽ aqua ipsa corona demissa, inuenit plus aquæ defluxisse in argenteam, quàm in auream, eodem pondere massam: & ita ex eo, quod plus defluxerat aquæ in corona, quàm in massa, ratiocinatus, deprehendit argenti, in auro mistionem, & manifestũ furtum redemptoris. Hæc Vitruuius. Alij alia narrant artificia aquarum, in quibus vrinatores, Chymici, Mathematici, & quidquid est hoc hominum genus, ætatem, tempus, ingenium terunt, & vel gloriam, vel famam, vel pecuniã quærunt. Plura de aquarum mirabilibus lectu jucunda conscripsit Plinius, Frontinus, & Cyrillus Hierosolymitanus. In compendio Socrates, postquã docuit, *pretiosa tantũ esse, quæ rara*, coronidis loco, adiecit, rectè tamen dixisse Pindarum, *aquam optimam esse, licet vilissimo pretio, addicatur, passimq; habeatur*. Atque hoc ipsum est maximè æstimandum: rem tam vtilem, tam jucundam, tã necessariam; tamen passim, &, sine vllo pretio, occurrere; hoc est, sine

Plin. l. 2. c. 103. & lib. 31. ab initio.

Frontin. li. 1. de aquæductibus.

Cyrill. Hierosolymitanus.

Iym. Catech. 3. Plat. in Euthyd. sine pretio, esse pretiosam. Atque vt videa esse pretiosam; aquâ cælum potest emi. Hoc ipse significat cæli Conditor, dum ait: *Quicunq; potũ dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et hoc

Matth. 10. 42.

Iob. 22. 7. obijciet, quibus cælum negabit: *Aquã lassis non dedisti.* Nemo de vilitate accuset, quod potest esse cælo dignum.

§. XIII.

Magni ac multi aquarum laudatores.

Tanta hæc sunt aquarum emolumenta, alia in homines, alia in pecudes deriuata, vt qui, apud Ægyptios, olim sacerdotia gesserunt, ad demonstrandã aquæ vim ac præstantiam, quoties hydriam tegerent, ad res sacras pertinentem, humi procidentes genibus, & manibus ad cælum obuersis, diuinæ ob eius inuentionem, largitati gratias persoluerent. Simile quid & Sancti fecére. Eorum enim vnus dixit: *Dominus super aquas multas.* Et rursus: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ, ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me.* Alij, in medijs ignibus, cecinerunt: *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Cygni, cùm na-

Vitruu. lib. 8. cap. 4.

Psal. 28. 2. Psal. 22. 2. Dan. 3. 60.

tant,

tant, alis plaudunt. Exiliunt ipsi pisces, ex vndis, in sublime. Et, quasi luderet citharâ Arion, feruntur ipsi etiam identidem Delphines, velut per chorũ saltitare. Ad eundem modum, conspectâ aquarum planitie, claritate, venustate, Sancti animis exultant. *Pulchra sanè est species huius elementi*, ait S. Ambrosius, *vel cùm surgentibus albescit cumulis, ac verticibus vndarum, & cautes niuea rorant aspergine; vel cùm aquore crispanti clementioribus auris, & blando serenæ tranquillitatis purpurascentem præfert colorem.* In opere hoc artifex operis laudatur. Quare & Constantinus Magnus affirmauit, *jugem & continuum fluuiorum ex aqua, per occultos illos Dei manu firmatos tubos decursum, nocte dieq; non intermittentem, plurimum habere admirationis, voluisseq; Deum, in re fluxissima, æternæ & perpetuæ vitæ imaginem mortalibus obijcere.* His de caussis aqua laudabilis, potest, debet, & solet laudari à gratis, & beneficia agnoscẽtibus. Et tamen scimus, quàm vociferati sint lamentabiliter quidam, vt sibi videbantur Heroës, deplorantes, cum Agamemnone Argynum, & cum Theodamante, Hercule, ac nautis, *Clamantes, vt littus Hyla, Hyla omne sonaret;* itemque cum alio:

S. Ambros. l. 3. Hexãem. cap. 5.

Constantin. Magn. orat. ad Sanct.

Me

Me miserũ, quanti montes voluuntur aquarũ!

CAPVT. VII.

In ipsis etiam Aquarum damnis, periculísque, Deum & iustum, & laudabilem esse.

§. I.

Aquarum vituperatores esse, qui ab aquis damna sunt passi.

Ioan. 2.5.

SVnt etiam, qui voce, non mente, Prophetæ, clamant: *Abiectus sum à cõspectu oculorum tuorum. Circumdederunt me aquæ, vsq; ad animã, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.* Sunt, qui mare fugiunt, qui flumina execrantur, qui, liberis fatales, puteos Diris deuouent; qui mille coaceruant, in aquam, accusationes. Descenderat Stratonicus Musicus, Pellæ, ad puteum: ibi haurientes rogauit: *Num esset aqua potabilis?* cùm dixissent: *Nos istam bibimus: Non est igitur*, inquit, *potabilis.* quia illos videbat pallidos vultu luridósq;; quod interpretabatur malæ valetudinis argumẽtum, quam eos existimabat non aliunde, nisi ex aqua contraxisse. In effectu caussam non falsa suasione reprehendit. Quod plurimi faciunt, non solùm vini potores, & aquæ o-

Athen. in Dipnos.

fores;

sores; sed etiam illi, quorum vel filij, cum Icaro; vel coniuges cum Othorini vxore, vel parentes aquæ nimium biberunt: vel quibus, instante naufragio, totidem videntur,

Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes,
Non tenet hic lachrymas, stupet hic, vocat ille beatos,
Funera quos maneant: verboq; interuenit omni
Plangor, & attonito gemitus à corde trahuntur.

Senec. in Hercule Oetæo, Iouius in Actio. Ouid. 11. Metam.

Expertus hoc Aeneæ tubicen Misenus, expertus Palamedes, expertus Leander Abydenus, expertus rex Ceyx; experta est vxor eius Alcynoë, in fabulis; expertus in historijs, cum conjuge honestissima, miserrimus Sosa: quorum priorem in coniugis conspectum, mare elecit mortuum; alterum viuũ expuit in maiores calamitates. Execrata est aquas, apud Herodotum, Phronime, suasu nouercæ, ab Etearcho patre, rege Cretæ, in vndas & mortem præcipitata. Execrabiles fecit aquas Machometes, Amuratis F. Turcorum rex, qui, vt refert, Chalcocondylas, cùm regni moderamen suscepisset, fratrem suum peremit, aqua infusa, spiritum eius

Petr. Maffeius. de reb. Indicis lib. vlt. Herodotus lib. 4.

Chalcocondilas lib. 7. Plutarchus in

Aexandro. intercludens. Quem propinandi modum etiam Suedicus miles, nuper reduxit. Bibi & Roxana Alexandro chara, cũ aqua, mortem, cùm eam æmula eius Statyra, Darij filia, M. Alexandri vxor prægnantem in puteum demersit; vt scribit Plutarchus. Atq; esto, non omnes aquæ potores moriantur cùm tẽperatè bibant: quot bibentibus aqua strumam, febrim, tormina, venena peperit! Fuêre, qui, cum aquis, semina ranarum hau rirent, in ventre maturata, & mutata in bestias identidẽ ex insolita palude coaxantes Enimuerò illi ipsi, qui iracundum mare navigantes experti sunt. Nonne, cum Catone statuerunt, nunquam se per aquas, iter facturos, quod terris posset confici? Et studiosus ille, apud Hieroclẽ, ex aquarum periculo euadens, quã lepido se voto obstrinxit nunquam se amplius intraturũ in aquas antè, quàm natare didicisset; quasi ea ars extra aquas disci posset? aut in gramine quoque nataretur? Exundationes Tiberis quantum nõ Horatius modò, sed & alij leguntur ei detestati? quorum agros domósque, in vicinis vrbibus subuertit? Et Poëta quidem licet eum fluuium pro Deo haberet, tamen per conuitium, *vxorium amnem* vocauit,

Horat. lib 1. carm. od. 2.

Ille

Ilia dum se nimium querenti
Iactat vltorem vagus & sinistrâ
Labitur ripâ.

Apud S. Greg. Turon. li. 10. hist. Frãc. cap. 1.

Tantò maior luctus fuit, quando Tai & Almundi fluuiorum caduca aqua, seu inundatio Berthæ, Scotiæ vrbis, mœnia, cum magna domorum parte, euertit. Tunc enim rex ipse Guilielmus, cum vxore liberisq; ac nobilibus, haud expers periculi fuit; atque ex regiâ familia, Ioannes regis filius adhuc lactens, cum nutrice ac duodecim feminis, ac præterea aulici duodecim tragica morte, perierũt. Quod si hæc clades non sufficit; refert Trithemius, apud Flandros, An. 1014. ad 4. cal. Octobr. magnam nubium molem simul resolutam ex improuiso, cælitus delapsam, multa hominum millia suffocauisse. Quos tum gemitus, quos eiulatus putemus extitisse? Voces pereuntium non sunt laudes perimentium. Longũ esset, si lachrymas velle enumerare à sponsa effusas regis Angliæ filia, Hartmanno II. Rudolphi Imp. filio, decimo octauo ætatis anno, prope oppidum Rhinau, in Rheno, submerso, & Basileæ cum matre Anna sepulto. Luctuosissimum fuit Othoni Luneburgico duci, cùm eiusdem nominis paruulum filium puerili

Palm. An. 717. Ciacon. in Greg. II. H. Boethius. lib. 13. Trithem. de reb. Hirsaug.

Cranzius l. 9. Metrop. c. 20.

curru, infantum more, vectum, & famili
negligentia in vicinũ flumen, de ponte, lap
sum, dictóque citiùs submersum, hæredem
masculum vnicum aspexit. Vidit cadaver
& ferè oculos effleuit; nam & ducatum vi
dit cum eo, è familia abiturum. Quàm ille
tunc nullas voluisset, in orbe, aquas extitis
se, ne lachrymis eas augere cogeretur.

§. II.

Nocumenta ab aquis illata, & significata.

Querelæ istorum, aliorúmq; taliũ thren
tantas causas, quanta damna videntur ha
buisse. Quæ alij latiùs senserunt. Quàm
enim etiam miserandum fuit, maximè Ve
netijs, diluuium, quod, cum ingentibus to
nitruis An. Christi 586. coniunctũ, secum
est pestis sæuissima, Romæ, ob fœtorem se
pentum in ripas vndiq; eiectorũ? An. 1086
tanta extitit, in Italia, aquarum inundatio
vt quasi liquefactæ rupes, sua ruina villa
complures perditum irent. An. 1136. ma
suis finibus inopinatò egressum, Belgij pa
tem haud exiguam, cũ suis incolis, submer
sit. Nec, in Gallia, Sequana tantùm, per
niuersam Lutetiam, ita exundauit, vt, ten
Genebrardo, octo dierum spacio, vix per

Palm. Anno 586. Ciac. in Pelag.

Sigebert. An. 1086. Rob. An. 1136.

Gene-

co

cos iter fieri posset, nisi nauigio; sed & An. 1570. initio Decembris ita intumuit Rhodanus, vt Lugdunensis, quod trans Rhodanum est, suburbij partē diruerit, pontémq; Lugdunensem ac Viennensem ex parte subuerterit. Atque, vt in compendio omnia comprehendā, communes loquendi formulæ, si magnum exprimendum est malum, dicunt, aliquem *fluctibus agitari*, *procellā temporis non deuitasse*. Hincilla Liuij: *Equestrem procellam excitemus oportet, si turbare, ac statu mouere volumus*: & ista Tullij: *Procella patria, turbo ac tempestas pacis*. Et ipsæ diuinæ litterę, magnam tribulationem, *aquæ* metaphora solent significare. *Tanquā inundantes aquæ, sic rugitus meus*, ait Iob. Et alibi: *Apprehendet eum, quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas*. Et Dauid: *Assumpsit me de aquis multis. Quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*. Denique vbi multa & magna confluunt mala, *mare* quoddam malorum appellamus. Hæ sunt querelæ, & causſæ querelarū, non iam apud mansuetissimum, & in aduersis constantissimum Dauid, sed apud eos, qui *contra juris*

brard. in Bonifacio VII. Gill. Caronæus Med. Annonæen. in Ephemer.

Liu. lib. 10. de bello Punic.

Cic. pro domo sua.

Iob. 3. 24. Iob. 27. 20.

Psal. 17. 17. Psal. 68. 2.

formã, vt ita loquar, *poſtulant*, non eſſe, quod vident ſibi noxium eſſe, hoc eſt, apud impatientes. At quid tandem illis rectum eſt, apud quos nō eſt rectus intellectus? Taxus arbor eſt, non modò funeſta, ſed & venenata. Ex hac ſi fortè pocula confeceris, & vinum infuderis, quantumuis ſuaue & delicatum, continuò fiet noxium & inſalubre. Ita amari ſunt quorundã animi, apud quos, omnia amareſcunt. Vbiq; inueniunt quod illis diſpliceat; quia res non aſpiciunt quales ſunt, ſed quales illis, turbato animo & judicio, videntur.

Plin. lib. 15. cap. 2.

§. III.

Plerumque in hominibus magis, quàm in aquis, cauſſam eſſe valetudinis offenſæ.

Aſt aliter Sancti ſuprà laudati, aliter ratio recta, cui omnia opera Domini, vti ſunt, ita eſſe recta videntur. Vt ergo de quereli illorũ cognoſcamus, ad tria capita poſſunt reuocari: *ad offenſionem ſanitatis, ad inundationes & diluuia; ad naufragia & ſuffocationes.* Ad primum quod attinet, communis eſt cauſſa eſt, cum omnibus creaturis: nulla nō nocet incautis. Certè de potu ſi ſit ſermo, plures nimio vino, quàm nimia aqua potãda, valetudinem amiſerunt. Et quid tandē

eſt,

est, quod abusu nõ possit fieri pernicioſum? Ipse sol quosdam, fixis oculis, eius ardentissimam lucem intuentes excæcauit. Quid mirum est, si & aquæ imprudẽtibus obsint? Habent oculos, quibus paludem pigram ac putrescentes aquas, à fonte pellucido, discernant;; cur ijs non vtuntur? cur, canum instar, obuia quæq; lambunt? immò cur non, canis instar, è Nilo bibentis, pericula cauent,? ideò ratio eis data est, vt ea bonũ à malo discernant; ideò mala bonis, noxia vtilibus permixta, vt homines se discernere posse, ostendant. Cur obuijs vtũtur, quasi oculis & ratione carerent? Cur illis ferino impetu vtentibus res ad alium vsum factæ non obessent; qui etiam salubria in perniciẽ vertunt? Itaq; bonis quidã aquis offendunt sanitatem; sed sua culpa; sua intemperãtia: cur, Thracum more, clausis oculis, vno ductu, vno spiritu amphoras vacuant, & vel vaccam amyſtide vincunt? quasi tota velint flumina epotare? Sunt, multis in locis aquæ insalubres? cur homines ibi habitant, vbi sedes est ranarum & serpentum? Cur nõ aliò commigrant, vbi saliunt puri latices? vbi riui fluunt lacte dulciores? Argi, ob aridam terram, fontibus carent, puteis abundant. Strabo. lib. 8.

Quod hominum induſtria, in vno, id natu-
ra, in alio loco compenſat, immo & alio té-
Marineus l. 1. de reb. Hiſpan. pore. Eſt oppidũ Luſitaniæ, *Villam nouam* vocant, ibi, cùm aliæ aquæ deficiunt, fons oritur, Cal. Maijs, & ad Cal. vſq; Nouembres aquas Villænouanis abunde diffundit: poſtea verò occultatur, latétq; hieme tota, & ad ſtatum tempus, hoc eſt, ad Cal. Maias renaſcitur, atq; incolas reuiſit. Has vices temporum & locorum ſeruat natura, quæ varietate delectat: nec vult omnes vbique habitare. §. IV.

Aquarum vitia, ſi non vtilia, ſaltem emendabilia eſſe.

Quin etiam inſalubritas nonnullarum aquarum duplici modo penſatur. Nam primò, ſi non ſunt ad potum idoneæ, ſunt tamen idoneæ ad alios vſus medicinæ, rerúmue aliarum. Secundò poſſunt etiam aptæ fieri ad bibendum. Egreſſi Iſraëlitæ de mari
Exod. 15. 23. rubro *venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ: vnde congruum loco nomen impoſuit (Moyſes) vocans illum Mara, id eſt, amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominũ, qui oſtendit ei lignum: quod cùm miſiſſet in a-*

quas

quas, in dulcedinem versæ sunt. Hoc lignum itaque, & aquarum amaritudinem sustulit, & animorum; docuitque, esse in cælis, qui aquas possit tēperare, & verò etiam velit, si homines eas à DEO exorare non dedignentur; aut, si Sanctos inuocent, quorum ope beneficia eiuscemodi impetrantur. Equidē sicut quidam homines morbis, ita vitijs suis quædam aquę afficiuntur, vt in eis gloria DEI manifestetur. Quod, circa annū 1615. prope Nerishemium, in Sueuia cōtigit, vbi itidem, ad Moysis exemplum, in fontem iniectum lignum, aquis ingens nomen & accursum fecit. Depositæ sunt in illis aquis multæ infirmitates. Fons Vdalricianus vocabatur. Eo abluebant alij corporis mala, alij vires bibendo restaurabant. Et confluxerant illuc ipsi heterodoxi, vt Sancti beneficio fruerentur. Ad Iericho cùm venisset Elisæus, *dixerunt viri ciuitatis ad Elisæum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse, Domine, perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cùm attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neq;* 4. Reg. 2. 19.

sterilitas. Sanata sunt ergo aqua, vsque in diem hanc, juxta verbum Elisæi, quod locutus est.

Ioseph. li. 5. bell. Iud. ca. 4. De hac re ita scribit Iosephus: *Ad vrbem Iericho largissimus fons est, rigandisq; aruis vberrimus, juxta veterem scaturiens ciuitatem: quam* IESVS *Naue filius, Hebræorum ductor, primam, in Chananæorũ terra bello possederat. Hunc fontem aliquando ferunt, non solùm terræ atq; lignorum fructus, sed etiam feminarũ partum obtundere solitum, cunctaq; pariter morbo ac peste corrumpere. Postea verò mansueuisse, contraq; saluberrimum ac feraciss imũ esse factum ab Elisæo Propheta, qui Heliæ notus fuerat, atq; successerat. Receptus enim hospitio, ab Hierichuntinis habitatoribus, quòd humaniores eos expertus erat, ipsos, & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est; progressúsque ad fontem, lagenam fictilem, nouam salis plenam in profluentem aquam misit. Iuxta deinde ad cælum dexteram tendens, fontique immergens blãda libamina, ipsum quidem precabatur: vt fluenta leniret, ac dulciores aquarũ venas aperiret: Deum verò, vt fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat: tamq; vbertatem fructuum, quàm successionẽ prolis daret indigenis; nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad justi manerent. Ad has preces, ex dis-*

cipli-

ciplina, manibus quoq; multa operatus, fontem immutauit: & qui antea causſa erat his orbitatis, ac famis, idem victus ac fœcunditatis auctor est effectus. Denig; rigationis eius tanta potentia est, vt si attigerit modò terram, ſapidior ſit, aquis diu perſeuerantibus. Vnde eo, quæ largiùs vtuntur, exiguum emolumentum habent, quæ verò parciùs, plurimum. Amplius tamẽ, quàm ceteri fontes ſpaciũ rigat; & ſeptuaginta quidem ſtadijs longam, viginti autem latã planiciem permeat. Hæc Ioſephus. Quibus docet, ſuos quidẽ etiam aquis morbos aut vitia eſſe; ſed poſſe ſanari; & vel idcircò eſſe exitioſas, vt DEVS manifeſtet, quàm vtiles ſint Rebuspublicis ſerui ſui, quámque ſalutares; vt qui ex illis exitia tollant; tollerẽt etiam murmurationes, ſi doceri ſe ſinerent murmuratores. Quos, vel ſolo naturæ ductu, inſtruit Plotinus, qui de Mundi defectibus loquens ait: *Fortè etiã, quia niſi hæc eſſent, imperfectum foret & totum. Plurima namq; malorum, vel cuncta potiùs, quandam toti præſtant vtilitatem; quemadmodũ venenoſa, quãuis plurimorum vſus & ratio lateat. Iam verò prauitatem quoq; ipſam multa conſtat vtilia continere, multáque reddere pulchra, pulchritudinis artificioſa more; ſuſcitat ſæpe homines*

Plotin. lib. 3. ennead. 2. cap. 18.

ad

ad prudentiam, neque ſecuriori licentia torpere permittit.

§. V.

Inundationes extraordinariæ aquarum oſtendunt, quantum ſit beneficium ordinaria cohibitio aquarum, ne inundent.

Altera, contra aquas, querela, inundationes, diluuia, populationes, & laxata fluminibus marique ipſi frœna accuſat. His enim

Ouid. l. 1. Metamorph.

Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longóq; perit labor irritus anni.
Expatiata ruunt, per apertos flumina cãpos,
Cúmq; ſatis arbuſta ſimul, pecudéſq; viróſq;
Tectáque, cúmque ſuis rapiunt penetralia ſacris.
Siqua domus manſit, potuitq; reſiſtere tanto
Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
Vnda tegit, preſſæq; latẽt ſub gurgite turres.

Hæc inundationis facies, pro impatientibus videtur perorare. Quæ tamen ſi oculis æquioribus aſpiciatur, Dei cauſſam agit. Ex inundationibus quippe iſtis cognoſcimus, quanta ſit Numinis cura, ne ſæpius exorbitent vel flumina, vel maria. Totum enim

mun-

mundum perditum irent aquæ, nisi à DEO cohiberentur, vel inde laudabili, quia *ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum, & terminum circumdedit aquis, vsq; dum finiatur lux & tenebræ; congregans, sicut in vtre, aquas maris: ponens in thesauris abyssos.* Iob 26. 8. Ps. 32. 7. Estque planè mirabile, in sublimi, & supra aërem nubes & imbres, aëre longè grauiores, suspendi, nec simul ruere, nec semper. Vnde & Salomon interrogat: *Quis colligauit aquas, quasi in vestimento?* Admirationi erat, Romæ, Tuccia virgo Vestalis, incesti criminis rea, cùm aquam cribro hausit, anno 609. Quod longè maius est, in nubibus videmus aquas portari deorsum non decidentes, & non miramur? At tum demum experimur beneficij magnitudinem, cùm, rupta nube, nimbi, toto impetu, cadunt, aut flumina, vel maria limites suos trãsgrediuntur, omniáq; obruunt. Ex damno enim æstimamus, quid sit, damno liberari: & beneficia nubium nocumentis commendantur. Pari pacto, qui subitis inundationibus aquarum inuoluuntur, discunt agnoscere, quanti sit cohibitio inundationis facienda. Ea autem cohibitio, tot annos & sæcula durat, & non admiramur? opus planè est omni- Prou. 30. 4. Plin l. 28. cap. 2.

omnipotentis, & naturam ipsam vndarum refrænantis. Cùm enim natura aquis locũ tribuerit supra terram; nisi naturæ author aquas, velut in vtre congregasset, ijs vtiq; subsidentes terræ omnes vndiquè cooperirentur. Id ne fiat, diuina manus obstat. At, quia aquas tam diu domitas aspicimus, consuetudo nobis ademit admirationem.

§. VI.

Quantum admirati sint SS. Patres terminos aquarum à Deo positos, ne transirent fines suos?

Sed non ademit S. Ambrosio dicenti: *Nonne omnes Dei gratiam jure miramur, cùm aduertimus, quòd insensibilis natura, quadam sensibili ratione, suos fluctus coërceat, & fines suos vnda cognoscat?* Nec ademit admirationẽ S. Chrysostomo; qui cùm videret mare, intra fines suos, non esse tranquillum, sed turbatum, & ferox, & vndosum, &, in morem montiũ, procellis metuenda altitudine erectum, ac, resonante vnda boans, admirari satis non potuit sapientissimam diuinæ virtutis potentiam, quę, multis locis, tantæ ferociæ, non rupes & saxa, sed fragilem duntaxat arenam obiecit; quâ tam vehemens impetus excipitur, frangitur, & eò, vnde

S. Ambr. orat. de obitu Satyri.

S. Chrysost. hom. 9. ad pop.

irruit, quasi per ludum, refunditur, vt dubites, fortiúsne insultum faciat, an reciproco impetu, potentiùs cogatur resilire? Neque ipse Dauid hîc fuit sine admiratione, cuius illa sunt: *Eleuauerunt flumina, Domine; eleuauerũt flumina vocem suã.* Psal. 92. 4. *Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Secuti sunt eum & alij, inter quos, in aquarum & terræ continentis cõiunctione miratur Theodoretus ineffabiles *fluctuum saltus, & prouidẽtiæ frænum, quod illis iniectum est, & quo impediti terras inundare nequeunt. Sed cùm contra arenam, cum impetu, feruntur, positos tamen sibi terminos pertimescunt; & dum legem sibi à Deo latam illic inscriptam vident, instar contumacis equi, qui à sessore fræno retractus collum reflectit, retróq; cedit, refugiunt, quasi & eius facti illos pœniteat, quòd arenis appellere ausi sint.* Theodoret. serm. 2. His talibus, satis videtur DEVS prospexisse damnis aquarum, immo impendio magis animus gaudebat illis, quando littora intuebantur, & vel saxeam, vel arenosam illam maris custodiam; in qua DEI curam & prouidentissimam gubernationẽ suspicit Basilius *nudantem aquis dorsa, quibusdam* Basil. Se-

Ieuc. orat. 1. *buſdam velut in cellis maria concludentem; dū imperio in abyſſum vtitur, pro clauſtro & are-na. quaſi habena formidabili mare continet, ter-ram liberam ſeruās à Pelagi eluuione: eſto ven-torum impetu ad terrā mare propellatur. Fer-tur illud quidem fluctibus altè elatum: vbi verò terminos attigerit, reuertit, refugitq;, & Do-mini vocem littoribus inſcriptam, cùm intuitū fuerit, curuatis fluctibus termini poſitorem ad-orat. Cúmq; terram violentè feriat, referitur, ac diuini imperij memor refertur in fugam. Quare placidè purpuraſcens adulatur vicinæ continenti, quaſi mollibus vlnis terram comple-cti occupet; ſemper Domini præcepto cohibitum, & tantùm non ſingulis momentis audire natū:* Congregentur aquæ in locum vnum, & ap-pareat arida. *Et manet præcepti memor arena vinctū; nec, præ victoris reuerentia, vincula violat, vocémq; Prophetæ ratam facit:* TER-MINVM POSVISTI, QVEM *non tranſ-gredientur.* Quod cum ita ſit, an non in ſe omnes iras & Diras deriuant illi homines quibus earum Cōditor itidem leges poſuit quas tamen tranſgrediuntur, ipſis marinis fluctibus inobedientiores? Nulla eos præ-cepta, nulli limites coërcent; & indignan-tur, ſi fluuius inundat, & paſcua arenis [illegible]

mó

moq; maculat? Astricti sunt illi diuinis mãdatis; nulla astrict9 est lege DEVS, vt aquas cohibeat à nocumentis: quamuis tamen ea mortales millies meruissent pati, nihilominus vix semel eos pessumdat; sed potentiâ suâ eluuiones ab eis abarcet.

§. VII.

Potestas etiam Sanctis quibusdãm data, ad aquas, certis limitibus, coërcendas.

Quæ bonitas vt intelligatur, potestatem in aquas subinde, & Sanctis suis DEVS concedit; quorum vis illa, sine inundationibus, aut violentia fluctuum, non inclaresceret. Eorum autem vis est virtus DEI. Itaq; in seruis suis, ostẽdit Dominus vires suæ bonitatis: vt, si miremur, in hominibus, quod in illis gratia est, multò magis miremur, in DEO, quod in illo natura est. Quàm stupendum fuit, Moysẽ populum, per mare rubrũ, ducẽte, erectos hinc inde, murorum instar, stetisse immobiles fluctus; & siccum DEI cultoribus transitum dedisse? Quantæ admirationis fuit, cùm Iordane diuiso, & maris exemplum sequente, idem effecit Iosue? An autem hæc, in veteri Testamento duntaxat contigerunt? Etiam, in nouo, legim9, similia contigisse. Fantinus Syracusanus, Marul. li. 2. cap. 2.

Exod. 14.

Iosue 3.

Balzaniũ, ob equos ſtrigoſiores, quos illi paſcendos cõmiſerat, iratum fugiens, præmiſſis precibus, ad cælum, Motabrum flumen, virgâ diſſecuit, & ſiccis pedibus tranſiuit, iramque euaſit perſequentis. Aiunt & S. Fridolinum Viatorem, inſulam Rheni, vbi nunc Succingum oppidum eſt, à Clodouæo rege Gallorum dono acceptã, defuncto rege, incolis tumultuantibus, habuiſſe controuerſam; ſed precibus à DEO impetraſſe, vt Rhenus à dextero, in ſiniſtrũ alueum miraculosè deriuaretur, atq; illi, cõtra Ethnicos, propugnaculum ex vndis faceret. Hoc miraculo Fridolinus incolas Chriſto eſt lucratus. Turpe enim fuiſſet, homines illi non cedere, cui videbant, vndas ipſas, & tantum flumen obedire. Similius eſt, quod de noſtro Ioſepho Anchieta ſcriptum reliquit Sebaſtianus Beretarius, & his verbis commemorat. *Eodem in littore, die alio, piſcandi, ſalien-*
dique operi intentis aliis, cùm ſe à cœtu, diuina liberiùs cõtemplandi cauſsâ, ſubduxiſſet, ſpatium trium quattuórue horarum, plus minùs, deſideratus eſt: eum, veſtigia ſecutus, tandem in littore ſedentem, frater illi comes inuenit; & illo ipſo tempore maris æſtus accedebat, qui quaſi diuino imperio accepto, cùm prater eum finem

Sebaſtiã. Beretar. li. 4. vitæ Ioſephi Anch.

vbi Iosephus sedebat, longè fluctus eiecisset, ab eius tamen corpore ita vndas cohibuit, vt aquæ illi, & à fronte, & vtroq; ab latere, quasi in sinum diuctæ, ac veluti in parietes erectæ, nullâ contactum alluuione, ac ne aspergine quidem circumsepirent. Diceres rubri maris miraculum, in transitu Hebræorum, renouatum esse: non audebat frater, intra vndarum hiatum, se insinuare, sed extra vltimos fluctus, quanta maxima poterat, vocis contentione, Patrem cõpellabat; ad vocis clamores, strepitum etiam, fragorémq; asserum addebat. Cúmq;, ne sic quidem, fremitum maris superaret, neq; alto contemplationis somno consopitum Iosephi animũ excitaret, fretus & ipse diuino patrocinio; diuctum intrat aquarum septum, Patremq; admonet, tempus esse hospitium repetendi, abeuntes vndæ sequebantur; præeuntéq; Patre, talos subsequentis fratris alluebant; ille territus periculo, Patrem anteceßit. Eum Pater leniter verbis increpans: nescis, inquit, quia venti & mare obediunt ei? timere prohibuit. Prætergreßis tandem extremam alluuionem, tum mare littore toto coæquatum. Impios aquæ sequuntur, vt opprimant; Sanctos fugiunt, ne vel aspergant.

§. VIII.

Sancti etiam super fluctus ambulantes, aut pallio, vice nauis, vtentes.

Neque verò necesse est, aquas fugere, aut fluctus in altum erigi parietem, vt Sancti transire, sicco vestigio, possint: possunt super ipsas aquas, sine pontibus ambulare. Primus id fecit Magister Sanctorum. Nam Apostoli

Iob. 6. 19. viderunt IESVM *ambulantem super mare, & proximum naui fieri, & timuerunt.* Discere hanc artem voluit & Apostolorũ Princeps;

Matth. 14. 25. alio quippe tempore, *quarta vigilia noctis venit*, ad discipulos Dominus, *ambulans super mare. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de naviculâ, ambulabat super aquam, vt veniret ad* IESVM. *Videns verò ventum validum, timuit, & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens, Domine, saluum me fac. Et continuò* IESVS *extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Alia vice, fide firmior, adeóq; in arte hac perfectior, *Simon Petrus, cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.*

Ioan. 21. 7.

Nimirum DEO fretis aquæ consistunt, & terræ in modum solidantur; sicut & terra

ccli

cedit, saxáq; ceræ instar, cùm ita juuat, molliuntur. Cõcessa est eadem gratia S. Mauro, de quo D. Gregorius hęc habet. *Quadam die, dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, Placidus puer, S. viri monachus, ad hauriendam, de lacu, aquam egressus est: qui vas, quod tenuerat, in aquam incautè submittens, ipse quoq; cadendo secutus est. Quem mox vnda rapuit, &, penè ad vnius sagittæ cursum, eum à terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus, hoc protinus agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: iam q; eũ longiùs vnda trahit. Res mira, &, post Petrum Apostolum, inusitata. Benedictione enim postulata atq; excepta, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaq; vsq; ad eum locum, quò ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumq; per capillos tenẽs cursu rapido redyt. Qui mox, vt terram tetigit, ad se reuersus, post tergum respexit; & quia super aquas cucurrisset, agnouit, &, quod præsumere non potuisset, vt fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaq; ad patrem rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc nõ suis meritis, sed illius obedientiæ deputare* S. Gregor. l. 2. dial. cap. 7.

cœpit. At enim contrà Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: seq; conscium, in illa virtute non esse, quàm nescius fecisset. Placidus quidem litem proBenedicto decîdit, sed nec Mauro inde sua laus adempta est; vterque miraculo dignus fuit. Vt enim ille sanctè præcepit, ita iste prodigiosè obediuit. Calcat vndas celeritas obediendi. Cur enim non posset celeritas voluntatis, quod veteres celeritati pedum ascripserunt, in Volsca illa sua Camilla, assueta cursu pedum *præuertere ventos?*

Virgil. li. 7. AEn.

Illa vel intacta segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Natal. Comes Mythol. lib. 8. c. 13.

Et, si fabulas placet audire, Orion Neptuni F. à patre Neptuno impetrasse fertur, vt tã super vndas, quàm super terras posset incedere: cur id à Patre cœlesti non possent impetrare Sancti? Et verò impetrarunt. Nam

Fulgosus lib. 1. c. 6.

Maria Ægyptia siluicultrix pariter animo leuis, & corporea mole grauis esse desinens, Iordanem amnẽ, sicco vestigio, neq; seme tantùm transgressa est; qui fluuius, si sola naturæ vis inspiciatur, traijci, sine naui, nõ potest: vt illa proinde meritò possit Chri-

stiana

stiana Camilla appellari. Fertur & S. Conradus Constantiensis Episcopus, in lacu Acroniano, non tinctis pedibus, ambulauisse. Et Sigonius scribit, Ioannem Episcopum Bergomensem, sub Ariperto rege Longobardorum, cùm Mediolano Bergomũ se referret, Abduam amnem, siccis vestigijs, pertransijsse. Nullis pontibus indigent, qui manibus portantur Angelorum. Tutiores sunt in fluctibus amici DEI, quàm inimici in nauibus. Vnde & S. Blasius Episcopus in lacum projectus illæsus exiuit, qui nec natare didicerat, nec nauigare. Sed pro vtraque arte illi pietas fuit, quam veritus est lacus lædere. Quin & Nazarius & Celsus martyres in mare præcipitati, super vndas incesserunt. Quos extemplo puniendi deturbatores, orta statim tempestate, cùm conspexissent nõ mergi, vt sibi subuenirent, etiam atque etiam petierunt. Sanctis ergo in nauim receptis atq; orantibus, placatę detumuerunt procellæ, posuerunt venti, & tempestas transijt in serenitatem. Sic pro Sanctis aquæ decertant; & quæ in DEI hostes exasperantur, mitigari se sinunt à DEI seruis; quibus, cùm impij homines malum facere volunt, elementa ad nutum famulantur. Ad hunc

Sigon. li. 2. regni Ital.

Sur. 3. Februar. in vit. S. Blasij. Marul. li. 3. cap. 3.

enim modum, Ioannes quoq; Capistranus, Franciscanus, & Iacobus Piceus, sicut refert Bonfinius, ab Nicolao Pontifice Rom. vt Germanos, Polonos, & Vngaros, ad expeditionem contra Turcas suscipiendam, hortarentur, missi, cùm Padum traijcere vellent, & ab auaro portitore pertinacissimè repellerentur (vt qui tanquam Christi pauperes, pecunia carerent, quam pro naulo darent) in diffusum super vndas pallium, cùm comitibus consedêre: & veluti quadam naufragij tabula in ripam alteram, non sine attoniti stupore portitoris, diuina ope, tutò translati sunt. Varia sæpe spectacula mundo exhibuerunt Diui, sed, eo die, comœdiam dederunt palliatam: quemadmodum etiã, quando Elisæus Eliæ pallio, sibi, per Iordanem, viam fecit.

Bonfin. l. 8. Dec. 3.

4. Reg. 2. 14.

§. IX.

Aquarum eluuiones, etiam in aliorum vtilitatem, à Sanctis cohibitæ.

Facilè video, inquies, Sanctis vndas cedere, aut velut glaciatas, ac frigore concretas non cedere, vt tanquam per pontem intrepidi trãseant. Sed hoc eos parum juuat, quõ sunt sancti, in quos, ne flumina de alueis deq; ripis suis exitiosè effundantur, sæpiss[ime]

mè Sancti non obstant. Duo do responsa. Primum est, sæpe non prodesse, vt obstent, quando res ad exemplum pertinet, ac ita diuina justitia exigit mortales plecti; immo quando Sancti ipsi, hoc pacto, ob injurias impiè illatas vindicantur. De quo argumento mox agemus. Alterum est, quando ita DEI gloria nomenq; crescit, omnino etiam hanc Sanctis, à Domino, conferri potestatem. Imo, vt S. Gregorius Nyssenus loquitur, *Nihil obest homini fidem verè sectanti: sistuntur vbiq; flumina, ac velut seruiunt illi imperanti. Fidem rei astruit Gregorius Thaumaturgus.* Cùm Lycus rapidissimi impetus fluuius incolis atrocem, quotannis, inferret cladem, agros, pecora, ipsam deniq; gentem non carptim, sed agminatim obrueret, &, vt quæq; deprehenderat, perditum iret; exeruit sese prodigiosè vbique Thaumaturgi virtus. Is, instar Moysis virga fluuios ac maria regentis, ad egurgitantem sese & omnia populantem Lycū, processit, baculúmque, quo seniliter nitebatur, in ripa depanxit, cōfidentissimè mādans flumini, ne posthac, limitem excederet, aut datum constitutúmque inibi terminum præteriret. Dictum, factum. inuenit fides viri, in fluuio,

S. Gregor. Nyssen. in vita S. Greg. Thaumatur gi. cap. 12.

Et Nicephor li. 6. cap. 1.

obedientiam, atque in ligno quoque impacto virtutem viuere, ostendit. Siquidem scipio ille viruit, &, diffusis quaqua ramis, in excelsam excreuit arborē, quæ, vsque ad D. Gregorij Nysseni tempora, ab omnibus eò confluentibus, magna cū veneratione, mōstrabatur, spectabatur: eratq; verè *tanquam lignum, quod plantatum est, secus decursus aquarum.* Sed cur baculus illius viri non euireſceret, cuius tantopere floruit virtus? Ad hoc exemplum Frigidianus quoq; Lucanæ Ecclesiæ Episcopus, fluuium Auserim, agros longè lateque inundantem, cursum mutare coëgit, atque ex proprio alueo, precibus, aliò deriuauit.

Psalm 1.3.

§. X.

S. Hilarionis, per signum crucis, contra exundans mare, potestas.

Illustre est illud, quod de S. Hilarione Sigonius recenset. Circa an. salutis 365. terræ motu totius orbis (qui, post Iuliani mortem, accidit) concussa maria, & velut exterrita egressa sunt terminos suos; &, quasi rursum Deus diluuium mundo minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delatæ montiū, in sublimi, pependerunt. Quod cùm viderēt Epidauri-

Sigon. li. 7. de Imp. occid.

tani,

tani, frementes scilicet, indomitos fluctus, atque vndarum moles, montésq; gurgitum elatissimos littoribus inferri, verētes, quod iam partim eueniſſe cernebāt, ne totum oppidum funditus subuerteretur, ingressi sunt ad Hilarionem, &, quasi Ducem ad præliū comitantes, cum in littore posuerunt. Qui cùm tria crucis signa pinxisset in sabulo, manúsq; contrà tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit: ac diu fremēs, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsū relapsum sit. Vides hîc caussā, ob quā mundi Gubernator mari potestatem fecerit, fines suos transiliendi? Sic suam, sic Sācti sui, sic crucis patefecit vim ac potestatem; sic fidem propagauit; sic Eccleſiam auxit; sic fiduciam hominibus attulit, vt, in omni periculo, discerent ad diuinum confugere auxiliatorem, neque Diuorum patrocinia aspernarentur.

§. XI.

S. Sabini epistola Pado flumini scripta, quàm fuerit potens?

Similem in aquis potentiam, Attala Abbas, apud Ferrarium, ostendit. Similem de Sabino Placentinorum Episcopo testatam reddit, Ferrar. 10. Martij.

S.Greg.l. 3. cap. 10. dialog.

reddit D. Gregorius. *Ei enim, dum die quadam, suus diaconus nuntiasset, quòd cursus sui Padus alueum egressus Ecclesiæ agros occupasset, totaq; illic loca nutriẽdis seminibus profutura, aqua eiusdem fluminis teneret, venerabilis vitæ Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade, & dic ei; Mandat tibi Episcopus, vt te compescas, & ad proprium alueum redeas. Quod Diaconus eius audiens, despexit, & irrisit. Tunc vir Dei accersito Notario dictauit, dicens: Sabinus Domini* IESV *Christi seruus cõmonitorium Pado: Præcipio tibi, in nomine* IESV *Christi Domini nostri, vt de alueo tuo, in locis istis, vlteriùs non exeas, nec terras Ecclesiæ lædere præsumas. Atq; eidem Notario subiungit, dicẽs: Vade, hoc scribe, & in aquam eiusdem fluminis proyce. Quo facto, sancti viri præceptum suscipiens, statim se a terris Ecclesiæ fluminis aqua compescuit, atq; ad proprium alueum reuersa, exire vlteriùs in loca eadẽ non præsumpsit. Qua in re, Petre, quid aliud, quam inobedientium hominum duritia confunditur, quando in virtute* IESV, *& elementum irrationabile sancti viri præceptis obediuit?* Cur non obediret quoque hoc elemẽtum ipsi DEO, inobedientibus irascenti, atque aquas, de alueis suis in eos, agminis instar, emittenti? Punit justè flammis, cur iniquè

iniquè plectat vndis? cùm sit Dominus vtriusque elementi.

CAPVT. VIII.

Aquas mortalibus nocentes, esse Dei iustissimè punientis instrumenta; ac sæpe etiam velut iudicia, quibus mali à bonis discriminantur; sed cum iudicio, & nonsine delectu agnoscenda.

§. I.

Aquarum exorbitantium pericula, damna, vituperia.

HInc ad tertiam querelam responsio datur, quæ duabus prioribus suapte natura cohæret. Quippe, si aquæ sunt, quæ possunt sanitatem lædere; si diluuia, quæ valent in damna hominum excurrere; procliue est cogitare, & illas reipsa, & ista nocere; enimuerò, etsi, metu ipso, grauiter affligant humanam solicitudinem, tamen insuper etiam & funera facere, atq; alijs extremis malis terræ incolas mactare: & eos, qui ad naues confugiunt, allidere, scopulísque inferre perituros. Neque enim *sata læta boumq; labores*, & jumenta dũtaxat diluuijs, sed etiam tota ædifi-

ædificia, & ipſa denique procellis nauigia fatigantur, & fatiſcunt. Tum ſi quidam aquam & fluctus ratibus vincunt, non vincunt inediam.

Ouid. l. 1. Metam.

Maxima pars vndâ rapitur: quibus vnda pepercit,
Illos longa domant inopi jeiunia victu.

Audiui ſæpe diſputantes, plúſne aqua ſæuiat diluuijs exundans, an flamma incēdijs iuualeſcens? Aiunt, qui oculis & incendia, & diluuia æſtimârunt, aquarum vim eſſe longè violentiorem; neq; eſſe artem, induſtriam, aut laborem vllum, qui poſſit torrentis furorem repagulis coërcere. Ignem aqua domat, aut refrænat. Aquā ignis nullus exſiccat inundantem. Si flamma in ædes & vrbes dominatur, patet exitus in plateas, fuga in campos; ſi flumina ſe non cōtinent, ripis, fit terra ipſa, ſiue intra, ſiue extra muros,

Pars maris, & latus ſubitarum campus aquarum.

Quanti tunc ſenum gemitus, quantus juuenum ploratus, quantus virorum clamor, quantus feminarum exiſtit vlulatus? Hæ voces ſunt accuſationes; & quot lamenta, totidem audiuntur argumenta. Merguntur homi-

homines, merguntur naues; illorum & istarum exitium, apud insipientes, est diuinæ bonitatis naufragium; nam, quia id malè factum cẽsent, aiunt, factum, quod DEVS imperauit.

§. II.

Homines ipsos primam esse causſam, vt aquis exorbitantibus puniantur.

Si quis igitur scire cupit, cur DEVS istarum rerum sit author? respondeo in primis potiùs peccatorem, quàm DEVM harum esse rerum authorem. Nam indidem pœnæ, vnde culpæ est origo. Rectè igitur dici potest pœnæ author, qui est author culpæ. Nõ enim DEVS puniret, si homo non peccaret. Quoties itaque, in pœnam, inundationes fluminum, eluuiones marium, aut imbrium cataclismi contingunt, non DEVS judex, sed homo reus est accusandus, qui diuinæ iræ justitiam in caput suum prouocauit. Quid enim? an ignis non noceat nocenti? *Vindex est orbis iustorum*, & non sit vindex Conditoris? quem iam dudum *negantes nosse impij, per fortitudinem brachij* illius, *flagellati sunt: nouis aquis, & grandinibus, & pluuijs persecutionem passi.* Vtuntur impij aquis, contra DEI milites, & non vtatur aquis DEVS, pro suis

Sapi. 16. 16.

Bonfinius. lib. 7.

Dec. 2. Simile quid narrat AEmil. lib. 5. de Dargano.

suis militibus, cõtra impios? Cùm Andreas Vngariæ rex, & Christianæ militiæ, in Palestina, imperator, expugnatâ Damiatâ, ad Nilum, vrbe, Cayrum & Babylonem, quo se Soldanus receperat, obsideret; Suldanus Melchechelchemel Nilum, sub Babylone & Cayro, altioribus solitò ripis coërcuit; & cùm paucis post diebꝰ ille, opinione citiùs, vehementer intumuisset, extemplo defossis vtrinq; ripis, inundationem amnis in hostium castra deriuauit. Effunditur, diluuij more, fluuius; & altiùs altitudine cubiti cuncta superat; ex quo intolerabile Christianis detrimentum illatum fuit. Siccine nôrunt homines vti aquis in Dei seruos, volúntq;, vt aquæ à se faciant, & Deus non submergat aquis hostes? Enimuerò fecit id strenuè, fecit cum ingenti virtutis suæ authoritate.

§. III.

Generalis diluuij causſa & effectus.

Hac de causſa, generali illo cataclysmo, totus mundus, præter octo homines, est obrutus. Tũc enim *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, & sensim ita in immensum excreuit aquarum multitudo, vt, quia

Genes. 7.

Ocea-

Oceanus non sufficerat, ad tot scelerum sordes abluendas; illis temporibus, vis vndarum tandem culmina summorum montium, quindecim cubitis, excederet. Nimirum multis aquis opus erat, ad abluendam tantam multitudinem fœditatémque flagitiorum. Quæ vtinam penitus, & cum stirpe ablata esset. Propagati sunt enim, post diluuium quoq;, non homines tantùm, sed etiã peccatores, qui, cum peccatis repullulârũt. Cur conqueritur mundus, si, quod meruit, patitur? Meruisse, diuinis tabulis probatur. Nam *videns Deus, quòd multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset, in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominẽ, quem creaui, à facie terræ. Noë verò inuenit gratiam, coram Domino.* Hinc in Arca seruatus est. Quod neq; Ethnicos latuit. Nam, vt taceã, quod de Deucaleone Poëtæ fabulantur, in Occidentali historia, legimus, regem Nicaragua interrogasse Christianos illuc primùm appulsos, *Num haberent notitiam alicuius generalis diluuij?* &, *An simile quid adhuc esset expectandum?* Hinc verè Lactantius agens de scriptoribus Ethnicis: *Factum esse dilu-*

Gen. 6. 5.

Iudich. in occid. histor. lib. 6. c. 5. Lactant. li. 2. cap. 10.

diluuium ad perdendam, tollendamq; ex orbe malitiam, inter omnes constat. Multa homines corporum vitia solent aquis curare; an non aquis DEVS curet vitia animorum? Curat enim, dum castigat. Quippe vnius supplicium, alterius est exemplum. Enimuerò etiá diluuium illud plus fuit, quàm supplicium & exemplum, quia remedium quoq; nonnullis fuit, vt D. Hilario videtur. Neq; omnes diluuio submersos æternùm perijsse, piè creditur, & D. Petro conuenienter, de Christo ita loquenti: *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam, in diebus Noë.* Licet enim riserint Noë pœnitentiæ opera prædicantem increduli, & mille confixerint sarcasmis, nullum diluuium futurum putantes; credibile tamen est, tandem ipsius rei prædictæ præsente, & ante oculos versante periculo, multos commonitos, ad seriam pœnitentiam conuersos esse, & de scopulo lachrymas ante in assurgentes aquas profudisse, quàm aquá ipsi haurirent, & ab aqua haurirentur. Es lehrnet einer schon schwimmen / wann ihm das Wasser in das Maul geht. Adeò, et per aquas, velut inter aurum & sil, bono

S. Hilár. in Ps. 118.

1. Petr. 3.

à ma

à malis, pœnitentes ab impœnitentibus discriminauit mundi Gubernator.

§. IV.

Quàm grauiter Ægyptiorum contumacia & impietas, aquis sit punita?

Quod etiam postea euenit, quando, Israëlitis in littus egressis, serui Dei incolumes euaserunt; exercitus autem Ægyptiorum omnis, cũ quadrigis & caballis suis, in Erythræo mari, relabentibus aquarum cumulis inuolutus obrutúsq; est, socio exilij & authore Pharaone. Nimirum grande pondus est impietas, vsque in Tartari ima, & ad barathrum vltimũ deprimit præuaricatores. Hinc Ægyptij *submersi sunt, quasi plumbum, in aquis vehementibus:* Israëlitæ autem inter fluctus, tãquam per muros solidissimè stantes, sicci, indemnésque transierunt. Ante hanc vltimam & capitalem Ægyptiorum cladem, multæ monitiones diuinæ præcesserũt, inter quas etiam plagæ extitêre, quarum prima fuit illa aquarum in sanguinem cõuersio. Siquidem Moyses *eleuans virgam, percussit aquam fluminis, coram Pharaone, & seruis suis: quæ versa est in sanguinem.* Multis de caussis hæc plaga fuit atrox. 1. Quia omnes Ægypti aquæ, vbicunq; demum extiterint,

Exod. 14.

Exod. 15. 10.

Exod. 15. 19.

titerint, sunt corruptæ, atq; in sanguinem cõmutatæ, qui velut è vulnere diuinæ percussionis effluxit. Sic enim enucleatè mandauerat DEVS. *Extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes & omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem, tam in ligneis vasis, quàm in saxeis.* 2. Quia etiam terra Gessen, etsi Israëlitis puros latices fuderit, Ægyptijs tamen luridum sanguinem propinauit. Nam *fuit sanguis in tota terra Ægypti.* Et quidem septẽ diebus sanguinem, loco aquarum, reperẽrunt. *Impleti sunt septem dies, postquã percussit Dominus fluuium.* 3. Quia tristes inde consecuti sunt effectus. Vt enim sanguis, extrà corpus animalis, diu, sine corruptione, nõ permanet; ita illico, fontes, & lacus, & fluuius computruerunt. 4. Quia ex hac putredine pisces, *qui erant in flumine, mortui sunt.* 5. Quia aquæ ad potum ineptę ac perniciosæ factæ, ingenti Ægyptios siti cruciauerũt. 6. E tot piscibus mortuis fœtor ingens extitit, qui vnàcum tabo sanguinis Mephitim Acheronticam expirauit. Vnde aër infectus intolerabili miseros inedia affecit. 7. Sordibus quoq; omnia fœdata sunt, nihil enim inquinatis aquis, aut putrefacto sanguine

munda-

mundari, sed inquinari duntaxat poterat. 8. Ad sitim fames accessit. Ait enim Scriptura, mortuos esse omnes pisces, qui erant in aquis, ob putredinem scilicet aquarum, & sanguinis partim crassitiem, partim caliditatem. Piscium autẽ vsus erat vulgatissimus, & communissimus cibus Ægyptiorum, tum propter copiam, tum propter pretij vilitatem; ob quam & ipsi Hebræi, in solitudine dicebant: *Recordamur piscium, quos, in Ægypto, comedebamus gratis.* Num. 11. 9. Ne siti enecarentur, *Foderunt omnes Ægyptij, per circuitum fluminis, aquam, vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis.* Exod. 7. 24. Itaque fodiendo se macerarunt. Et pro quàm dulci potu? *Aqua*, inquit Thostatus, *quam Ægyptij fodiebant circa flumen, nõ erat vera aqua, sed erat sanguis, qui de sanguine fluminis promanans, subterraneo meatu, per arenas colabatur, & attenuabatur, & purgabatur; aliquantulum perdens sanguinis crassitiem & colorem, & saporem. Solet enim color, & sapor aquarum mutari, excolatione, & propter terras, quas pertranseũt; vt aqua salsuginosa, vel amara perdit saporem illum, transiens per aliã terram, vel in toto, vel in parte. Idq; manifestum fit frequentibus experimentis, in aqua marina,* Thostat. in cap. 7. Exodi.

quæ salsa est; infusa enim in vasa quædã cerea, exuens salsedinem fit dulcis ac potabilis, cera videlicet salsedinem ebibente atq; consumente. Illum igitur sanguinem percolatum, & ad similitudinem aquæ perductum, ob idq; tolerabilem in potu, bibebant Ægyptij.

§. V.

Detestabilis Ægyptiorum potus.

Quàm autem suauis, aut sanus fuerit ille potus, facile est diuinare. Haud vtiq; paulo suauior, quàm Charontis nectar, quod ille è Stygia haurit palude. Legimus, & audiuimus sæpe, fœdissima quæq;, sitis necessitate adactos homines, bibisse; aut fame vrgente abominanda comedisse. Quod & Scriptura

Iob. 6. testatur, in qua ille ait: *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc, præ angustia, cibi mei sunt.* scilicet *animæ esurienti, etiam amara dulcia videntur.* Quare percolatæ licet, tamè sanguineæ aquę, etiam Ægyptijs necessitate quadam sapere debuerunt; neq; enim verè sapere potuerunt. Rectè igitur huius plagæ

Phil. li. 1. de vita Moysis. acerbitatem descripsit Philo, quando Nili in sanguinem descripsit commutationem, addiditque: *Idem in stagnis, fossis, puteis, fontibus, & omnibus Ægyptijs aquis euenit, vt, deficiente aqua potabili, ripas nemo peteret: &*

nouas venas aperientibus, pro limpido liquore, sanguis emicaret, tanquam è vulnere. Piscium quoq; genera extincta sunt, cuncta vitali facultate versa in pestiferam; vt fœtore complerentur omnia, putrescentibus simul tot corporibus. Hominum quoq; siti enectorum magnus numerus jacebat in triuijs; non sufficientibus domesticis ad sepulturæ officia. Itaque plagæ huius grauitatem, sanguis ipse significauit, & tam densa funera, vt deessent vespillones, aut, qui cadauera sepelirent.

§. VI.

Caussæ, ob quas Aegyptij, aquis in sanguinem versis, sunt puniti.

Sensit hunc ictum Pharao, non sensit caussam, non agnouit iram Numinis. In duritie perstitit. Iustè agis cũ injusto, ô DEVS. *Auferuntur judicia tua à facie eius.* Hinc im- Psalm. 9.
patientia, querelæ, furor, atque ex ipsa medicina morbi incrementum. Fuêre tamẽ vel istius quoq; plagæ per aquas illatę caussæ æquissimæ, & justitia cum DEO fecit. 1. *Quoniam*, vt ait Philo, Ægyptij, *præ cæteris rebus, honorabant aquam, tanquam rerum omnium primam & principium; idcirco Deus eam primò ad castigandos, plectendósq; noxios adhibuit.* 2. Quoniam Aegyptij varias exe-

crandæ impietatis cæremonias in Nilo, celebrare consueuerant, vt ibi Apim colerét, & adorarent crocodilos: cum Deo igitur aquæ stare debebant, contra Deum adhibitæ. 3. Quoniam Aegyptij Nilo ipsi, ob aliarum aquarum penuriam, & plurima huius fluminis commoda, diuinos honores sacrilegè tribuerunt. Hanc caussam indicans Theodoretus ait: *Cur primam aquæ plagam intulit Deus? quia valde gloriabantur Ægyptij de flumine suo, & hoc, pro Deo habebant: vt, qui parem vsum illis præberet, atque nubes cæli.* 4. Quoniam Aegyptij Hebræorum infantes inclementer in Nilum projecerunt; vt ergo sceleri pœna responderet, Nilum sibi experti sunt iracundum. *Nam per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Quare loc. cit. scribit Theodoretus, accidisse hanc plagam etiam *propter pueros Iudæorum* in Nilum *demersos: fluuius enim ille mutatus in sanguinem, velut conquerebatur de cæde puerorum, per Ægyptios commissa.* Quam caussam & S. Augustinus indicat. Pœnæ huius æquitas, & illius, quæ à Ioanne est prædicta, ijsdem possunt verbis intelligi, quibus vsus est tertius Angelus, qui effudit phialam iræ Dei super flumina, & super fontes aquarum, &, facto sanguine, dixit:

De hoc cultu Solin. c. 35. & Plin. l. 8. cap. 46.

Theodoret. q. 19. in Exod.

Sapiét. 11. 17.

S. Augustin. in tract. de conuenient. plag. Jo. & Jo. prçceptorũ. Apoc.

dixit: *Iustus es, Domine, qui es, & qui eras, qui hoc judicasti: quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt.* Non mirum est igitur, si & alij, per easdem res puniantur, quibus DEVM offenderunt; atque inde maxima detrimenta capiant, vnde vtilitatem inhonestam, & illicitam voluptatem perceperunt. Sauciantur, fundunt sanguinem, fundunt vitam; non querantur, cùm & ipsi causa fuerint, vt ab alijs quoque sanguis & vita funderetur; discant itaq; dicere: *Iustus es, Domine, qui es, & qui eras, qui hoc judicasti.*

§. VII.

Eadem aqua, eodem tempore, Aegyptijs & Israëlitis non eadem.

Et vide mihi justitiam diuinam, in aquis Aegypti, relucentem. Eadem siue puteana, siue fluuialis aqua, quæ malis fuit mala, bonis bona extitit. *Amnis*, inquit Iosephus, *sanguineis fluentis prolabens, ad potûs inopiam eos redegit; cùm, præter aquam fluminis, nullum fontem habeant. Nec coloris tantùm id erat vitium: sed, si quis siti coactus gustaret, confestim acri dolore corripiebatur. Eratq; talis aqua solis Ægyptijs; Hebræis verò dulcis, potabilis*

Iosephus lib. 2. Antiquit.

tabilis, & omninò pristinam naturam retinens. Quod planè erat ingens miraculum. Eodem tempore, eodem loco hauriebant Aegyptij & Hebræi: quod illis atri coloris cruor, hoc istis limpida aqua fuit. Intelligite hinc, peccatores, si sic elementa dijudicant, quid facturus sit Dominus elementorum.

§. VIII.

Alia judicia Dei, per aquas hominibus ostensa.

Simile judicium, & in alijs aquis, factum legimus. *Siloam fontem esse, ad radices montis Sion,* ait S. Hieronymus, *qui non jugibus aquis, sed in certis horis diei ebulliat, & per terrarum concaua ad antra saxi durissimi, cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos præsertim, qui in hac habitamus prouincia.*

S. Hieronym. in Isa. cap. 2.

Huius fontis ortum & nomen Epiphanius prodit inquiens: *Fontem Deus Siloam caussa* (& precibus Isaiæ) *Prophetæ effecit: quoniam priusquam moreretur, pusillũ precatus est, ut vndas illinc erumpere dignaretur. Et confestim dimisit illi cælitus aquam viuentem. Vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam; quod, si quis interpretetur, sonat* demissum. *Sub Ezechia quoque rege, antè, quàm stagna piscinasque fabricasset, precibus Isaiæ effectum, ut exigua lymp-*

S. Epiphã. de vita & interitu Prophetar. cap. 7.

lympha scaturiret, quòd populus in obsidione hostium teneretur, ne ipsa periret vndis destituta ciuitas. Milites igitur perscrutabantur vndique, vbinam sedare sitim daretur, ignorabant enim. Vrbe quippe iam potiti, obsidebant siluam. Quandocunq; itaq; indigentes Iudæi aquatum venerant, scaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum verò nationum homines reperire nesciebant. Latex namq; aufugiebat. Eoq;, vsq; in hodiernum diem eructatur clanculum, quo significetur mysterium. Ceterùm, quandoquidem Isaiæ Prophetæ istud acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, populus accuratè Prophetam isti solo, cum gloria & honore reddidit; vt per eius intercessionem, in consummationem vsq; sæculi, aquæ huiusmodi fructus impetretur, cui scilicet vsum referebat acceptum. Huic fonti Siloæ haud valde dissimilem videri, ait Baronius, fontem illum, seu fluuium, item in Palæstina *Sabbaticum* dictum, à Iosepho sic descriptum. *Cõspicit, in itinere,* (Vespasianus Imp.) *fluuium cognitione dignissimum. Is fluit medius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni ciuitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam, cùm sit, quando fluit, plurimus, neque meatu segnis; tamen, interpositis sex diebus, à fonti-*

Cæs. Baron. An. 33.

Ioseph. de bell. Iud. lib. 7. cap. 24.

fontibus deficiens siccum exhibet locum. Deinde, quasi nulla mutatione facta, septimo die, similis exoritur: atq; hunc ordinem eum semper seruare, pro certo compertum est. Vnde etiam Sabbaticus appellatus est, à sacro septimo Iudæorum die sic appellatus.

§. IX.

Aquas dari, vel negari à Deo, vt discamus inimicis benefacere, sapere, orare.

Quemadmodum Sabbaticus hic fons Iudæos docuit, Sabbata seruare, atque laboris cursum cohibere, vt DEO vacarent; ita ille prior Siloa dictus monstrauit, homines esse in caussa, vt nonnunquam diuinæ beneficentiæ fontes exsiccentur. Nam etsi Pater cælestis *pluit super justos & injustos*, vt doceat nos inimicis benefacere, & diligere eos, qui nos persequuntur, quod vt S. Hieronymus ait, *fecit Dauid in Saul & Absalom: Stephanus quoq; pro lapidantibus deprecatus est, & Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus*; sæpe tamē etiam delinquentibus necessaria subducit, vt ex inopiâ sapere incipiant, quos fecit abundantia recalcitrare. Quin etiam potentiam suam, ac dominium in creaturas manifestat. Nam *continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emi-*

Matth. 5. 45.

S. Hieron. in eund. loc.

Iob. 12. 15.

ferit eas, subuertent terram. Hic est gladius ille anceps, & vtrinque acutus, quo potest inimicos ferire, siue neget aquas, siue cumulet. Negat, vt oremus; cumulat, vt videamus, nos aliquid orando impetrauisse. Sic instruimur, auerti à nobis creaturas, quando nos auertimur à Creatore; & fugere pœnam, si nos ad Iudicis clementiam confugiamus. *Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* ait Tertullianus. Et Philo scribit, de prima Aegyptiorum plaga: *Per septem dies, hoc malum durauit, donec Ægyptijs suppliciter Moysen inuocantibus, & illo deprecante, Deus misertus est pereuntium. Is enim, cuius infinita bonitas semper est exorabilis, mutauit sanguinẽ in aquam dulcem, redditis amni fluentis salubribus, qualia priùs fuerunt.* Igitur discrimen, inter suos, & idolorum cultores, patefecit Dominus, quando Israëlitis aquam dulcẽ, Aegyptijs sanguinem propinauit; & plectendo hostem pepulit ad orationem, cuius vim declarauit, dum Aegyptijs Moysen, & Moysi Deum orantibus redonauit aquarum vsum.

Tertullian. ad Scapulã. cap. 4.

§. X.

Aquas alijs pro speculo, Gedeoni ac Hispanis, & Gallis pro judice fuisse.

Maxi-

Maximè verò sæpè in aquis, velut in speculo, reluxit bonorum malorumque, tanquam pulchrorum ac deformium discrimen. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Ad ripam stans Minerua, atque imaginem suam, inflatis buccis tumidam, cernens, tibiam abjecit. *Nec sum adeò informis, nuper me in littore vidi*, ait Corydon. Et, apud alium Poëtam, ita se ipsum, canit Polyphemus.

Prou. 27. 19.

Virgil. Eclog. 2.

Ouid. lib. 13. Metamorph.

Certè ego me noui, liquidáque in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitque mihi mea forma videnti.

Idem li. 3. Metamorph.

Nimis longa fabula, quamuis elegans est Narcissi, se ipsum, in aqua licet exitiosè cõtemplati. Aegyptij sanè poterant suam, in sanguineo flumine, deformitatẽ agnoscere, atque Israëlitarum intueri innocentiam eadem limpidas haurientium. Quos tamen & ipsos aquæ probauerunt. Idcirco enim ait Dominus: *Probaui te apud aquam contradictionis*; cùm aqua deesset, è silice euocanda. Et, alio tempore, *Dixit Dominus ad Gedeon: Adhuc multus populus est, duc eos ad aquas, & ibi probato illos: & de quo dixero tibi*

Exod. 15. 19.

Psal. 80. 8.

Exo. 17. 5.

Iud. 7. 4.

tibi, vt tecum vadat, ipse pergat quem ire prohibuero, reuertatur. Cúmq; descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erũt. Fuit itaq; numerus eorum, qui manu ad os proijciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris, qui lambuerant aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian. Omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum suum. Cur autem illos, & non hos elegerit ad pugnandũ DEVS, non solùm causſa erat, quòd illorum minor fuerit numerus, sed etiam, quia fortior. Siquidem stando lambere aquas, manu ad os proiectas, indicium est, hominem non admodum fatigatũ aliò festinare; pronum autem ac jacentem sorbere aquas, exhaustarum virium, aut pigritiæ signum esse solet; adde & intemperantiæ; nimis enim auidi est, rebus cupitis inhiare. Legimus tale itidem judicium indiciúmq; miraculo datum, apud Sigebertum. Nam Gallis atque Hispanis de celebratione Paschæ inter se cõtendentibus, quòd Hispani, die 21. Martij, Sigeberti An. 573.

tij, Galli verò 18. Aprilis, illud celebrassent, prodigio luculento detexit DEVS, Gallos rectè celebrasse. Siquidem fontes, qui in Hispania, Sabbato sancto, ad baptizandum sponte diuinitus repleri cõsueuerant, An. Christi 573. non in Hispanorũ, sed in Francorum Paschate repleti sunt: tãta est abundantia veritatis, vt etiam in aquis scripta perseueret. Cum his veritas facit; aquæ cum veracibus.

§. XI.

Aqua perjurij vindex, vt malis mala, sic bona bonis.

Eiuscemodi quidem & alia per aquam judicia complura à varijs memorantur; sed afflictâ fide, qualis solet esse Græca. Vnũ apponam. *Est juxta Tyana, aqua* (ait Philostratus,) *Ioui (vt perhibent) sacrata, quam indigena inextinguibilem vocant. Fons eius frigidus sanè scaturit. ebullit autem non secus atq; igne calefactus lebes. Hanc puris & juramenti fidem seruantibus viris aspectu placidam, & gustu dulcem esse perhibent; perjuris verò, & infidis palam aduersatur. Epota namq; oculos pedésq; ac manus peierantis inuadit; pustulis ac vomicis totũ corpus inquinans. Neq; illinc discedendi facultas datur; sed ibidem permanentes, coram*

Philostratus lib. 1. de vit. Apollonij Thyanei. cap. 4.

coram aqua ipsa, suam deplorant calamitatem, palàm, quod peierârant, profitentes. Alij vatidici fontes, è pluribus alijs scriptoribus, afferuntur, sed vel fabulosi sunt, vt dixi, vel superstitiosi. Tametsi enim negari non potest, quibusdam aquis, supra naturæ indolẽ ac potestatem, ad impios plectendos, vel à DEO inditam vim prodigiosam, vel à Sanctis extraordinariam virtutem impetratã, simium tamen DEI agere conatur vbique diabolus; qui in mancipijs suis superbiam amans, non modestiæ & humilitatis virtutem, sed miraculorum splendorem, quo Sancti claruerunt, æmulatur.

§. XII.

Iudicia, per aquam feruentem, prohibita esse.

Qua de caussa, An. DCCCL. XXXV. Stephanus V. Pontifex Romanus Humberto Moguntino Episcopo respondit in hunc modum. *Consuluisti de infantibus, qui in vno lecto dormientes, cum parentibus, mortui reperiuntur, vtrum ferro candenti, aut aqua feruente, aut alio examine huiusmodi parentes se purificare debeant, eos non oppressisse. Monendi sunt namq;, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in lecto collocent, ne negligentia* Ex Gratiano. 2. q. 5. c. Consuluisti. Alfõs. Ciaccon. de gestis Stephani V.

qualibet proueniente suffocentur, vel opprimantur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur. Nam ferri candentis, vel AQVÆ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent Canones. Et quod, SS. Patrum documento, sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.

§. XIII.

Quibus formulis, aut legibus, judicium superstitiosum, per aquas, fuerit olim permissum?

Hæc diligenter obseruanda sunt ijs, qui vel naturæ ignorãt vires, vel miracula ambiunt, vel DEVM tentare non verentur. Fateor, apud antiquos exempla reperiri. Sed ea si lex non damnat, sola vel simplicitas sancta, vel diuina inspiratio; vel hominum piorum alma fides, ac religio miraculis digna excusat. Vt enim laminis cãdentibus, quibus inambulauit S. Kunegũdis, Henrici suam virginitatem probatam fecit; ita alij feruentibus aquis illæsi Fidei integritatem testan-

testati sunt, exemplo mirando, non imitando, qualia paulo infrà referam. Quocirca non boni æmulatores fuerunt, qui rei superstitiosæ, sanctissimarum in speciem formularum colorem induxerunt; vt tantò plures falleret vanitas inaurata. Nam hac in probatione, aqua, apud Francos, his verbis consecrabatur. *Deus judex justus, fortis, & patiens, qui es auctor & amator justitiæ, qui judicas æquitatem: judica, Domine, quod justũ est, quia recta tua judicia sunt, qui respicis super terram, & facis eam tremere. Tu, Domine, omnipotens, qui per aduentum Filij tui, Domini nostri Iesu Christi mundum saluasti: & per eius Passionem, genus humanum redemisti: Tu hanc aquam, per ignem feruentem sanctifica, qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, Abdenago, jussione regis Babylonis, missos in caminũ ignis seruasti: Tu clementissmè præsta, vt, si quis innocens in hanc aquam feruentem manum mittat, sicut tres pueros supra dictos, de camino ignis eripuisti, & Susannam de falso crimine liberasti, ita, Domine, manum illius saluam & illæsam perducas. At, si quis culpabilis, vel, incrassante diabolo, cor induratum, præsumpserit manum mittere: tua justissima pietas hoc declarare dignetur, vt in eius corpore, tua virtu-* Auentin. lib. 4.

te, manifestetur, & anima illius, per pœnitentiam, saluetur. Plures eiuscemodi formulas ac orationes exhibet Martinus Delrio. Cõstat etiam, hanc, per feruentem aquam, aut lapilli ex ea extractionem, fieri solitam purgationem, receptam legibus Longobardorum, Saxonum, Frisiorum, & Rhenanorum. In lege Lombard. *Si cuiuslibet hominem interfecerit, judicio aquæ feruentis examinetur, vtrum hoc sponte, an se defendendo fecisset.* In legibus Frisonum hæc habentur: *Si res grauis erit, seruum ad judicium Dei, in aqua feruenti examinet.* Item. *Et, ad examinationem feruentis aquæ judicio Dei probandus accedat.* Item. *Et se per sacramentum judicio Dei examinandum, feruenti aqua, innocentem ostendat.* Denique, in formula pacis Alsatiæ habentur ista: *Plebeius autem, & minoris testimonij rusticus, aquæ frigidæ se expurget judicio.* Et audimus subinde, pertinaci traditione, ad hoc, vel illud aquæ judicium seruos, & ancillas, aliásque nonnullas mulierculas præ sanè fidenter, prouocare: gnaras scilicet, id non permissum iri; alioqui vtique non prouocaturas; sed nec permittendas vt velint, culpæ, aut innocentiæ veritatem fortuito aquæ aut ignis euentu decidendam permittere.

Martin. Delrio. 4. lib. Disquis. c. 4. q. 4. sect. 4. Lombard. li. 1. tit. 10. Hotoman. de Feud. cap. 44. Sax. li. 1 art. 39. Leges Frison. tit. 3. & tit. 14. c. nobilis 2. q. 4. B. Rhenan. l. 2. Germer.

§. XIV

§. XIV.

Quibus de cauſsis judicium, per aquas, ſit illicitum?

Etenim 1. ipſo nomine damnantur temerariæ eiuſmodi diſquiſitiones. Vocantur enim *Purgationes vulgares*, quia nullo legitimo vſu, ſed vulgi quadam duntaxat vſurpatione, & obſeruatione ſuperſtitioſa ſunt introductæ. 2. Quia eiuſcemodi judiciarijs modis DEVS tẽtatur potiùs, quàm eius exploretur voluntas. 3. Quia temeritas eſt, petere, vt DEVS miraculum faciat, ad innocentiam noſtram manifeſtandam, ſi non DEVS ipſe id ſuggerat. 4. Quia hanc conſuetudinem ridet Fridericus Imp. II. quam etiam iam priùs vetuerat Lotharius Imp. in legibus Longobardorum; & illo antiquior Carolus magnus. 5. Quia, præter ſupra dictum Stephanum Pontificem, etiam alius Pontifex, apud Gratianum, & Lucius morem iſtum damnauit; *judicia peregrina* & *inhibita* (ſacris ſcilicet canonibus) ea vocans. Innocentius III. certè ſanxit in Conc. Generali, ne vllus Clericus purgationi aquæ feruentis, aut frigidæ, ſeu ferri candentis, ritum cuiuſlibet benedictionis, aut conſecrationis impendat. 6. Quia non tam verba

In leg. Long. li. 2. tit. 54. Carol. Mag. in capitularib. lib. vlt. c. ſententiam ſang. ne cleric. &c.

huic ritui adhibita, quæ pleraque pia erant, quàm res ipsa prohibebatur, quæ non erat tantùm tẽtatio DEI, sed etiam miraculi Iudaici imitatio: quę irrepsit ad similitudinem poculi Zelotypiæ, quod Moyses, apud Iudæos, DEO authore, verbis amaricantibus miscuit. S. Hieronymus ait, Hebræos tradere, *quòd coram Domino, in eandem aquam maledicta congesta sint: &, sicut in lege mulier Zelotypa, hausta aqua, probatur, ita & idololatræ hac aqua probati sint. Hi videlicet, qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt etiã, quòd quicumq; idololatra hanc aquã gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea ab inuicem idololatra separare posset.* Quæ traditio si vera est, DEO jubente, id à Moyse factũ est. At solus DEVS occulta cordis nouit & indicat; solus DEVS nequit, cùm secreta cordium aperit indicátque, mentiri. Quia igitur veritatem sic se indicaturum spopondit Moysi, meritò fides ei adhibita est, & licitè potuit modus ille seruari. Iam verò eiuscemodi promissio diuina nulli aquæ facta est; præposterè itaque judicium aquæ seu frigidæ, seu bullienti cõmittitur stolidè creditur, aquam de se dignoscere reos atq; innocẽtes. Genio non caret aqua, sed ingenio & judicio.

Nũ. 5. 14.

S. Hieronym in 1. Reg. 16.

§. XI.

§. XV.

Miracula, vel quasi miracula fieri subinde etiam à non sanctis. Et quid inter verum & apparens miraculum interſit?

Duo hîc video, quæ, clypei modo, possunt obtendi. Primum contingere sępe miracula in eiuscemodi judicijs, quæ etiam non Sancti instituerunt. Deinde ipsos etiam Sanctos talia judicia vsurpauisse. Vtriusq; exempla præsto sunt. Primi, apud Sigonium, & Aimoinum, istud: *Ludouico Germaniæ rege, Francoforti, mortuo, Carolus Caluus Imp. & Franciæ rex, properè Aquas, Coloniámq; cõtendit. vt Lotharingiam, quæ fratris & filij eius Lotharij fuerat, occuparet. Ludouicus tres filios reliquerat. Carolomannũ, Ludouicum, & Carolum cognomine Crassum. Ex quibus Ludouicus, qui paterno funeri interfuerat, vbi patruum paterni regni fines ingressum, castra ad Rhenum posuisse audiuit, ira incensus, quòd paternum regnum inuadere esset ausus, Francofordia copias mouit, atq; ad alteram Rheni ripam è regione consedit. Ibi jure primùm, deinde gratia, per legatos, petita, cùm neutrum impetrasset: decem homines, cum aqua calida, totidémque cum frigida, decémq; alios cum ferro can-*

Car. Sigõ. li. 5. regni Italię. Aimoin. l. 5. histor. Francor. cap. 34.

ro candente misit, jussos experiri judicio, vtri regnum illud conueniret, quod cum ipso pater suus Ludouicus, sacramento interposito, diuisisset. Qui, re tẽtata, cùm detrimentum nullum cepissent, nihil tamen æqui obtinuerunt. Manũ hi in aquam feruentem injecerunt partim, partim in frigidam, partim etiam ferrum candens gestantes, nihil senserunt læsionis. Omnia pro miraculo habebantur. Vt enim naturæ Author innocentis manum, in aqua feruenti seruabat ab adustione innoxiam, ignis vi suspensa, sic in frigida aliquando nocentis manum vrebat. Perinde enim illi est, seu, frigida vrere, seu calidam, ne vrat, impedire. Exempla talia reperiuntur; sed, vt dixi, vel excusantur sancta simplicitate, vel defenduntur pio justitiæ zelo ac tacita ipsius Numinis suggestione. Neque enim miracula Sancti tantùm perpetrant; cùm miraculorum gratia, sit gratia gratis data, quæ non exigit necessariò Sanctos. Quippe

Mãtth. 7. 22. *multi dicent, in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo damonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quibus Christus respõdebit: *Quia nunquam noui vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Accedit, sæpe miracula

racula videri, quæ miracula non sunt; sed glaucoma, & præstigiæ, ac fascinationes oculorum; aut certè miracula impropriè dicta. Quo pacto Moysen imitati sunt magi Pharaonis; qui, quia idem feciſſe videbantur, dicebantur & ipsi similiter feciſſe. *Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi, per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter.* Quod diabolus facit, ad eleuanda miracula vera; ad decipiendos homines, & in errorem inducendos; ad authoritatem magicis artibus cõciliandam; sæpe etiam ad reos defendendos, & opprimẽdos innocentes. Siue opera illa magicis artibus effecta simulata sint, siue vera; de quibus D. Thomas, *dæmones*, inquit, *non possunt facere miracula propriè dicta; quia miraculum propriè dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoq; miraculum largè, quidquid excedit humanam facultatem & considerationem. Et sic dæmones possunt facere miracula, faciendo scilicet ea, quæ homines mirentur, eorumq; facultatem, & cognitionem excedant. Nam & vnus homo, in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem & cognitionem alte-*

Exod. 7. 11.

S. Thom. 1. p. q. 114. a. 4.

rius hominis, ducit alium in admirationem sui operis, vt quodammodo miraculum videatur operari. Sciendum tamen est, quòd, licet eiusce-modi opera dæmonum, quæ nobis videntur miracula, ad veram miraculi rationem non pertingant: sunt tamen quandoq; res veræ; sicut magi Pharaonis, per virtutem dæmonum, veros ser-

Iob. 1. *pentes & ranas fecerunt. Et quando ignis de cælo cecidit, & familiam Iob, vnà cum gregibus pecorum, vno impetu, consumpsit; & turbo domum deijciens filios eius occidit, ea fuerunt opera sathanæ non sanè phantastica, vt docet Augustinus de ciuitate Dei.*

§. XVI.

Dæmones, artibus occultis, velut miraculis, fallacias struere.

Possunt igitur vtique & dæmones brachium, frigido humore, contra feruentem aquam, munire, vt aqua, etsi feruida, videatur vim vrendi amittere; licet reuera non in aqua, sed in vnguento sit, quod miraculi speciem potiùs, quàm rem continet. Vidimus circumforaneos succis quibusdam illitas manus liquato plumbo, sine noxa, lauare. Quod mirantur, qui nesciunt virtutem vnguẽti; vti & albumine oui ligna, in flammis, illæsa in stuporem dant ignorantes.

His

His talibus artibus nouit vtique & dæmon homines dementare, non tamen, nisi malo fine, innocentes; pessimo autem, reos defendere. Quod DEVS sapientissimo cõsilio permittit. Verè enim ac eruditè S. Augustinus, in illa verba: *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*, ita scribit. *Quod autem Dominus dixit, Pseudoprophetas multa signa & prodigia facturos, ita vt fallant etiam (si fieri potest) electos; admonet vtiq;, vt intelligamus, quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt: nec ideò tamen potioris loci apud Deum esse, arbitrandi sunt. Non enim acceptiores Deo, quàm populus Israël, erant magi Ægyptiorum, quòd non posset populus ille facere, quod illi magi faciebãt: quamuis Moyses, in virtute Dei, maiora facere potuerit. Sed ideò non omnibus Sanctis ista tribuuntur; ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes, in talibus factis maiora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibuit gaudere discipulos, cùm ait:* Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subijciuntur; sed in hoc gaudete, quoniam nomina

Matth. 24

S. Augustin tract. 83. qq. q. 79.

Luc. 10. 20.

mina vestra scripta sunt in cælis. *Cùm ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt; talia quidem visibiliter esse apparent, sed ex diuerso fine, & diuerso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, hi faciunt quærentes gloriam Dei: & illi faciunt quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, vel beneficia: isti autem publica administratione, jussu eius, cui omnis creatura subiecta est.* Hæc Augustinus: quæ sufficiunt ad eam quæstionem, cur etiam non Sanctis tales subinde succedant aquarum probationes? aut cur innocentibus noceant? est enim Alastor, qui illis fauet, istis nocet, quantum quidem ei à DEO permittitur. Nam neque impijs quidem plus nocere potest, quàm ei concedatur; cùm sit DEI lictor. Lictori autem non licet præscriptum judicis excedere.

§. XVII.

S. Gangulphi vxoris adulterium, per aquæ judicium, deprehendentis mirandum, non imitandum exemplum.

Altera obiectio erat, ipsos etiam Sanctos tales aquarum probationes vsurpauisse. Nã memorãt, S. Gangulphum martyrem, famâ turpi vxoris suę percussum, ad hoc examen, animum

animum adjeciſſe. Ita enim, in vita illius, ſcribitur. *Interim ad quendam veniunt fontem* (Gangulphus & vxor) *vbi his vxorem vocibus compellat: Multa quidem de te, coniux, paſsim feruntur fœda & indigna natalibus tuis; & adhuc quidem mihi certò non conſtat, verène, an falsò illa dicantur. Tum illa etiam intrepidè jurans, falſos de ſe rumores ſparſos, ait, nec ſe vnquam alieno concubitu pollutam. At Gangulphus: diuina, inquit, prouidentia, quam nihil fugit, vt ſe res habeat, iam certis declarabit indicijs. En fons hîc propoſitus eſt, nec frigidus valde, nec immodicè calidus. In hunc igitur immitte manum, & è fundo lapillum extrahe. Et, ſi quidem à culpa es aliena, nihil mali patieris: ſin autem polluta es, non ſinet Deus latere ſcelus tuum. Illa B. viri, ſicut alios omnes, ita hos quoq; ſermones vecordia aſcribens incunctanter manum iniecit in fontem. Ecce autem ſimul atq; lapillum ſecum retrahere conata eſt, membris ferè omnibus obrigeſcit, & in digitis, & brachio, quouſq; aqua pertigit, abſtracta cute, nuda caro cernitur; nihilque aliud miſera illa, niſi repentinum interitum expectat.* Quid inde boni euenerit Gangulpho, in tractatu de Matrimonijs, dicemus. Hinc ſanè conſtat, aquam etiam temperatam,

Surius 11. Maij.

tam, vim comburendi diuinitus accepisse; & virum sanctum, ab hoc genere probationis non abhorruisse, vxorémque eius ad aquæ tribunal secutam, *condictitia actione* damnatam. Et nemo vtique hîc calumniæ causſa litem intendet, vt rem dicat malis artibus procuratam. Impius sit, qui de sancto talia suspicetur. Quid ergo? num omnibus licebit, quod licuit Sanctis? nequaquã. Scribũtur illorum vitæ, vt eorum virtutes, non vt miracula imitemur. Contrarium faciunt peruersi: mores illorum fugiunt, honores ambiunt. Hinc æmulos vitæ paucos, plurimos habent dignitatis. At vera dignitas in vitæ integritate consistit, non in jactantia miraculorum. Quamuis & miraculis nonnullos DEVS ornet; sed ornat, quos vult, & cùm causſas habet, fidei miraculis conciliandi authoritatem.

§. XVIII.

Feruenti aqua Fides defensa, hæresis vsta, miraculo item mirando, non imitando.

Qualem habuit, Diacono Catholico, cum Presbytero Ariano disputãte, & ad fidei veritatem comprobandam, apud S. Gregoriũ Turonensem, sic prouocante: *Factis rei veritas approbetur, succendatur igni æneus, & in feruenti*

S. Gregor. Tur. lib. 1. de glor. Mart. c. 81.

feruenti aqua annulus alicuius proiciatur, qui verò eum ſuſtulerit ex vnda feruenti; ille juſtitiam conſequi comprobetur. Feruentior fuit huic animus, quàm conſtantior; & fortaſſe ſcopus etiam melior, quàm modus actionis. Hinc, ne fides ſuccumberet, miraculo DEVS cenſuit mentem nutantis corrigendam. Acceperat enim conditionem hæreticus. Sed Diaconus, ob præcipitatam ſubito impetu ſententiã, diffidentia tẽtatus, neſcio quibus vnguentis brachium manúmq; illeuit. Steterant iam vtrinque, ad judicium experiundum, accincti athletæ; cùm hæreticus metu pallidus repẽtè periculum ſubire detrectat: Catholicus verò brachium exſerit, ſed vnguentis delibutum. Quòd vbi vidit alter, magnis vocibus, exclamauit: *Aduerſarium magicis artibus, non Fidei, confidere. dolum ſubeſſe. conditionem cadere.* Oritur altercatio: & ferè etiam ſcandalum. Nam & Catholici, qui confluxerant, dicebant, ſibi id genus diſputandi non placere; nec miracula artibus ſimulanda. Ita temeraria prouocatio propemodum in periculum maximum adduxiſſet religionis authoritatem. Tempus ergo fuit, vt DEVS malè cœpta, bene finiret, ac fortiorem huic certamini athletam

ſuccen-

succenturiaret. *His itaque litigantibus superuenit Diaconus alius ab vrbe Rauẽna, Hyacinthus nomine, scitánsque, quæ esset hæc altercatio; vt veritatem cognouit, nec moratus, extracto è vestimẽtis brachio, in æneum dexteram mergit. Annulus autem, qui iniectus fuerat, erat valde leuis ac paruulus, nec minùs ferebatur ab vnda, quàm vento ferri posset vel palea. Quem diu multúmq; quæsitum, infra vnius horæ spacium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille, sub dolio, quò validiùs feruens nõ facilè posset assequi annulus à manu quærentis; extractúsq; tandem. Nil diaconus sensit in carne sua: sed potiùs protestatur, in imo esse frigidum æneum; in summitate verò caloré teporis modici continentem. Quod cernens hæreticus valde confusus iniycit manum audax in æneo, dicens: Præstabit mihi hoc fides mea. Iniecta manu protinus, vsq; ad oßium internodia, omnis caro liquefacta defluxit, & sic altercatio finem accepit.* Facta hæc, nemo inficiatur: & facta, ingenti miraculo, agnoscimus libenter; vt in eadem aqua religio vera incolumis esset, falsa autẽ damnaretur. Sed num imitanda? nequaquam. Non omne tempus, nec omnis locus, est tempus, aut locus miraculorum. Neque DEVS ad prodigia alligatur;

gatur; potest fidem alijs quoque rebus astruere; immo, justissimè miracula negat, vbi sunt, qui ea intempestiuè exigũt. Vnde, dicentibus Scribis & Pharisæis, *Magister, volumus à te signum videre*, respondit: *Generatio mala & adultera signum quærit: & signũ non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Et *Herodes, viso* IESV, *gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signũ aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat.* Matth. 12. 38. Luc. 23. 8.

§. XIX.

Sagarum, in aquis natantium, iudiciariam explorationem non modò illicitam, sed etiam contra rationem esse.

Discunt hinc miraculorum intempestiui sititores, DEVM prodigia exhibere, quando ipse vult, non quando ipsi. Patrata sunt, ea quidem, per diuini spiritus viros, sed DEI jussu, non libitu curiosorum; atq; ad veritatem, non ad vanitatem stabiliendam. Multa, in Sanctis suis, mirari nos vult DEVS, non imitari. Quare mirari satis non queo quorundam hominum judicia, qui, cùm à Sanctorum vita procul recedant, tamen eorum miracula non verentur affecta-

re. Monstri simile est, Pontificiam prohibitionem, apud vulgus indoctum valuisse, & tamen viros, qui sibi videntur prudentes ac eruditi, adhuc istam aquarum probationem nō solùm defendere, sed etiam ad maleficas deprehendendas adhibere. Licitā esse mordicus contendit Arnoldus Scribonius Philosophus Marpurgensis. Sed hic hæreticus fuit. Magis miror, à Catholico calamo eandem fuisse sententiam propugnatam. Longè autem maximè stupeo, quod inter plurimos, sermone quotidiano, pro certo habetur, & ante hac, in multis Germaniæ vrbibus ac locis, maximéque Westphaliæ circulo, fuit vsitatum, in exploratione maleficarum, quas suspectas eduxerunt ad fluuium, aut lacum, atq; in aquam ita coniecerunt, vt dextra manus sinistro pedi, sinistra verò dextro esset obligata. Si supernatabat, quasi ouum inane, venefica putabatur; sin mergeretur, innocens existimata est. Quo in genere probationis multa sunt delicta. Nec enim sacri canones duntaxat eo violantur; sed ipsa etiam justitia & natura. Si enim aquæ justè judicium ferrent, veneficos mergere, non innocentes, deberent. Deinde huius farinæ homines in ro-

gum,

gum, non in fluuium; in flammas, non in vndas sunt conijciendi. Et quę natura aquę vim dedit veneficas portandi, ne mergãtur? An quia plerumque sunt fæminæ leuiores? Sed ea leuitas illas non attollit, quia est leuitas morum, non membrorum. Aut quia aquæ, suapte natura, malis parcunt, & sæuiunt in innocentes? quis illis dicit, hos malos, illos esse innoxios? &, si scirent, quàm iniquæ essent, si bonis malè, malis bene suâ naturâ facerent? Scio esse, qui dicant, dæmonem in sagas intrare, illásque sua naturali leuitate sustentare. Atqui hæc dæmonum leuitas à Philosophia exploditur. Præterquam, quòd, si hac leuitate spiritus illi præditi essent, Gerasenorum sues natare, non mergi debuissent, quod non est factum, quando *exierunt dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.* Peccant igitur judices, qui Pontificiæ prohibitionis gnari, tam friuola aquæ probatione vtuntur; quique hac ratione DEVM tentãt, quod est delictum religioni, & primo Decalogi præcepto aduersum; neque pro miraculo, sed, pro pacto magico habendum.

Luc. 8. 33.

Vide Martin. Delrium. lib. 4. disquis. ca. 4. q. 5.

§. XX.

Temerariam innocentiæ probandæ consuetudinem passim inualuisse.

Rarum ais esse hoc peccati genus? quid si est frequẽtissimum, quid si quotidianum? quid si inolitum vbique, etiam apud priuatos? nec iam in aqua tantùm, sed etiam in vino, lacte, cereuisia; pane, offa, & omni cibo, omni potu, seruis, ancillis & ancillariolis, opificibus, & artificibus perquam visitatum. Quoties enim, inter prandendum & cœnandum, audiuntur eiuscemodi *probationes & purgationes vulgares? Si hoc, vel illud non est verum, hac me aqua suffocet? hic mihi haustus sit vltimus? hoc vinum vertatur in venenum? hoc lacte peream? hac cereuisia fiam ceritus? hoc pane stranguler?* & similia sexcenta? Nonne hæc est *purgatio* consuetissima? & satis *vulgaris*, quia satis vulgata? Nonne hoc est, tentare DEVM? nonne hoc miraculum petere? Quod quidem etiam non rarò sequitur, ad tales imprecationes: non vt à DEO approbentur, sed vt audacissima mortalium temeritas puniatur, in exemplum aliorũ, qui monentur, vt caueant scopulum, in quem vident alios impegisse. Caueant ergo sibi malè conscij innocentiæ

sua,

ſuæ teſtimonium à miraculis petere, cauẽant ſibi ipſis pœnam ſtatuere, quæ dilata, facit nocentiores, illata miſericordiam nõ meretur. Itaq; ſi exiſtimant, ſe exempla habere Sanctorum, non aliter eos, quàm equũ aſinus, in fabulis, imitantur. Vnà iter faciebant equus & aſinus, ille ſale, iſte ſpõgijs onuſtus. Procubuit in vadoſo flumine equus, &, ſale liquefacto, ſe feliciter exonerauit. Quod vbi aſinus vidit, procubuit & ipſe; ſed, ſpongijs aqua repletis, onus longè maius ferre coactus eſt; ſenſitq; vel hinc ſe aſinum eſſe, vt qui non ſciuerit eadem, alijs aliter diſpoſitis, non eodem modo ſuccedere.

CAPVT IX.

Non poſſe ab hominibus Deum aquis punientem accuſari, cùm aquis ipſi & alios, & ſe ipſos plectant.

§. I.

Aquas eſſe juſtitiæ & miſericordiæ diuinæ inſtrumentum.

SI laudabilis eſt juſtitia, laudẽ merẽtur etiam juſtitiæ inſtrumenta. At verò, teſte Pythagoræo Theage, *& inter Deos magnam vim habet, & inter homi-* Theag. lib. de virtute.

homines justitia. Totius enim atq; vniuersi, tum inter hos, tum inter illos, cõmunionem hæc virtus continet. Ac Themis quidem, apud superos: Dice autem, apud inferos: Lex verò inter homines, nuncupatur. Huius ergo virtutis, siue cùm vitia & virtutes inter se discernuntur, siue cùm homines probi defendẽdi improbíq; plectendi sunt, instrumentum aptissimum esse, docuimus, aquas. His mundi Moderator oues suas reficit, quarum vna ait:

Psalm. 22. 2. *Super aquam refectionis educauit me.* his hœdos suos plectit, vnde ait: *Effundam, quasi aquam, iram meam.* Vtrumq; assiduè considerat sponsa Christi. Quare

Osee. 5. 10.

Cant. 5. 12. *oculi eius, sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residẽt juxta fluenta plenissima.* Videt in aquis faciem sponsi sui resplendentem, & vno quidem oculo justitiam, altero autem misericordiam eius intuetur. Quo

Psal. 118. intuitu incalescens exclamat: *Confitebor tibi in directione cordis: in eo, quòd didici judicia justitiæ tuæ.* Ast alia vox, alius clamor est coruorum, quàm columbarum. Retrahere volũt columbas à pijs suspirijs ac laudibus, & transdere in execrationes, cùm intelligunt aliquid sibi incommodi ab aquis nasci. Nimirum impunè vellent peccare: &

dum

dum DEVM identidem creaturis offendũt, nollent ipsi offendi à creaturis.

§. II.

Homines aquâ punientes, & aquis puniri indignantes, quàm iniquè Deum tractent.

Quàm iniqua hæc sint vota, indignæq; cogitationes, vel à se ipsis discant. Emendant, puniunt, occidunt homines hominem aquis ad vitam sustentandam creatis; & indignantur, quando rerum omniũ Conditor, aquis vtitur ad hominum scelera abluenda? Vt homines hominem exitiabilem morte multent, in mare proijciunt; vt emendent, projecturos se minantur; & Deo idem facere sit nefas? id cùm faciunt, laudari volunt; cùm DEVS facit, criminantur? Optimus est vsus aquarum, quando ijs hominum corpora curantur; & pessimus sit, quando illis hominum scelera castigantur? Intolerabilis amentia est, quando mortales sibi plus licere volunt, quàm DEO. An enim non volunt sibi id licere? Certè voluerunt, qui dixerunt: *Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare.* Affinis huic historiæ est fabula A- Ion. 1. 14.

rionis, quam Poëtæ atque hiſtorici elegan-
ter narrauerunt, declarantes ſcilicet, qua
ratione, homo in hominem etiam innocen-
tem aquis ſæuiat; DEVS autem innocentiã
defendat. Ea verò fabula, ſuper fidicine A-
rione *celeri admodum & cohibili oratione, vo-*
cúmq; filo tereti & candido, vt Gellius ait,
ſcripta eſt ab Herodoto.

A. Gellius. lib. 16. c. 19.

§. III.

Arionis in mare iactati fabula.

Vetus, inquit, & nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymnæus, terrâ atq; inſulâ omni Lesbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatúmq; habuit, artis gratiâ. Is inde a rege proficiſcitur, terras inclytas, Siciliam atq; Italiam viſere. Vbiè venit, aureſq; omnium, mentéſque, in vtriuſq; terræ vrbibus, demulſit. In quæſtibus iſtic & voluptatibus amoribúſque hominum fuit. Is tum poſtea grandi pecunia, & re bonâ multâ copioſus, Corinthum inſtituit redire. Nauem igitur & nautas, vt notiores amicioreſq; Corinthios ſibi delegit. Sed eo Corinthios, homine accepto, nauiq; in altum prouectâ, prædæ, pecuniæq; cupidos cepiſſe conſiliũ de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellectâ, pecuniam cæteraq; ſua, vt haberent, dediſſe: vitam, modò ſibi ve-

parcerent.

parcerent, orauisse. Nautas precum eius harum commiseritum esse illatenus, vt ei necem inferre per vim, suis manibus temperarent: sed imperauisse, vt iam statim coram desiliret praeceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perditâ, id vnum postea orauit, vt priùs, quàm mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sui consolubile. Feros & immanes nauitas prolubium tum audiendi subit. Quod orauerat, impetrat. Atq; ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansq; in summa puppis foro, carmen, quod orthium dicitur, voce sublatissimâ cantauit. Ad postrema cantus, cum fidibus ornatúq; omni, sicut stabat canebátque, eiecit sese procul in profundum. Nautæ haudquaquã dubitantes quin perisset, cursum quem facere cœperant, tenuerunt. Sed nouum, & mirum, & pium facinus contigit. Delphinum repentè, inter vndas, adnauisse, & dorso super fluctus edito vectauisse; incolumíq; eum corpore & ornatu, Tænarum, in terram Laconicam, deuexisse. Tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petiuisse: talémq; Periandro regi, qualis Delphino vectus fuerat, sese obtulisse: eiq; rem, sicuti acciderat, narrauisse. Regem isthæc parùm credidisse, Arionem, quasi falleret, custo-

diri jußisse. Nautas requisitos, ablegato Arione, dißimulanter interrogâsse, ecquid audissent in ijs locis, vnde venissent, super Arionem? Eos dixisse, hominem, cùm inde irent, in terrâ Italiâ fuisse, eúmq; illic bene agitare, & studijs delectationibúsq; vrbium florere, atq; in gratiâ pecuniáq; magnâ fortunatum esse. Tum, inter hæc eorum verba, Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in salum eiaculauerat, extitisse. Nautas stupefactos conuictósq; : ire inficias non quîsse. Eam fabulam dicere Lesbios & Corinthios: atque esse fabulæ argumentum, quòd simulacra duo ahenea, ad Tænarum, viserentur, Delphinus vehens & homo insidens.

§. IV.

Auaritiæ se ipsam punientis speculum, in ijs, qui Arionem in fluctus eiecerunt.

Protrahatur hîc in medium auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidißima vorago, nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima. Nimirum, nullum est officium tam sanctum, vt rectè Tullius dixit, atq; solenne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat. Et: Nemo tam firmum habuit præsidium, quod auaritia non infregerit atq; debilitauerit. Itaque, quia, vt Salluſtius ait, auaritia fidem, probitatem, ceteráſq;

Val. Max. lib. 9. c. 4.

Cic. in orat. pro Quintio.

Idem in Vatiniũ.

Salluſt. in Catil.

terásq; bonas artes subuertit; multi seruorum, domi; comitum, in via; nautarum, in mari, perfidi fiunt. Denique, Seneca teste, *in nullũ auarus bonus est, in se pessimus.* Hinc Corinthij isti Arioni necem machinati sunt, sibi impetrauerunt; illum in pelagus, se in nefariæ machinationis supplicium conijcientes. Plus enim sibi ipsis nocent, qui in alios sunt injusti: quia magis hos conscientia cruciat, quàm illos damnum. *Iudex expectatur,* ait S. Basilius, *& auarus cogitat, ne in jus trahatur; ne orphanus suas lachrymas in foro palam faciat. Nocte consultat, quomodo manè quosdam aduocatos sibi præparet; quomodo, in judicio, mentiendo destitutum opprimat. Eius animam hæ curæ continuò mordaces absumunt. Canis latrat, auarus putat furem esse. Mus fortè perstrepit, & auari cor salit, quemlibet vel puerum suspectum habens: Filios iam grandes, vt insidiatores aspicit, quòd eorum iam ætas successionem expetere videatur.* Exemplũ est in Arione non tam auaro, quàm opulento; qui pauper securus fuisset, diuitijs insidias allexit. Et auari nautæ feliciùs appulissent, si innocentiùs nauigassent. Nunc euasit è fluctibus Arion, & mersi sunt, qui mergere voluerunt.

Senec. ep. 108.

S. Basil. hom. 21.

§. V

§. V.

Aquis, per vim aut dolum interfecti.

Publicè notum est de alijs, simili casu, dissimili euentu præcipitatis. Ierat piscatum Palamedes, sed domum non rediuit; quippe ab Vlysse atque Diomede in aquis demersus. Quin & à proprio parente Etearcho, rege Cretensium, suasu nouercæ, Phronime puella in vndas proiecta est. Refert Iosephꝰ, Aristobulum Iudæorũ Pontificem, Herodis regis dolo, in piscina, natãtem, per ludi jocíque simulationem, submersum esse. Vsq; adeò tyrañis ludus atq, jocus est, occidere. Rem ipsam accipe. Herodes rex, cùm Aristobulum Pontificem, quia de genere erat regio, & populo gratus, è medio tollere cuperet, post prandium, comiter pertracto in opportunum locum adolescente; ostendebat se paratum in eius gratiam juueniliter colludere. Cúmq; loci eius natura esset æstuosior, citò defessi, relicto ludo, magnis piscinis, quæ ibi circa aulam erant, iminentes, frigus captabant, meridiano tẽpore. Ac primùm spectabant natantes quosdam è socijs & famulis. Deinde postquam, prouocante Herode, adolescens quoque eis se miscuit; quidam amicorum, quibus hoc datum

Pausan. in Phocic. Herodot. l. 4. Ioseph. lib. 15. Antiq. cap. 3.

datum erat negotium, deprimentes eum natantem, & quasi per lusum ac petulantiam mergentes, non priùs destiterunt, quàm omnino aqua præfocatus sit. Hic fuit Aristobuli exitus, anno ætatis decimo octauo, pontificatûs primo. Sic calidus iuuenis aquis æstum temperauit, vt frigidum cadauer reportaretur. Et quidem hoc isti balneum ab Herode fuit præparatum. Sunt plures, qui lautè occubuerunt. Nam, Zonara teste, Romanus Argyropolus Imp. cùm ex hydrope conualuisset, natatorium ingressus, vt corpus lauaret, Zoës vxoris & Michaëlis Paphlagonis adulteri dolo, à quibusdam subornatis itidem capite sub aqua merso, oppressus, & pænè suffocatus, semianimis in stratum reclinatus est. Inde per os, subnigra euomens, nemine opem ferente, animam egit, cùm annos imperasset quinque, & menses senos. Adeò non homines solùm, sed tota etiam imperia aquis immergere possunt humanæ, an potiùs inhumanæ manus. Clodomirus profectò Francorum rex, Gundebaldo, Burgũdiæ rege, superato, Sigismundum eius filium, vnà cum sorore, in puteũ inclementissimè demersit. Et Statyra, Plutarch.

Darij

in Alexand. Darij filia, M. Alexandri vxor, Roxanam, quam Alexander quoque thori participem esse voluerat, prægnantem itidem, in puteum afflixit; solo ducta liuore, quòd Macedones præcipuis honoribus eam cumularent. Innumeri sunt virorum feminarúmque casus & exitia, ab ipsis eorum parentibus, filijs, maritis, aut vxoribus procurata. Quibus in medium allatis, agite Momi, *judicio secundùm juris formam conuenite; is, cuius ea de re notio est, æstimabit*, dicétque: Vos aquis vtimini, ad libidinem, ad æmulationem, ad crudelitatem vestram explendam; DEVS, qui aquas condidit, aquas justitiæ vindices esse non jubebit?

§. VI.

Variæ fœminæ, quæ, præ insania, vel alios, vel se ipsas aquis peremerunt.

Enimuerò jubebit, tantóque æquiùs jubebit, quia de cælo prospiciens videt, homines, ipsis aquis, aquas & flammas promereri. Quæ enim, malùm, amentia est, homines, aquas in salutem datas, sibi in exitium conuertere? &, cùm aliorum manus desunt, propriæ vitæ carnifices fieri, séque ipsos, desperatissima corporis jactura, in vndis suffocare? Nam prorsus extrema

trema est dementia, non expectare mortẽ, sed occupare. Qua de caussa vel Poêtæ cecinerunt, eos priùs in furorem actos, quĩ se ipsos in mare præcipites egerunt. Hinc Ilice Ibyci Lydij filia, in furorem, à Marte contempto, versa è scopulo sese fingitur misisse. Hinc Athamas Thebarum rex, furijs agitatus, dum Learchum filium mortĩ dedit, vxor quoq; eius Ino Cadmi & Hermiones filia, dolore amens, cum altero filio Melicerta, de Moluride petra, in Megarensium finibus, sese in salsos fluctus sparsit. Sappho puella ex Lesbo insula, è Leucade Epiri promontorio se jecit, quòd à Phaone mutuò non redamaretur. Anna Beli regis filia, post mortem sororis suæ Didonis, Carthaginem ab Iarba occupatam relinquens, ad Battum Melitæ insulæ regem nauigauit. Quo demum relicto, mare ingressa, ad Laurentum littus delata est; ibique ab Ænea cognita & hospitio susceptа, non sine mutui cum eo amoris suspicione, adeò vt in odium Lauiniæ veniret. Cuius insidias vt declinaret, se ipsam in Numycũ fluuium præcipitem dedit. Iuturna quoq;, Dauni filia, post interfectum ab Aenea Turnum fratrem, mœroris impatiens, in

Pausanias in Atticis.

Ouid. l. 4. Fastor.

aquas

Parthen. in Erot. cap. 27. Strabo li. 16.

aquas & mortem insilijt. Alcinoë, vxor Polybi Corinthij, Xanthum Samium, relicto marito, secuta, pœnitentiáq; cerita, in mari, se viuam sepelijt. Quin & Derceto, Semiramidis mater, cùm filiam ex adulterio conceptam in desertis exposuisset, tandem facti & sceleris pœnitentiâ mentis impos, in lacu furorem & vitam extinxit.

§. VII.

Viri quoque luctu insanientes, qui se aquis suffocauerunt.

Fœminarum facilè delirantium, & extrema tentantium ista esse, aliquis dicet. Viri etiam à sensibus abeuntes fecêre. Euenus Martis & Stéropæ filius, ex Alcippe Oenomai filia, Marpissam susceperat filiam. Quam ab Aphareo, in chorea, raptam, quia comprehendere nequibat, in Lycormam Ætoliæ fluuium pronus ijt, vt citò, ac compẽdiaria via, veniret ad Charontem. Refert idem, qui modò narratam necem,

Plutarch. in Theseo.

Plutarchus, Theseo in Cretam, ad Minotaurum interficiendum, nauiganti, Ægeum patrem eius, Athenarum regem præcepisse, vt, si, confecto monstro, incolumis rediret, ad lætitiæ argumentum, candidis vteretur velis; vt prospectantibus è porru amicis,

amicis, superstitis vitæ fidem præstaret. Theseum tamen cepit obliuio mandati. Quapropter, cùm atris ijsdem, quibus abierat, remigraret velis, pater de filio desperans ex alto in mare se deturbauit, & aquis à se imposuit nomen, vnde mare Ægæum nuncupatur. Complexus est rem eleganti carmine Catullus, cuius versus huc apponere placet.

Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata priùs constanti mente tenebat:
Dulcia nec mæsto sustollens signa parenti,
Sospitem, & ereptum se ostendit visere portũ.
Namque ferunt, olim classi cùm mœnia Diuæ
Linqueret, & gnatum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum iuueni mandata dedisse.
Gnate, mihi longâ iucundior vnice vitâ,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fernida virtus

Catull. de Nuptiis Pelei & Thetidos.

Eripit inuito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati carâ saturata figurâ:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittã,
Nec te ferre sinam fortunæ signa secundæ:
Sed primùm multas expromam mente querelas,
Canitiem terrâ, atque infaso puluere fœdans:
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros vt luctus, nostræq; incendia mentis
Carbasus obscurâ dicat ferrugine Ibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itomi,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis
Annuit, vt tauri respergas sanguine dextram:
Tum verò facito, vt memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec vlla oblitteret ætas:
Vt, simul ac nostros inuisent lumina colles,
Funestam antemnæ deponant vndiqae vestem,
Candidáque intorti sustollant vela rudentes,
Quàm primùm cernens, vt lætâ gaudia mente

Agno-

Agnoscam, cùm te reducem sors prospera sistet.
Hæc mandata priùs constanti mente tenentem
Theseа, ceu pulsæ ventorum flamine nubes
Aëriùm nimbi montis liquêre cacumen.
At pater, vt summâ prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cùm primùm inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum è vertice jecit:
Amissum credens immiti Theseа fato.
Sic funesta domûs ingressus tecta, paternâ
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.

§. VIII.

Alij viri aquis, sua sponte, hausti

Quòd si hæc, tanquam à Poëtis narrata, in fabulis habentur, extant certiora. Nam Anius rex Thuscorum, quia filiam Saliam à Catheo adolescente raptam non potuit comprehendere, teste Plutarcho, in fluuium se furiata mente egit; quem à suo nomine fecit appellari *Anienem*; vt mortis infamia, quamuis aquis inscripta, æternùm perse-

ueraret. Andragathius quoq; classis præfectus, qui Gratianum Imp. perfidè sustulit, Maximo tyranno, à Theodosio, victo, ex desperatione, in fluuium se præcipitem dedit, malens natare, quàm pendere. Laurentius Laurentianus Florentinus medicus, sanus simul & insanus, citra vllum corporis incommodum, citráque euidentem morbi causſam, pro hausſtu minimè medico, in puteum se conjecit, auctore Cælio, & Crinito: qui ait, se auditorem eius aliquando fuisſe. Maluit tamen in Lycæum, quàm in puteum sequi: non enim sitiebat. Tali etiã morte se extinxit Petrus Leonius Astrologus excellens; si tamen ea in arte aliquis potest excellere, quæ alijs mentitur, sed neminem magis fallit, quàm scientem; immò pernicioso ignorantiæ genere, scire se putantem. Nec vetera repetere est opus. Mea ætate, tot memini, desperatione actos, sponte, in fluuios, & puteos cecidisſe, ex omni hominum genere, vt pigeat numerũ inire. Nec familiarum aut consanguineorum honor me sinit nomina eorum loqui, qui exemplum essent maximè luculentum.

§. IX.

Superbi cuiusdam & luxu diffluentis Clerici miserabilis interitus.

V-

Vnius tamen non possum, vel sine nomine, mentionem omittere, qui, me puero, in ciuitate Imperiali celeberrima, cùm & clericus esset, & dignitate Ecclesiastica maximè emineret, tamen absque habitu & tonsura, solebat quotidie, per augustiores vrbis plateas, & ante ædes maximatum, tanquam aliquis Curtius Romanus, Remp. communi exitio liberaturus, magnificè obequitare, & omnium in se oculos pariter & digitos, & linguas conuertere. Sanguis illi è præcipua nobilitate: de cetero plures opes, quàm virtutes; & minor vitæ fama, quàm officij authoritas. Hinc obuio honoré omnes pileis magis, quàm animis, exhibebant, etiam de via cedentes. Transgresso, & iam tergum obuertenti, hæretici quidem palàm exserta lingua, medium vnguem ostendere, atque ciconia illudere amabant; pueri autem, vt gestum triumphantis imitarentur, brachijs vtrinque in latera ridiculè reflexis, & ipsi Thrasonicè ansati incedebant. Equus phaleris, eques inauratis calcaribus superbus, videbantur de gloriâ certare, Asturco poterat ille videri, ita tolutim badizabat, non Catonis, sed Pompei manu defrictus. Sed magis e-

ques ipse aspicientium in se oculos rapiebat, quàm caballus. Cæsariem calamistratam contractior galerus premebat magis, quàm tegebat; nec vnquam in medio vertice visus est stare: sed sinistro semper lateri incũbens de cincinno pendere putabatur. In galero pluma identidem, ad omnes equi passus, subsultans, quàm sanè petulanter volitabat: quæ, si gemina fuisset, senio eques factus Mercurius poterat credi. Veste tota splendidus, & non rarò, psittaci instar, multicolor, aulæ se profitebatur assecla; non Ecclesiæ columnam. Officij statum in eius incessu, nemo agnouisset, nisi nomen, quo ipso tumebat, eum prodidisset. Quacunque ibat, non bonus Christi, sed vnguentorum exoticorum odor auras & plateas muliebriter inficiebat. Nam hoc ipso malè olebat, quòd homo Germanus pastillos Indicos, aut gynæcéum oleret. Deniq; omnia in illo apparebant pulchra, præter faciem, in qua omni cupreæ verrucæ cutim asperabant, & gemmæ lucebant non admodum pretiosæ. Siquidem vultus illi erat, qui potuisset, more piscium desquamari, scilicet vino ardens; & oculi, sine fletu, stillantes, quales solent esse lamarum:

arum: vt mirarentur omnes, in tam deforme caput intrare posse superbam cogitationem. Quanquam cum fastu, etiam dementia fuit coniuncta, qua putauit animi fœditatem, corporis ornatu, posse vel tegi, vel compensari. Hic igitur mundi pupillus, populi stupor, puerorum simul risus fuit, & hæreticorum, dum viueret; sed illustre documentum vanitatis, dum moreretur. Diu ita sese vrbi maximæ ostētauerat. Sed non respondebant pectoris penetralia ijs, quæ foris apparuerunt. Oculorum judicio, poterat haberi, pro vase voluptatibus differto, aut thesauro deliciarum; intus tamē curæ, tumultus, desperatio, & mala extrema coquebantur. Et, videte, vanitatum amatores, in quem mundi pompa finem desinat. Hic tantus inter pocula victor, in plateis ouator; iste tam nobilis Messapus, tamq; insignis equûm domitor, tandem aliquando, ad pristinam consuetudinem, equo gloriosè circumuectus, angulum ciuitatis extremum petijt, ibiq́ue ante præcipui viri, amplissimum hortum, equum foribus alligauit, &, pro potestate, ac more, velut animi gratia, hortum solus ingressus, remotísque omnibus arbitris,

ocreatus, gladiatus, chlamydatus, in profundissimum puteum desperatissimè se dejecit; atque, vt casus faciem cælaret, in caput iuit; ibi extinctus, vnde breuior esset via ad Acherontem. Vbi vtique eum Cerberus, tanquam nouum & peregrinum hospitem, sollenniùs allatrauit; nempe *Clericum gladiatum*, & quem Æaco multa peculiaria facinora commendarent, quæ postea, de submerso, in mensis, circulis, & foro passim cantabantur. Postquam enim equus eius portæ innodatus, totam expectandi patientiam consumpsit; & nunc hinniendo, nunc calcibus terram pulsando, vel herum, vel stabulum pabulúmque diu poposcit, & nox redeundi tempus indicauit, quæsitus, per omnem hortum, dominus, nusquam repertus est. Fuit igitur, qui suaderet, in terris non inuentum, indagandum in aquis. Accensa in puteum demittitur lucerna, nec ibi quidquam conspicitur, nisi ocrea calcaribus auro fulgentibus vincta. Hoc vestigium fuit equitis inueniendi. Cùm ocrea pes, cum pede totum cadauer extractum, ense accinctum, chlamyde velatum. Quasi cum cadauere licentia loquendi è puteo prodijsset; ita illicò, quod

quod quisque de illo vitium sciebat, liberè vbique prodebat, omnes mortem vita dignam dicebant. Quippe hunc fuisse, qui in ganeis sæpius, quàm in templis sit versatus; in cuius manu assiduè poculum, nunquam Breuiarium sit visum; è cuius ore nihil nisi vomitus; &, quod fœdius est, nisi Veneres & meretrices prodierint; à quo parentes filias, mariti vxores abscondere, atque custodire debuerint: deniq;, qui tot flagitia fecerit, & nunquam conspectus sit ea sacerdoti confiteri; quæ tamen, in vino, jactare, &, tanquam rem bene gestam, glorianter prædicare non veritus sit: homo indoctus, superbia inflatus, & omnis commonitionis impatiens. Nimirum hæc Dei esse judicia, aiebãt, vt, qui toti ciuitati fuerit scandalum, idem etiam toti ciuitati fieret exemplum; atque ab huius exitio sapere discerent, qui, si ab Ecclesia, pecunias, & pingues census accipiant; si omnibus se anteferant; si fulgeant in tunicis, si sint in poculis fortes, nomini se suo, officióque satisfacere arbitrantur; plusque sibi licere existimant, quàm qui vel in aulis profanissimorum Principũ, aut in castris audacissimorum militum vitam agitant, sine lege,

sine mente. Deniq; aquis, dicebant, meritò diluendum fuisse guttur, per quod priùs tot vini dolia fluxissent. Tali lesso exequiæ fuerunt illius cohonestatæ, qui mendosissimis moribus infamis lethi coronidem adjecit. Ita qui omnia sacra rident, in interitu & ipsi ridentur: vt ne tum quidem etiam, cum flere deberent, sine risu sint, sedalieno.

§. X.

Extrema desperantium dementia cauenda.

Hi sunt, qui, vt desperatè viuunt, ita & desperatè moriuntur. Nempe quia eundem mortis magistrum admittunt, quem vitæ habuerunt. Vtinam Chrysostomum audirent, cuius hæc sunt: *Aduersus desperantes ait Dominus: An non surget, qui cecidit? an qui auertit, non conuertetur? Et rursus: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Et: Hodie si vocem eius audieritis, &c. Et quòd lætitia sit in cælis, cùm peccator pœnitentiam agit. Multaq; huiusmodi & documenta, & exempla in Scriptura inueniuntur. Ne autem religionis nomine perdamur, illud Pauli dicendum iterum atque tenendum est: Ne nimio dolore, inquit, absorbeamur.* Diaboli enim artificio, dolor pro peccatis debitus, fit dolor nimius & immoderatus,

S. Chrysost hom. 87. in Matth.

deratus, non iam ad pœnitentiam ducens, sed trahens ad desperationem, quæ est vltimum omnium scelerum complementum.

Quantus enim furor est, ne moriare, mori? Et morte quidem duplici vnius mortis redimere timorem? *Animæ præstantis prorsus*, ait Antiochus, *ac generosæ peculiaris conditio ea est, vt quantæcunq; tandem inundent, calamitatum procellæ, nullo vnquam pacto sinat à se auelli spei solidæ anchoram. Ob hoc enim hominis vita πειρατήριον dicitur; tentationum, seu Piratarum domicilium. At nos, ne sic quidem à Domino deficiamus, quousque tentatorem jubeat scmotiùs à nobis secedere, & per intolerantiam atque immobilem animi rigorem, vitæ restituamur tranquilliori. Quod enim peccati genus vsquam inueniatur atrocius desperatione? Iudas ille Domini proditor, quàm pusilli erat & abiecti animi? quàm rudis & expers conflictus tentationum? Ob hoc enim spem omnem à se cùm abiecisset, insiliente in eum inimico, funiculo sibi præfocauit gulam. At Petrus, solida illa petra, non in peccatum impegit? nec mediocre? Verùm is, tanquam, qui tales conflictus doctrinæ experientiæ didicisset, ob maleloquam negationem, spem neutiquam abjecit: sed lachrymas adhibuit*

paca-

pacarias, apud Dominum, & conciliatrices. Huius igitur imitatione, ad aquas lachrymarum confugiamus, non insiliamus in Barathrum desperationis.

§. XI.

Deo longè decentiùs conuenire, vt aquis plectat reos, quàm hominibus.

Quanquam mihi nunc non est animus, vel Caios, vel Cainos agitare, aut de erigendis illis in spem, disputare. Illud ostendo, hominum peruersa ingenia, aquas in vtilitatem maximam à mundi Conditore datas, in suam ipsorum perniciem conuertere, & se ipsos aquis plectere; cur ergo indignantur, si id erga illos faciat DEVS, qui illos plectendi jus habet, ac potestatem? Illi id, cum scelere faciunt, DEVS cum laude.

Athenæus lib. 10. Cleomenes Methymnæorum tyrannus lenas, in saccis ligatas, submergi curabat, & laudabatur. Tot lenas, & lenones, & lenocinantes alit terra, & non plectat aqua, judice DEO? à quo *parata sunt derisoribus judicia.* Augustus Cæsar pædagogum ministróque Caij filij, per occasionem valetudinis, mortísque eius, superbè auaréque, in prouincia, grassantes, oneratos grauipondere, ceruicibus, præcipitauit in flu-

Prou. 19. 29.

Sueton. in Aug.

men.

men. Quod factum inter gloriæ illius decora numerabatur. Et hæsitabimus, trutináque nostra dignum cẽsebimus, si quem, permittente DEO, aquis haustum audiamus? Quis præscribet, vt ignibus potiùs, aut ferro vtatur, si quem, per aquas vult ad se euocare? aut in fluuio, non in rogo punire? Siquidem *judicium à Domino egreditur singulorum.* Quod si agnoscerent aquis læsi, non essent musca illa insipientiores, impatientioresque, quæ in carnium ollam decidit, & moriens dixit: *Ego tantum bibi, & comedi, & lani, vt hunc satura exitum ferre haud molestè debeam.* Cordati est, id quod necesse est, ferre, & boni consulere. Prou. 29. 26.

§. XII.

Serui, aquarum metu, in mendacio, deprehensi fabula.

Alia fabella est lepida, &, ad mores poliendos huic loco admodum idonea, de domino ac seruo, vnà iter faciẽtibus. Ibi seruus, vt sibi, apud herum, locum noménque faceret, multa admodum jactanter mendacitérque narrauit, vidisse se, cùm varias terras peragraret. Occurrit equitantibus, transuersâ viâ, fugiens vulpes: qua conspecta, *Magna erat hæc vulpes*, ait Dominus.

Cui

Cui mox seruus: *Hoc nihil est*, dixit. *Ego vidi vulpem boui magnitudine parem.* Intellexit facilè Dominus, non vulpem, sed mendacium serui posse cum boue æquiparari. Sed se pressit, & velut admiratione obticuit. Silentium seruo, pro admirationis indicio, & plausu, fuit. Quia autem dies paullò priùs cœperat, conuertit se Dominus ad matutinas preces, & à Deo iter prosperum precabatur, idq; ita voce clara, vt seruus omnia syllabatim audiret. Inter ceteras formulas adjecit, petere se, vt, eo die præcipuè, sese à verbo mendacij custodiret; tunc enim satis à periculo fluminis iri se custoditum. Aduertit ea vox, & precandi ratio seruum; qui non potuit, quin auidissima curiositate interrogaret Dominum, quid sibi id genus comprecandi voluisset? Visus est initio tergiuersari herus, & inuitus ad eam quæstionem respondere. Sed vrgente magis magísque famulo, tandem, quasi ingens arcanum detecturus, cum alto suspirio, dixit: *Flumen est nobis transeundum hodie, in quo omnes merguntur, quotquot, eo die, mendacium fecerunt.* Oppalluit ad hoc dictum seruus, & mendacij recentissimè conscientiâ ictus visus est tremere.

mere. Pergunt ire, atque non diu post ad riuum ambo perueniunt, vado transeundum. Ibi iam in ripa equitantem herum, subsequens seruus rogat, vt subsistere paullisper velit. Ex subsistente scitatur. *Hicne sit ille fluuius, mentientium interfector? nolle se tentare vadum, cùm, in vulpe comparanda, putet, aliquantulum à se erratum esse; neque enim eam boui, sed juuenco duntaxat parem fuisse.* De vulpe parum curo, ait Dominus. Ceterùm non hic est riuus, de quo dixeram, alius occurret, nihil tibi, hoc loco, metue. Hæc fatus calcaria admouit equo, & vadum, seruo tergum eius premente, superauit. Paullò post ventum est ad alium amnem, quo viso, seruus cœpit denuò trepidare, & quærere, *Hicne autem fluuius mendaciloquos morte plectere soleret?* Cúmque herus responderet, neque istum quidē esse; addidit seruus, se valentem causam habere tam sollicitæ interrogationis: nam haud satis ampliùs meminisse narratæ vulpis magnitudinem; existimare se nec juuenco quidem parem extitisse, sed vitulo lactente non fuisse maiorem. Salua res. intrant & exeunt, etiam ex hoc vado. Sed ad tertium tandem fluuium accedunt, ad cuius

cùm

cùm præripia veniſſet: *Hic tandem eſt ille veritatis defenſor, & mendaciorum punitor fluuius*, ait Dominus. Ad quæ verba attonitus ſeruus, pænè ex equo lapſus eſt. Verùm vbi ſe viréſq; collegit, veniam à Domino precatus, negauit ſe tranſiturum, eò quòd mendacij, eo die, à ſe conflati conſcius eſſet: *Nam vulpem à ſe alibi conſpectam, reliquis communibus vulpibus fuiſſe magnitudine omninò parem.* Hoc audito, *Et hæc quoque aqua*, inquit Dominus, *eſt alijs communibus aquis par, neq; ſolet mendaces mergere.* Ita mendacem, aquarum minitatione, curauit, & ad veritatem promendam reduxit.

§. XIII.

Antonini perſecutio, aquarum inundatione, & alijs cladibus punita.

Potuerunt tantum fictæ aquarum minæ? quid non poterunt veræ pœnæ, à DEO, per aquas inflictæ? Nam qui inflictas audit, metuit infligendas. Metuere autem initium eſt emendationis. Cuius rei exemplũ multiplex legimus, in quarta Eccleſiæ & Chriſtianorum perſecutione, ſub Antonino (non enim ſub Marco Aurelio) contigiſſe. Antoninus enim non ſatis habuit, propoſita capitis pœna, vetuiſſe, ne quis

Sibyl-

Sibyllarum versus legeret, aliósque propheticos Gentilium libros, qui multa de Christo prædixisse videbantur, adeò vt è Gentilibus non pauci Christiani fierent, vt Iustinus testatur; sed Christianos præterea, quàm plurimos, Crescentis hæretici instigatione, morti addixit; & quidem anthropophagiæ priùs, aliorúmque horribilium Gnosticis familiarium criminum, per impudentissimam calumniam, accusatos. Quàm grauiter eiuscemodi atrocitate offenderetur vindex malorum DEVS, edocuit, non solùm Tiberis inundatione, sed alijs quoque varijs ærumnis, quas immisit; fame; circi ruina; terræ motu complures Rhodiorum, & Asiæ vrbes subuertente; trecentis & quadraginta insulis, aut domibus, Romæ combustis; Narbonensi ciuitate concremata, atque alijs calamitatibus vrbi & orbi inuectis. Quibus ita omnes conterriti sunt, & ipse adeò Imperator commotus est, vt expresso Rescripto, ad eundem 15. Imperij annum, quo hæc euenerunt, dato, persecutioni finem imponere coactus sit. Ita aquarum, ignium, terræque incommodis, sapientissimus mundi Moderator peccantes multat & emendat;

Iustin. Apolog. ad Antonin. Euseb. An. 153. Baron. An. 150.

Iulius Capitolin. in Antonino.

Vide Euseb. li. 4. hist. c. 12.

Amos.5. 8. de ipsis malis bonus. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ. Dominus nomen est eius.*

CAPVT X.

Deum, vt aquarum terrarúmque Dominum, potestatem, justitiam, prouidentiámque suam ostendere, miserando Emmanuelis Sosæ naufragio, & sæculi maríscq; similitudine declaratur.

§. I.

Absolutissimum Dei in omnes res dominium.

QVoniam autem *Dominus nomen est eius*, habet & hinc causſam aquis habenas stringendi, vel laxandi, vt dominium suum manifestet. Si enim dominium est *jus gubernandi vel disponendi de re aliqua, tanquam sua*, seu sibi subiecta, itaque deuincta, vt possit de ea, non ex commissione alterius, sed propria authoritate, sine cuiusquam injuria, disponere; profectò, cùm DEVS sit Dominus vniuersorum, nullam injuriam faciet vlli, per maria, nauiganti, si ventos immittat non à tergo spirantes; sed procellis & tempesta-

Leonard. Lessi. de Iust. ca. 3. dub. 1.

tibus

tibus nauem adigat in scopulos, eámque allisam sinat lacerari. Illius est Oceanus; illius sunt maria omnia; illius omnes naues, omnes regiones, omnes mortales. Ius ergo illi est, eos terra marique gubernandi, ad suum, non ad illorum arbitrium & votum; vt in mari ventis prosperis vel aduersis, in terra humanis aut barbaris hospitibus, denique pace aut misero bello vtantur. Nec deest illi sapientissima ratio mundi, ad hunc modum, gubernandi. Quippe cùm sic non solùm dominium illius & potestas, sed etiam justitia, clementia, prouidentiáque hominibus innotescat. Hæc enim omnia in casibus humanis perspiciuntur. In aquis autem, naufragiisque hominum patientiam exercentibus, etiam discimus, quàm sint in hac vita fluxa omnia, itémque, quàm immanibus periculis se se objiciant, qui, vel vt Christi fidem inferant, vel vt aurum & gemmas auferant, ad Indos, Iapones, aliásque Orientales & Occidentales nationes, proficiscuntur. Cuius rei, etsi plura suppetunt exempla, vnum tamen non omittam ex illustri authore illustrissimum apponere, cuius me suprà memini, obiter mentionem feciisse: in quo

pariter docetur, & nauigantibus ingentia eſſe diſcrimina, & in terram ejectis, maiores ſæpe ab hominum feritate, quàm ab ipſis marinis fluctibus impendere calamitates.

§ II.

Emmanuelis Soſæ tempeſtas, naufragium, & tragœdia dignus interitus.

Petr. Maffæ. lib. 16. Hiſtor. Indic.

Emmanuel Soſa, cognomento Sepulueda qui Dienſi præfuerat olim arci, vir opulentus ac ſplendidus, ductâ in matrimonium Eleonorâ, Garciæ Salæ tum Prætoris filiâ, tactu deſiderio patriæ, preſſam diuitijs roſtratam excelſam, Cocini, conſcendit. Sequebatur vxor, ac parui liberi; & Pantaleon Sala, & nobiles aliquot; & præter nautas, famulorum etiam ac mancipiorum turba: in vniuerſum capita ferme ſexcenta. Ianuarij menſis initium, Luſitaniam ex illa petentibus ora, ſtatum ſoluendi tempus. ventorum id vices, ac dudum explorata nauigandi ratio poſtulat. Soſa cum cæteris, quòd impeditior ad Coulanum coëmptio fuerat, non niſi Februario menſe profectus, circiter Idus Aprilis Cafrarium littus aperuit. Inde leni flatu profectis, circa Bonæ ſpei promontorium vehemens ab occaſu obſtitit ventus, idq; cum fulgetris, & cali fragore, tetri-

qui

que ac minaci nubium vi. Tum inhorrescens mare paulatim attolli, maioréſque in ſingula momenta ciere fluctus. Cùm in aduersum obnitendi, remigio destitutis, nulla esset ratio; paulisper addubitatum à nautis, vtrum demissis antennis, in salo transitum tempestatis exspectarent. Verùm Oceano magis magisq; sæuiente perterriti, simul propter anni tempus abiecta superandi promontorij spe, retro in Indiam pari consensu vela dare constituunt. Sed ne id quidem è voto successit, adeò violentia ac repentini flatus ab Oriente, diuersisq; coorti plagis, quassatæ iam nauis in perniciem conspirauerant. Horum impetu vela primùm discissa: malus deinde, mox gubernaculum, frustra fluctus euitante magistro, diffringitur. Præterea costis immodica iactatione conuulsis, multò plus accipiebatur vndæ, quàm vt exhauriri aut egeri summa turbæ naualis contentione & industria posset. Neque, præcipitata leuandæ naui bona onerum pars, auertebat exitium. per hunc modum spoliati armamentis, obuersante perpetuæ mortis imagine, dies aliquot in alto iactati, postremò virgetibus à meridie ventis, certum ad naufragium ad terram appelluntur. neq; erat in malis potius quicquam, ni viuentes videntésq; hauriri profundo, vel in

cæca vada syrtésq; adigi mallent: ad teli ergo missum jactæ ab vtraq; parte anchoræ, dum scaphis, quæ vna supererat salus, in continentem euaderent. Sosa ante alios cum vxore filiisque, & primarijs aliquot, raptim elatâ pecuniâ gemmisq;, transuecti, haud sine ingenti periculo: vsque adeò immanes, toto littore, moles aquarum illisu reciproco frangebantur. neque idem effugium cæteræ multitudini patuit; scaphis, post vnum alterúmue trajectum, in dorsuosa breuia impactis & comminutis. Eodem ferè temporis articulo anchorarius funis in Austrum obuersus, quamquam valido nexu & crassitudine, rumpitur. Tum qui remanserant, diuulsa nauis latera, & vasto dehiscentem hiatu alueum conspicati, erumpentia eximo dolia, sarcinas capsásue corripiunt; seq;, incertam ad spem, quâ cuique proximum est, in mare dimittunt. Miserandæ hinc spectaculo, immistos fluitanti gazæ mortales, & naualia instrumenta passim agi ferríque cerneres. Periêre ab ipso statim dejectu, Lusitani circiter quadraginta; ex alijs nationibus, ad septuaginta: reliqui haud semel operti fluctibus, ac turgido spumantíque æstu in diuersa raptati. ad hæc, scriniorum incussu liuidi, aut clauorum squamarúmque ictu cruenti,

(tantum

(*tantus amor est lucis*) *tandem semianimes in sicco vestigia posuêre. Vixdum euaserant; cùm in conspectu omnium, vacua hominibus carina subsidit; & arenis illata, duas primùm, dein quatuor in partes, ad extremum in minutissima frusta dissilijt. hæc maximè clades ad vltimam pænè rerum desperationem Lusitanos adduxit. Quippe consilium fuerat, è reliquijs naufragij subitarium dromonem intentis vectibus ad cursum aptare; atque vbi licuisset, cum delectis retro Sofalam, aut Mosambicum, opis petendæ causa, transmittetere. Eam quoque sibi facultatem ereptam videbant, cùm è discerpto nauigio laceróque vix vlla fragmenta cubiti mensuram excederent. Paulatim, dein, quæq; supernatauerant, quæq; obruta fuerant, pænè cuncta cum cadaueribus in littus ejecta: ipsæquoque demum anchoræ, hastæq;, & minora tormenta; quamquam hæc quidem prorsus inutilia; sulphureo omni corrupto puluere, neq; vllo conficiendi apparatu. Inter hæc autumnus abierat: &, quòd ab æquatore in meridiem gradus vnum & triginta distat regio, refouendæ turbæ, frigore, inedia, vulneribúsq; torpenti, Sosa complures excitarat iones. tum ex aliquot orizæ semicorruptæ modijs ac salsamentis, quæ tempesta-*

vis injuriæ ſuperfuerant: cibaria in ſingulos parcè diuiſa: quòd ſqualida circum arena, ac nullum eſſet cum incolis, fera & inhoſpita natione, commercium. dulces tantùm in proximo ſcaturigines emicabant. atque ob id, connexis in orbem ſcrinijs, aduolutóque ſaxorum pondere, vti ſecuras exigerent noctes, loco munimenta circumdata, & quatuor in partes, vt aſſolet, vigiliæ diſtributæ, quas intempeſta nocte haud ſemel circuibat Soſa; neque vllum, in tali calamitate, boni & ciuis & præfecti omittebat officium. Tredecim ferme dies curationi corporum dati. mox de ſumma rei deliberatum, quid agerent, quò ſe conferrent. nemini dubium fuit, quin oram tenentes, ad flumen contenderent, cui Laurentius Marcheſius olim ab ſancto Spiritu nomen indiderat: eodemq; Luſitani ab Sofala & Moſambico mercimonij cauſa commeabant. id flumen à ſtatiuis in Orientem aberat leucas centum & octoginta. Ab hoc decreto Soſa, quamquam præcipua in clade, tamen cæteros ipſe vultu ac ſermone confirmat, ne aſperis in rebus deſponderent animos. qui ſe pelago committant, eis famem, ſitim, jacturas, ærumnas, omnia incommoda eſſe debere propoſita. quæ ſi contingant, non ita mox cadendum, quaſi ea nun-

quam

quam euentura existimârint. ad hæc, pro suis quisque delictis æterna supplicia meriti; breuia ac temporalia non inuiti persoluant. Simul, eo infortunio, non quid perdiderint cogitandum, sed quòd euaserint. amisisse multa, sed perire vnà cum iys, quæ amiserant, potuisse. monuit insuper, vt inter efferas destituti gentes, nullum deinceps nisi in conjunctione, & concordia præsidium collocarent. nemo seorsum, omnes in commune consulerent. nihil neque dispersis & vagis tutum, neq; conglobatis & consentientibus noxium fore. Postremò precatus est cunctos, in ratione itineris, Eleonoræ & filiorum vel ætati, vel sexui parcerent; seq; validi & robusti ad infirmorum vires attemperare ne grauarentur. Ad ea succlamatum, duceret quò vellet, & quomodo: se ab eius auctoritate arbitrióque non recessuros. Per hunc modum corporibus & animis vtcumque firmatis; hoc maximè ordine capessunt iter. Præcedebat Sosa cum vxore virilis animi fœmina, liberísque propter ætatem securis, & Andrea Vasæo nauis magistro (is præcelsum Crucis vexillum ferebat) & Lusitanis alys octoginta, seruis præterea centum. hi puerulos tergo per vices; Eleonoram informi pilento gestabant. Sequebantur cum ancillis, & imbelli turba

nautici. Agmen infaustum Pantaleon, & reliqui cum mancipijs Lusitani cogebant. Modicis inde itineribus, per infesta Cafrum incursionibus, & noxijs animantibus loca progressos: inuia rupes, excedentia in nubes juga, despectu horrendo conualles, cœnosæ voragines, inflata imbribus hybernis flumina excipiunt. ijs dum superandis, humilia procul vada, clementesq; montium ascensus ac descensus inquirunt; littoralis spatij triginta non amplius leucas, crebro ipsi ambitu flexúque, cæcis ad hæc erroribus, incentum prorsus extendunt. Mensis inter hæc voluitur. simul, extrema quoque inopia, consumptis iam omnibus alimentis, conflictari cœpti. Sustinebant famem primò conchylia, putresq; cetorum artus, & alia maris ejectamenta. dein, vbi à littore abscesserunt, silvestria poma baccaéue: tum tenerrima frondium, postremò bestiarum cadauera, & ossa quælibet igne tosta, pellesq; mollita. Nec leuiùs torquebat sitis, cùm oppidò pauci, nec nisi magna præsentis pecuniæ mercede, aquandi causa de via decederent, insidiantium ex occulto latronum impetus, atque leonum etiam ac tigrium ignota cubilia metuentes. Enormia inde aquæ pretia: vti octo interdum aureis hemina constaret. Inter quæ subinde ali-

qui

qui lassitudine, inedia, siccitate confecti, deploratis viribus, Æthiopi diro, belluisque, & alitibus præda restabant, suprema ad suos mandata dantes antecedentibus: quorum in animis, ut fit, diuturni terrores, & proprium cuiusq; malum, omnem pænè miserationem ac sensum alienæ calamitatis exstinxerat. Sosam tamen, chari aliquot relicti, supra modum angebant. Vxoris verò quotidiani labores, misericq; propemodum emouerant mente: quamuis illa quidem se se marito infatigabilem corpore pariter animóque præstaret comitem: ac baiulorum destituta ministerio, dudum suis ipsa pedibus ambularet, addens cæteris animos: & in partem oneris, teneræ proli subleuandæ succedens. Quarto mense ad amnem sancti Spiritus peruentum ab inscijs. Causa latendi fuit, quòd auditæ conceptæq; animo magnitudini haudquaquam respondebat flumen, (quippe tribus alueis ea regione decurrens, in exitu jungitur) & idonei, ad percontandum explorandumque interpretes deerant: siquidem Æthiopicis ex alia longè regione mancipijs, quæ habebant in comitatu, nondum erat cum ijs populis tanta societas linguæ, vti per illos possent, quæ vellent, probè cognoscere. Percommodè cecidit, quòd regulus ea tenebat loca, miti admodum, præter

ter aliorum consuetudinem, ingenio vir, benevolo in Lusitanos animatus, quòd illi placidum & æquum paulò antè commercium cũ ipso Laurentio Marchesio, & Antonio Calderia fuisset. Is, peramanter acceptum Sosam & reliquos apud se, dum aliquis ab Sofala institor appareret, omni arte retinere conatus est, partim ab insita humanitate, partim etiam propriy commodi gratia, quòd finitimis implicitus bellis, tempestiuo firmóq; sibi auxilio diuinitus oblatam hanc putaret manum. Ac proinde, posse multa benigni vultus incitamenta, denigs gestu, nutibus, & incerta vocum significatione denunciat, haud procul abesse inde potentiorem se Regem, impium, & rapinæ adsuetum: si pergant, præcipitis consiliy pœnas daturos. Nec preces, nec monita profuêre. quò liberaliùs habebatur Sosa, eò magis fraudem suspicatus, porrò abire contendit, nauiculisque ab eodem regulo impetratis fluuium traiecit. Quinto die ad medium amnis brachium processêre, leucas iam à naufragio trecẽtas emensi, è quingentis comitibus, ad centum & viginti variys cladibus traducti non amplius. id quoque brachium, conductis pretio lintribus, imminentium ignari transmittunt. maiore dein vsu lingua, per interpretes haud dubiè cognitum,

id esse flumen, quod tanto tam diu labore quæsissent: & eiusdem habitus albos homines illuc nauibus itare consuesse. à non longè mari is locus aberat. salsi ex eo latices: neq; vllam dulcis aquæ venam circùm apparere constabat. ad hæc, solum planè incultum ac sterile. cùm ibi Lusitani, malis victi, sub nocte necessariò consedissent; postridie aduentantes Æthiopas ferme ducentos adspiciunt, ac primò adesse prælium rati, arma, quæ malè iam sustinebant, expediunt: reliquias virium ad repellendos fugandósque latrones intendunt. dein, postquã pacatus appropinquabat Æthiops; ac, quinam, & vnde profugi, blandè quærebat; sumpta fiducia, infortunij summam & exhaustos labores; per interpretem exponunt. Cibaria tantùm, neq; ea gratuita, jure gentium petunt, ferramenta genti expetita, conciliando commercio proferunt. Haud spernenda crescendi occasio barbaris visa. tantùm de re ex tuto aggredienda solliciti, ac toti è fraude mendacioq; conflati, respondent, nihil esse commeatus in promptu: haud ita distare oppidum: eò si accesserint, hospitaliter ac benignè cunctos ab Rege tractatum iri. Suadebat requiem vltima lassitudo, & inuentus agnitúsq; tandem exoptati fluuij terminus: vesana insuper fames vrgebat

gebat

gebat ac sitis. age sanè, ducibus ijsdem adoppidum tendunt. iamq; successuros, per viatorem, ingressu prohibet Rex; densæ arbores in vicino adsignatæ, quarum vmbra se se vtcunque reficerent. Sex ibi dierum fuit mora, clanos ferme reuulsos è naufragij tabulis, cum carnibus nutritúq; alio, permutabant: sitim leuabat in proximo fons. contracta inde cum incolis nonnulla consuetudine, perniciosam in spem hospitij Sofa paulatim inductus, mercatoris cuiuspiam aduentum ab Sofala, si liceat, ibidem operiri constituit. idipsum Æthiopes cùmvalde hortarentur; ex ijs missi ad Regem, qui Sofæ interim, & coniugi, cæterisque, pro instituta societate, paulò commodius diuersorium peterent. Ille, popularium haud absimilis, omnibúsque artibus ad fallendum instructus, jubet Sofæ renuntiari, se suósq; optimo esse in aduenas & calamitosos animo: sed quò minùs eos adhuc intra oppidum admiserit, duabus maximè causis retardatum. altera, quòd magna tum annonæ penuria vno omnes loco sustentari non possent: altera, quòd ferro succinctos, & vario genere telorum, incolæ seminudi, ac fudibus tantùm adsueti, maiorem in modum extimescerent. Si animum inducant Lusitani, ad pacatæ mansionis fidē, arma interim

apud

apud se custodienda sine dolo, deponerent; se domi suæ Præfectum, primoresq; benignè habiturum: reliquos, circumfusis oppido vicis, fida in hospitia diuisurum. Dura omninò postulata visa concilio: sed recusantibus extrema necessitas & egestas instabat. Ergo nemine, præter vnam Eleonoram, dissuadente palam; Sosa, qui amicè monenti atque inuitanti regulo priori abrogauerat fidem; repudiatis Eleonoræ precibus monitisque, se ac sua demum omnia insidioso huic præpostera credulitate permittit. Cohors reliqua ducis auctoritatem sequi non dubitat, tradita extemplo arma præmittuntur ad Regem: Sosa cum vxore, liberisque, & fidelibus alijs ferme viginti subsequitur. Cæteros quinos, vel senos regij præfecti varia in loca diducunt. Nec dum ad inhospitales peruenerant casas, cùm destitutos ac diremptos ab ope mutua; non peculio tantùm, si quid abditum gerebant, sed vestimentis etiam, quamquam attritis ac laceris exuunt; eáque nocte malignè admodum pastos, manè fustibus conuitijsq;, per summam perfidiam & immanitatem, tectis ac vicis exturbant. Rex, gemmis, auróq;, & argento, & quod pretiosi reliquum Sosæ & familiaribus fuerat, auidissimè rapto, corporibus tantùm, ac vestimentis abstinuit,

stinuit; domóq3 cunctos item exegit, insuper increpans, clementia adductum se, non promeritis tractâsse vagos piratas; & communes humani generis inimicos. Tum demum sensêre Sosa, comitésq3, quàm stultè se se inermes ignotæ ac barbaræ fidei credidissent. Neq3 hic finis miseriarum fuit. namq3 dum inopes consilij, solutis ordinibus, nullo rectore, nullo signifero, passim incerto errant gradu; noua repentè Æthiopum manus; præacutis armata sudibus, in Sosæ manipulum inuadit: ipsúmque & cæteros vtriusq3 sexus, nullo discrimine, vestibus nudat, obnoxios, contra ne hiscere quidem audentes. adeò, ablatis armis, ceciderant animi. Eleonora tantùm, generis memor, ac pudoris ad vltimum retinens; obniti acriter, pugnis quin etiam colaphisq3 barbaros vltrò ad necem irritare: quoad mariti deniq3 hortatu, & deficientibus iam planè viribus, abstitit. nec mora: detractæ direptæq3 vestes; metu ac pudore confusis, qui ex infelici comitatu restabant, atque ab tanta rerum indignitate auertentibus oculos. tum verò, castæ matronæ tristior omni morte lux visa, defodit arenis è vestigio se se: quæ supereminent, soluto raptim fusóq3 obtegit crine. mox ad Andream, paucósque superstites, voce suprema: vos quidem,

dem, inquit, duci vestro fidem egregiam præstitistis, optimi viri. nil vltrà opus est. ite, vobisque ipsi tandem aliquando consulite. ac, si quem patrijs olim finibus reddi contingat, renuntiate, quò loci mea me maritúmque delicta perduxerint. Mœstum inde silentium immobilis tenuit. Cara tantùm intuenti pignora, juges riui lachrymarum denso cum gemitu profluebant. Sosæ item altus mœror ac dolor vocem incluserat. cúmque defixo in terram obtutu, aliquandiu attonito, ac stupenti similis adstitisset, paterna demum exstimulante cura, proximam in siluam quærendo qualicunq; nutrimento secedit. inde regressus, Eleonoram triduano jeiunio fletúque pænè consumptam, è filiolis alterum prorsus extinctum offendit, eúmq; suis ipse manibus terræ mandauit. Postridie eodem pabulandi functus officio coniugem vnà cum filio exanimem reperit, & lamentabili circumuociferatione complorantes ancillas. Hisce confestim summotis, in dextram jacentis manum aliquandiu reclinato capite incubuit: dein, ijsdem adjuuantibus ancillis, cadauer vtrumque sepelijt, nihil vnquam effatus. Postremò se se iterum abdit in siluas. ibi laniatum à feris putant. nunquam deinde comparuit. Hunc exitum, inter pau-

cas miseranda Sosæ peregrinatio terra marique sortita, cùm sæculi huius tertius & quinquagesimus ageretur annus. reliqui ad centum, fœdo agmine, rerum omnium inopes, diu errabundi, varijs casibus ad sex & viginti redacto numero, cùm pro captiuis haberentur, denique ab nauiculario Lusitano, qui eboris mercandi causa, regionem eam à Mosambico petierat, sestertijs in capita quaternis redempti. in ijs Pantaleon fuit, qui ante hoc biennium, exacta iam ætate, verùm prævalens viribus, Olisipone subito neruorum stupore apoplecticus obijt. Caterùm tanta Sosæ calamitas longè latéque vulgata misericordiam hominum conciuit: cupiditatem & audaciam non imminuit. Hæc Petrus Maffæus.

§. III.

Cur Deus, maris dominus, quosdam suos tempestatibus jactari?

Talia, cum omni familia sua, Sosa Emmanuel, *terris jactatus & alto*, pertulit. Ex quibus æstimare licet, diuinam potentiam, dominium, æquitatem, prouidentiam. Quid enim ille vndipotens Neptunus, cuius jura vel Æolus ausus est violare? quem Iuno decepit? contra cuius voluntatem procella extitit? cui tanta ira, tam-

que vehementi oratione opus fuit, ad fluctus & ventos compeſcendos? quid potentiæ fingitur obtinuiſſe? Vno verbo Chriſtus *imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Sine veri DEI nutu, nulli ebulliunt fluctus, nulla maria vel tumeſcunt, vel quieſcunt. Ille *vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ: Dominus nomen eſt eius.* Hinc nemo conqueri poteſt. Æquum eſt, quod cum re ſua facit. Si cauſſæ aliæ deeſſent omnes, dominium ſolum ſufficeret. Quis ſceleris arguit videns aquam effundi ab eo, qui hauſit, & haurire denuo poteſt? Si non modò ſeruum hoc crimine non arguis, ſed ne illud quidem cõmuni vituperatione reprehendis, quòd creaturam DEI inutiliter perdat, cur ipſum aquarum Dominum vis in jus citare, ſi commouet maria, in quæ ſummam habet poteſtatem? Quanquam multas præterea habet cauſſas. 1. Putreſcerent aquæ, ſi non commouerentur. Turbatio illis, eſt purgatio. 2. Sine ventis naues teſtudineo gradu procederent, vel omnino ſtarent. Venti autem fluctus cient. Qui ergo optat ventos, patiatur fluctus. 3. Crudiſſima gens eſt

Matth. 8. 26.

Amoſ. 5. 8.

nautarum, & cum nauali turba, fæx plerumque vltima hominum confluit, ad naues, quas velut sentina grauat. Neque ipsi sæpe vectores primarij ac nauium domini vitijs suis carent. Alij ludis absorbentur, alij ganeis, seu scortis. Alios Erisichthonia auri fames & auaritia insatiabilis impellit ad nauigandum. Quosdam homicidij, aut grauioris facinoris conscientia in naualem fugam conijcit. Hi omnes magnam partem rerum diuinarum obliti, periculis admonentur, vt opem cælestem implorent. Qua de causa vulgare illud circumfertur: *Qui nescit orare, vadat ad mare.* Quod vel Ethnici fecerunt, quanquam in eo decepti, quòd Castores & Polluces, & Tritones, & nescio quas ligneas Nereides & Glaucos in auxilium vocarent. Quam rem S. Spiritus stultitiæ conuincit, dum ait: *Alius nauigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligni portante se, fragilius lignum inuocat.* Melius fecerunt, meliorémque DEVM inuocarunt illi nautæ, qui in media tempestate *clamauerunt ad Dominũ, & immolauerunt hostias Domino, & vota vouerunt.* Quos rectè plurimi piéque, & sæpe salubriter imitantur, qui

Sap. 14. 1.

Ion. 1. 14.

qui naui, & sibi à naufragio metuentes, varia vota, si discrimen euadant, DEO faciunt. Et alij quidem peregrinationum, ad hunc vel illum Diuum, alij autem jeiuniorum, certis diebus, tolerandorum; alij eleemosynarum in egenos erogandarum; alij ædificandorum templorum; alij perpetuæ castitatis; alij etiam religionis ingrediendæ. Ob hos tales effectus, an non vtiles censendæ sint maris tempestates? Multorum contumaciam fregit naufragij metus. 4. Multos mersit mare, sed nocentes. 5. Quod si & innocentes talibus procellis inuoluuntur, compendium mortis habent, & doloris. Minor est cruciatus vndis absumi, quàm flammis. 6. Quem non curiositas nauibus aueheret in insulas Fortunatas, aliásque nouas terras; quem non cupiditas habendi alliceret, si nauigantes non periclitarentur? 7. Quæ gloria fuisset Danao Beli filio, qui nauem primus ex Ægypto in Græciam aduexit? quæ Iasoni & Argonautis? quæ Christophoro Columbo, si nauigatio periculis careret? Maxima virtutis laus est, discrimina non horruisse: & superasse, quod fuit cum periculo laboriosum.

§. IV.

Mare eſſe vitæ humanæ imaginem.

Denique mihi & illa non poſtrema cauſſa videtur, vt habeamus, in mari, veram & expreſſam, quamdam humanæ vitæ imaginem. Aptiſſimè enim pericula periculis explicantur: & quidem ſumma ſummis.

Eccli. 43. 26. *Qui nauigant mare, enarrent pericula eius: & audientes auribus noſtris, admirabimur,* cognoſcemúſque prorſus, in noſtra vita, ſimiles ſcopulos, & fluctus, & pericula occurrere. Qua etiam de cauſſa, rectè Clemens Alexandrinus, vbi vetat, gemmis annulorum, idolorum imagines inſculpi, ſuadet nauim vel anchoram imprimi, nauigationis vtique, & vitæ humanæ monimentum. *Sint autem nobis,* ait, *ſignacula, columba, vel piſcis, vel nauis, quæ celeri curſu à vento fertur, vel lyra muſica, qua vſus eſt Polycrates, vel anchora nautica, quam inſculpebat Seleucus.* Quoties piſcem, quoties nauem, quoties anchoram inſpicimus, illicò in memoriam venit, homines in terris, non ſecus ac piſces nauéſque in vndis, natare, aut nauigare; vitámque noſtram aquæ ſimilem eſſe, quæ eſt res fluxa, ventis & tempeſtatibus obnoxia. *Omnes morimur,*

Clemens Alex. lib. 3. Pædag.

2. Reg. 14. 14.

rimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur, ait mulier Thecuitis. De periculis, & aduersis ventis, & mille incommodis maris, & vitæ inter se comparatis, complures meminerunt.

§. V.

Quomodo S. Augustinus hunc mundum cum mari comparârit?

Bellissimè autem S. Augustinus hominis, per hunc mundum, velut per mare, nauigantis miserias, diuersis locis, considerauit. Qui etsi docuerit, ad illum, qui vbique est, amando veniri, non nauigando; mox tamen subjecit: *Sed quoniam etiam, in tali itinere, abundant fluctus & tempestates diuersarum tentationum, in crucifixum crede, vt fides tua lignum possit ascendere. Non mergêris, sed ligno portaberis. Sic, sic, in huius sæculi fluctibus, nauigabat ille, qui dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV *Christi.* Eandem, per crucem nauigandi artem, & vitæ huius procellas describit etiam, cùm Euangelium illud de Domino ambulante super aquas, exponit, his verbis. *Dum ille* (Christus) *orat in excelso, nauicula turbatur fluctibus in profundo: quia insurgunt fluctus, potest ipsa nauicula turbari;*

S. Augustin. serm. 2. de verb. Apost.

S. Augustin. in Matth. serm. 14.

turbari; sed quia Christus orat, non potest mergi. Nautellam quippe istam, fratres, Ecclesiam cogitate, turbulentum mare hoc sæculum. Quando aliquis impiæ voluntatis, maximæ potestatis persecutionem indicit Ecclesiæ, & quantum in ipso est, Christianum nomen conatur extinguere, super nauiculam Christi grandis vnda consurgit. sed, in his tentationibus, erigatur antenna, vt suspensa arbori, crucem figuret. Hanc Christianus respiciat, & non deficiat, quia sicut dicit Apostolus Petrus, Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Dicit etiam beatus Ioannes: Sicut enim Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere. Huic ergo antennæ, id est, cruci Christi, simplex conuersatio, & pura confessio, tanquam candentia vela, religentur. Et vela nostra fluctibus abluantur, vestisq; tendatur, vt sine macula, & ruga, inueniatur. Quantumlibet mare sæuiat, ventus incumbat, inter fluctus & fluctus, nauis ista turbetur tantùm, non mergatur, & currit. Denique posteaquam nauis hæc ædificata est in Hierusalem, atque inde in medio pelagi huius frementis emissa est, æstuantium volumina vndarum, & furentiũ flabra ventorum

ventorum, dum eam huc atq; illuc circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces, quacunq; inuenit, inuexit. Quid enim tam peregrinum, in terra nostra, quàm per pœnitentiam, remißio peccatorum, regnúmque cælorum?

§. VI.

Ecclesia naui similis, quò, & quomodo debeat tendere?

Igitur habemus ex hoc sancto Patre, sæculum esse mare, tempestates insurgere in persecutionibus, nauem tutissimam eligi, si in crucem, cum Christo, ascendamus. Quò autem tendendum est? quò nauis dirigenda? *Quo modo, qui nauigant, nauem ad astra dirigunt*, ait Clemens Alexandrinus. Neq; monstra hîc marina nobis sunt metuenda. Virtute crucis pericula omnia superantur. *Quid ergo nos?* ait Augustinus. *Ad patriam, quà ituri sumus? per ipsum mare, sed in ligno Noli timere periculum, lignum te portat, quod continet sæculum. Ergo attendite: Hoc mare magnum & spacioſum, ibi repentia, quorum non est numerus, animalia pusilla & magna. Noli timere, noli terreri; desidera patriam, intellige peregrinationem. Illic naues commeabunt. Ecce in eo, quod*

Clem. Alexandr. lib. 6. Strom.

S. Augustin. in Psalm. 3.

terrebat, commeabunt : naues natant, & non merguntur. Naues Ecclesias intelligimus: commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia vasilla & magna. Gubernator est Christus in ligno crucis suæ. Illic naues commeabunt. Non timeant naues, non valde attendant, vbi natent, sed à quo gubernentur. Illinc naues commeabunt. Quæra commeatum reperiunt tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum? Commeabunt securè, commeabunt perseueranter, venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietis. In portu tutissimum est nauigare. Ad hunc cæli portum, vt aspiremus ipsi nos fluctus impellunt, quibus, in hac vita, homines jactantur. Quod idem S. Pater alibi docens, ait:

S. Augustin. lib. de substant. dilect. onis. cap. 7.

Vniuersus iste mundus, quasi quoddam diluuium est, eò, quòd omnia, quæ in hoc mundo sunt, ad similitudinem aquæ incertis euentibus fluctuando decurrant. Vera autem fides, quæ non transitoria, sed æterna promittit, quasi à quibusdam fluctibus, sic ab huius mundi cupiditate in suprema animum tollit: & portari quidem ab aquis potest; sed mergi omnino non potest: quia ad necessitatem hoc mundo vtitur, sed eius desiderijs, per affectum non implicatur.

tur. *Quiſquis ergo æterna non credens ſola, quæ tranſeunt, appetit: hunc quaſi ſine naui laborantem in fluctibus impetus aquæ decurrentis ſecum trahit. Qui verò æterna credens, tranſitoria diligit, hic juxta nauem naufragium facit: qui autem æterna bona credit & diligit, hic in naui poſitus fluctuantis maris vndas ſecurus pertranſit: quia qui per deſiderium fidei nauem non tranſgreditur, iam quodammodo, in fluctibus, terræ ſtabilitatem imitatur.* Nunc igitur, quæ & terræ ſit ſtabilitas, quæ ſecuritas, quod emolumentum, aut detrimentum, videamus; de aquæ autem neceſſitate, vtilitate, jucunditate, in hunc ſimilémue modum expenſa, quiſquis antehac fuit temerarius judex, aut ſuperbus contemptor, poſthac dicat:

Prô dij immortales, in aqua nunquã credidi
Voluptatem ineſſe tantam!

CAPVT IX.

Terræ, hominis gratia creatæ, ſitus, quies, rotunditas, inæqualitas, venuſtas, & feracitas, laude & admiratione digna.

§. I.

In terra, cõmuni omniũ matre, alios inuenire, quæ vituperent, alios, quæ laudẽt. In-

INfimum, inter elementa, locum terra possidet, de qua nos sumus, tanquam cõmuni omnium ma-

Liu. lib. 1. tre; cuique, non iam cum Bruto illo Romano, sed cum sanctis viris, originis nostrę memores, osculum sæpe ferre deberemus,

Gen. 3. 19. nos ipsos ita alloquentes: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sed sunt non pauci, qui etiam hîc inueniãt, quod Aristarcho dignum arbitrentur, similes ijs, qui Homeri versus acephalos, id est, capite, vel cauda diminutos excerpunt, tam multa alia integra pulchráq; prætermittentes. *Idem*

Plutarch. in Moral. *enim faciunt*, ait Plutarchus, *qui de paucis vitæ malis queruntur, dißimulatis tot commoditatibus.* Quod vitæ humanæ vniuersim, id etiam terræ conuenit. Spinas & tribulos quidam tantùm in oculis habent, hinc punguntur. Alij etiam rosas & violas intuentur, & vulnera spinis facta inungunt oleo rosarum. Quanquam & alij erant, qui omnia, in terris, plena existimant floribus esse oportere, &, quidquid calcant, rosam fieri volunt. Tutissimi vtique eunt, qui media incedunt via, & dura mollibus, alta planis, amara dulcibus temperata contemplantur. Nam, & quę

spinas

spinas tantùm sentiunt, eiulant: &, qui rosas tantùm attingunt, luxuriant. Qui autem in diuinæ veritatis arcana penitiùs intrant, in vtrisq; artes Moderatoris, laudésque maximas perspiciunt, canúntque identidem: *misericordia Domini plena est terra:* VERE DICIMVS, IVRATI DICIMVS. Sic laudantium plenus est chorus. Cyrus rex Persarum, teste Xenophonte, *tantum in hominum animis excitare potuit desiderium præstandi ea, quæ essent ipsi grata: vt omnes ipsius arbitrio regi perpetuò cuperent. Tot nationes, vt ex eo ipso penderent, effecit, quot etiam enumerando percurrere, fuerit operosum; quacunque scilicet ex parte à regia quis ordiatur; siue ad ortum, seu occasum, siue ad septentriones, seu meridiem.* Idem desiderium longéq; maius excitat sapientissima DEI bonitas; vnde plurimis est *à solis ortu, vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.*

Psal. 32. 5.

Xenophon. li. 1. de Cyri. Instit.

Psal. 112. 3.

§. II.

Terræ boni laudatores.

Agmen ducat Anna cantatrix, quæ terram, cum fundamentis suis, & à Domino, & Domini esse, præclara illa Oda prædicauit

1. Reg. 2. 8. cauit: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Et quanquam hoc præclarum opus artificis est, tamen id quodammodo cum homine diuisit. Nam idem, qui dicit, *meus est orbis terræ*, &, *qui fecit cælum & terram*, etsi vbique est, neque vllo excludi loco potest, tamen terram videtur potiùs fecisse in hominum habitationem. Quocirca mox subjungitur: *Cælum cæli Domino; terram autem dedit filijs hominum.* Illis enim necessaria est, illis data est ad vtilitatem; illis ad amœnitatem. Inde, ex humili statione, in alto venerari debent diuinam maiestatem. Qua de caussa Ecclesiastes ait: *Deus in cælo, & tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui.* Qui enim in alto habitat, videt omnia, quæ infra se fiunt; atque ita è cælo exsplendescit, vt ostendat, se neque terris deesse. Quamobrem idem Ecclesiastes ait: *Vniuersæ terræ rex imperat seruienti.* Hinc illæ à rege laudes: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuũ in vniuersa terra! Laus tua in fines terræ. Et in omni terra gloria tua. Iubilate Deo omnis terra.* Ita ad citharam parens. Filij eius autem vox est: *Dominus sapientia fundauit terram.* Et Isaias: *Laudate*

Psal. 49. 12.
Psal. 113. 15.
Eccl. 5. 1.
Eccl. 5. 8.
Psal. 8. 2.
Psal. 47. 5.
Psal. 56. 6.
Psal. 65. 1.
Prou. 3. 19.
Isa. 49. 13.

date cæli, & exulta terra. jubilate montes laudem. Et tres pueri: *Benedicat terra Dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula. Benedicite montes & colles Domino: laudate & superexaltate eum in secula.* Atque, vt sexcenta talia prætermittam, quanti terram facit Menander, in Nauclero, ir hunc modum loquens? Dan. 3. 47.

O charissima terra mater, quàm mortalibus
Mente non captis admodum veneranda es possessio?
Itaq; fundum à patre relictum si quis adeptus
Abligurijt, eum par est ad extremum usq; vitæ nauigare,
Ac terræ nunquam insistere, vt sentiat,
Cui bono à maioribus accepto non pepercerit.

Apud Athen. li. 4. Dipnosoph. Victor. 5. Var. c. 20.

§. III.

Terræ vani cultores.

Sed satis fuit hactenus progredi. Vlteriùs progressi ceciderunt, in terram collisi. Stetissent, si terram coluissent, more colonorum. si, inquam, stiuâ eam, non arâ coluissent. Nam tanti, apud eos, Tellus fuit, vt,

sidcrum

siderum & cælestis patriæ obliti, eam adorarent. *Terram quidam è vobis*, ait Arnobius, *quòd cunctis sufficiat animantibus victum, matrem esse dixerunt magnam. Eandem hanc alij, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant. Nonnulli autem Vestam, quòd in mundo stet sola, ceteris eius partibus mobilitate in perpetua constitutis. Quod si ratione profertur & asseueratur certa, trina pariter numina, vobis interpretibus, nulla sunt: non Ceres, non Vesta deorum esse computabuntur in fastis; non ipsa denique mater deûm, quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni, dea esse poterit nuncupari: siquidem vnius terræ hæc sunt omnia nomina, & his sola prædicationibus indicatur.* In terra; & cum terra multa atque præclara beneficia accipimus, sed dator est DEVS, non DEA, quæ nullâ est; neque summum illud & sublime bonum in terris est quærendum; quia quidquid terra propinat, caducum est; cuius bonis vti, non frui debemus, qui nati sumus, vt diuinitate fruamur. *Hæc via est, quàm Philosophi quærunt*, ait Lactantius, *sed ideò non inuenerunt, quia in terra potiùs, vbi apparere non potest, quærunt.* Quos sequuntur homi-

Arnob. l. 3. contr. Gent.

Lactant. lib de opific. Dei. c. 20.

mines terreni, hoc est, terram cælo præferentes; qui in fluxa hæc inhiant, more bestiarum. Quibus terra scandalum est, dũ scabellum esse deberet, aut fulcrum; quo ad cælum scandunt, quicunque hominem carne non metiuntur. Pulchra homini ante oculos posuit DEVS, vt, ijs in victimam oblatis, pulchriora mereretur adipisci. *Qui si delicatus magis ac tener in hac vita fuerit, quàm ratio eius exposcit; si, virtute contempta, desiderijs se carnis addixerit, cadet & premetur in terram,* ait Christianus Cicero. *Sin autem (vt debet) statum suum, quem rectum rectè sortitus est, & promptè constantérque defenderit; si terræ, quam calcare ac vincere debet, non seruierit, vitam merebitur sempiternam.*

Idem Lactant. de opific. Dei c. 20.

§. IV.

Terræ situs, & immobilitas, contra quorundam vertiginem, firmata.

Hac ipsa de causa, loco infimo, creata est terra, vt quamuis vtilis, quamuis coloribus picta, quamuis auro argentóque preciosa, tamen, etiam in animo nostro, infimum locum obtineret. In compendio dicam. æstimanda est, non adoranda. Vt æstimetur, multa exhibet emolumenta;

plurima tamen etiam metuenda, ne cælo anteferatur: vt adeò, illa ipsa, quæ in eo metuuntur, seruiant ad nostram vtilitatem. Sed, ne Conditori ingrati simus, vel obiter expendamus ea, quæ indidem Sanctos in DEI laudes rapuerunt; insuper etiam potentiam magnificentiámque opificis terra laudat, suspensa ingens moles, pilæ instar, in medio aëris, & totius vniuersi. Qui situs etsi est naturalissimus, tamen eò magis parit admirationem, quia tantum terræ pondus sine alis volat, sine branchijs & brachijs natat; nec sursum in aqua, nec deorsum in aura tendit, sed subsistit immobile astrictum sua grauitate; vt centrũ decet, circa quod aqua, aër, æther, sidera mouentur; quin & homines, nunquam in vna sede morari sustinentes. Quiescentem in medio liquidorum elementorum terram, & mole sua se sustinentem, quis non miretur? Teste Ruffino, Alexandriæ, in templo Serapidis, quadriga fuit ærea, nulla basi suffulta, nullis catenis gesta, in libero aëre suspensa, magnum intuentibus stuporem injecit, & diuinum quoddam prodigium vulgò esse putabatur. Cecidit tamen illico, & confractum est totum

S. Basil. lib. 1. Hexaëm.

Ruffin. lib. 2. hist. Eccl. c. 23.

totum opus, vbi quidam seruus DEI, ad tollendam diuinitatis idololatricam opinionem, magnetem è fornice sustulit. Plinius tradit, ex solido magnete Dinocratem Architectum, Alexandriæ, Arsinões templum concamerare inchoasse, vt in eo simulachrum eius è ferro, in aëre, pendulum videretur. Et venerabilis Beda memorat, inter cetera mundi miracula, equum Bellerophontis ferreum, inter duos magnetes, eo artificio fuisse libratum, vt in medio aëre, sine fulcro, pendulus, expansisque alis, quasi volitans videretur. Similia de columba Architæ, deque Aquila Regiomontani scribũtur, quæ sola vi magnetica fieri potuerunt. Nam quæ de Machometis sepulchro narrantur, fabulosa esse ostendit, in sua peregrinatione Hierosolymitana Illustrissimus Princeps Raziuilus. Multóque magis fabulosa sunt, quæ Thalmud Hebræorum refert de Ieroboam, quem asserit, vitulos aureos magnete, ad hominum deceptionẽ in aëre suspendisse. Quasi aurum æquè ac ferrum à magnete trahatur. Immo quàm id in ferro difficile, ac penè ἀδύνατον sit, ingeniosis rationibus, ostendit noster Athanasius Kirche-

Plin. l. 34.

Ven. Beda li. 3. de nat. rer. lib. de 7. mundi mirac.

Thalmud. Tract. Sanedrin. c. hegel.

Athanas.

Kircher. lib. art. mag. part. 4. probl. 6. rus. Ea tamen, quam ipse subjungit, arte, pulcherrimum in aëre volantem Cupidinem, mihi Augustissimus Imperator Ferdinandus III. Ratisponæ, in Comitijs, Anno 1641. monstrauit, oculis & admiratione dignissimum spectaculum, quod etiã maximos Imperij satrapas rapuit. Ita operа manuum hominum magni facimus.

Isai 40. 12. An non pluris is est faciendus, qui *appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere mõtes, & colles in statera?* Volat, natat, sine conatu; hæret, sine magnete, ponderosa terra, in medio liquidorum elementorum. Quæ stabilis est, quia fundamentum est; quiescit, quia caderent ædificia, si ipsa moueretur; non cedit loco, quia nihil eò recideret, vnde in altum mitteretur, cùm tamen Scriptura dicat: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.*

S. Basil. hom. 1. Hexaem.

Eccli. 27. 28.

Lucret. lib. 5.

Ipsa etiam volucres tranantes aëra leni
Remigio alarum, celeri vertigine terræ
Abreptas gemerent siluas, nidósque tenellis
Cum sobole.
Sic igitur terræ concreto corpore pondus
Constitit, atque omnis mundi quasi limus
in imum
Confluxit grauis, & subsedit funditus
ut fax.

Inde

Inde mare, inde aër, inde æther ignifer ipſe.

Potuiſſet terra moueri, & minore fortaſſe negotio, ſi non minore commodo; ſed maluit ſapientiſſimus Opifex, vt immenſa illa cælorum corpora, quotidie circa illam, per immenſa ſpacia, rotarentur: quia *hîc elucet*, ait Tycho, *incomprehenſibilis Dei opificis imperſcrutabilis ſapientia, & poteſtas, qui cæli corporibus tam vaſtis, omni cogitatione celeriorem motum, eundémque ſimul, & vniformem, & diuiſum, duplicemq; attribuere & voluit, & potuit.* Itaque Gilbertus, & alij, qui terræ vertiginem tribuerunt, fecerunt id, more laborantium vertigine, quibus, quia cerebrum turbatum eſt, ſtantia in gyrum verti videntur. Quamobrem etiam Perpendiculorum inconſtantia ab Alexandro Calignono, nobili Delphinate excogitata, à Petro Gaſſendo commentario exornata, à Ioanne Caramuel Lobkovviz examinata, falſa reperta eſt. Putârat enim, *quouis die perpendiculum ſic excurrere à Borea in Auſtrum, & recurrere ab Auſtro in Boream, vt ad limitem Auſtrinum perueniat in ipſo meridie, ac in media nocte: Ad Boream verò hora ſexta tam*

Prodijt Louanij An. 1643. pag. 10.

matutina, quàm vespertina. Nihil aliud obtinuit iste motus, quàm vt Mathematicos non sineret quiescere, donec & terram, & perpendiculum quiescere deprehendissent. Nimirum *oritur sol, & occidit, terra autem in aternum stat;* nec eam poterit loco mouere vllus Archimedes, quamuis omnes artes, vires, machinásque suas impendat.

Eccl. 1. 4. 5.

§. V.

An, & vnde Terra emineat supra aquas?

Illud quoque, in situ terræ, ad hominum vtilitatem, necessarium admirationem meretur, quòd, cùm sua grauitate, infimum locum, ipsiq; adeò etiam aquæ subesse expetat, & verò etiam aquis, ab initio, tota fuerit cooperta; tamen, jubente Deo, contra naturæ indolem, extra aquas emersérit; ita, vt quodammodo super aquas fundata, firmatáque esse, ac dici posse videatur. Quo respiciens Propheta, de orbe terrarum ait: *super maria fundauit eum, & super flumina præparauit.* & alio loco: *Qui firmauit terram super aquas.* Quod non rectè quidam voluit valida ventorum immissione factum, vt contigit in aquis diluuij deficcandis, quando Dominus, *adduxit spi-*

Psal. 23. 2. Ps. 135. 6

Gn. 8. 1.

ritum

ritum (id est, ventum siccum, vt exponit Lyranus) *super terram, & imminutæ sunt aquæ;* & quando via, per mare, transituris Israëlitis exsiccata est. Ingens fuisset miraculum, vno die, à vento tantam vim aquarum exsiccari, miraculum autem, sine magna necessitate, ponendum non est, vt quidam ratiocinantur. Quæ tamen ratio me tantopere non moueret, quia etiam, *cùm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente,* TOTA NOCTE, *& vertit in siccum: diuisaq; est aqua.* Si ibi vna nocte id fieri potuit, cur non etiam vno die hîc? quantumuis tertio die, discoopertæ sint plagæ terrarum. Illud maius apud me pondus habet, quòd, tertio die, non dixerit DEVS, exsiccentur, sed, *congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationésque aquarum appellauit maria.* Collectæ ergo sunt aquæ, non dissipatæ in aërem. Quæ collectio etiam non facta est condensatione, qua aquæ aliquid quidem loci relinquunt; non tamen propriè congregantur. Quanquam credibilior hic est modus, quàm prior. Poterant enim pri-

Exod. 14. 21.

Gen. 1. 9.

ùs aquæ fuisse subtiliores, quales nunc sunt pluuiales; aut etiam his tenuiores, nempe qualis est vapor, aut nebula caliginosa; cùm ipsa diuina sapientia dicat: *Et sicut nebula texi omnem terram*, & apud Iob, *cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ, obuoluerem.* Talis ergo vel vapor, vel aqua, si totam terram operuit, vtique postea minorem locum occupauit crassata in salsum mare, ac spissum humorem. Quæ sententia, si de nebula & nube intelligatur, cogitandum est, terram initio factam fuisse,

Eccli. 24. 7.

Iob. 38. 9.

Lucret. lib. 5.

Non alia longè ratione, ac sæpe videmus,
Aurea cùm primùm gemmantes rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina solis,
Exhalantque lacus nebulam, fluuiique perennes:
Ipsa quoque interdum tellus fumare videtur.
Omnia quæ sursum cùm conciliantur in alto,
Corpore concreto subtexunt nubila cælum,

§. VI.

Cur aquæ terram non obruant?

Verùm hæc opinio abit à ventorum propriè-

proprietate. Etsi enim vapor, & nebula, vt nubes reipsa sint aquæ, ob tenuitatem tamen suam, non solent aquæ nomine vocari. Quando ergo dictum est: *Congregentur aquæ*, eiusmodi aquæ congregatæ sunt, vt earum congregationes, non vapores, non nebulæ, non nubes, sed *maria* appellarentur. His aquis priùs non nebula vera, sed velut nebula aut nube circumfusa, terra tegebatur. Quare, vt mundi Machinator terram aquis liberatam, hominibus ad habitandum præpararet, terram, quæ sub aquis circumquaque æqualis erat, omnipotenti virtute sua reddidit inæqualem, eiúsque & exteriorem figuram immutauit, & viscera grandibus lacunis interrupit. Itaque Gen. 1. 9.

Sidebant campi, crescebant montibus altis
Ascensus: neque enim poterant subsidere saxa,
Nec pariter tantundem omnes succumbere partes. Lucret. loc. cit.

Seu, vt facer vates psallit: *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.* Quemadmodum ergo, ante tertium creationis diem, terra erat adobruta aquis, & *abyssus sicut vestimentum amictus* Psal. 103. 6.

eius, ſuper montes ſtabant aquæ (adeò multæ atque altæ erant) ita *ab increpatione tua fugient* (aquæ) ait idem vates, *a voce tonitrui tui formidabunt*. Vox tonitrui, hoc eſt, potentiſſima erat: *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in vnum locum, & appareat arida.* Hac voce dirupta eſt terra, & immenſas quaſdam effecit, tum intra, tum extra ſe, cauitates, aggereſque, jecit; vt & moles eſſent fluctibus oppoſitæ, & foſſæ, ac profundiores aluei, in quibus aquæ priùs, per omnem terræ ſuperficiem vndique æqualiter diffuſæ, tanquam in vaſis ampliſſimis, reciperentur; altioreſque terræ montes, cumulos, & campos denudatos relinquerent. Illæ enim, quaſi præ formidine, in fugam verſæ, ſtatim in locum ſibi à Numine paratum confluxerunt; vnde ſine eius nutu non excurrunt. Qua de cauſſa ibidem dicit Propheta: *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram.*

Pſ. 103. 9.

Idem Lucret. ibid.

His igitur rebus retractis, terra repentè,
Maxima quà nunc ſe Ponti plaga cærula tendit,
Succidit, & ſalſo ſuffudit gurgite foſſas.

§. VII.

Aquas terris non eſſe altiores, Non

Non enim illis subscribendum arbitror, qui censuerunt, aquas, vt terram detegerent, minúsque extenderentur, ad Conditoris vocem ac mandatum, ita refugisse, vt in celsissimam altitudinem intumescerent; adeò, vt etiam nunc terram altitudine excedant. Siquidem omnia flumina, tandem intrant in mare; quæ cùm per inferiores terræ partes semper ad ima decurrant, necesse est, mare non modò non celsius, sed terrâ longe depressius humiliusque esse. Aiunt quidem diuinæ litteræ, Deum posuisse legem, terminos, & præcepta aquis, & vectes, ac ostia, ne transirent fines suos. His tamen testimonijs non conficitur, aquas, postquam non ampliùs efficiunt propriam sphæram terræ proximam ac superextensam, nunc adeò super altitudinem terræ elatas esse, vt, nisi diuina vi coërcerentur, facilè, & suapte natura, erumperent, totámque denuo cooperirent. Licet enim naturales inclinationes creaturis ratione, immò & sensu carentibus à DEO inditę, in diuinis libris subinde *leges* (non essentialiter, sed participatiuè quodammodo) vocentur, non est tamen credibile, tales leges naturalibus rerum inclinatio-

Eccles. 1. 7.

Pro. 8. 29. Ierē. 5. 22. Iob. 38. 8.

Ita S. Thom. 1. 2. q. 90. a. 1. ad 2.

nationibus perpetuò aduersantes, fuisse datas. Alioqui mare, contra propriam naturam & inclinationem, perpetuo miraculo eleuatum deberet contineri, ne ad inferiorem locum, sua grauitate effluere. Quod in concauis terræ sinibus collocatum non facit, Ascenderet, si exiret.

§. VIII.

Quomodo aquæ dici possint in vnum locum collectæ?

Secta igitur in varios sinus est terra, & aquæ ipsæ diuisæ sunt, in lacus, amnes, fluuios, & maria; tametsi congregatæ dicantur *in vnum locum;* in specie, non numero vnum scilicet; seu in vnius generis locum, quod idem est, ac si dictum esset, congregentur aquæ in loca terræ humiliora. Ita eum nos locum intelligere cogunt, multa maria, in diuersis terræ tractibus separata: quæ quidem omnia ferè cum Oceano conjuncta quodammodo videntur; attamen mare Caspium vndique est concluſum; & in Palæstina, circa regionem Sodomorum & Gomorrhæorum, mare quoque illud, in quod sese infundit Iordanes, quod Scriptura *salsissimum* appellat, ab Oceano prorsus est diuisum.

Sicut

Sicut & ſtagna, & lacus plurimi, cum Oceano non conjunguntur, niſi fortè per occultos ſubterraneóſque terrarum meatus, per quos aquæ maris iterum ad fontes, *& ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur.* Quam ob cauſſam, in Geneſi, non dicitur, *congregationem,* ſed *congregationes aquarum appellauit maria: & maria, non mare,* multa eiuſdem generis loca receptaculáque aquarum nominauit, vt eruditè annotauit Torniellus.

Eccleſ. 1. 7.

Auguſtin. Torniell. Mundi die 3.

§. IX.

Terrarum, & aquarum elegans diuiſio, ſphæris expreſſa.

Ex his de ſitu, quiete, ac diuiſione, diuulſioneque terræ diſputatis, quæ neceſſaria ſunt, ad hominum in ea habitationem, etiam pulchritudo illius eniteſcit, quam illi conciliat rotunditas, varietas, fæcunditas. Figura enim terræ eſt rotunda, hoc eſt, vt perfectiſſima, ita & elegantiſſima, quam projectâ in Lunam vmbrâ eclipſes oſtendunt; & teſtantur, qui ex Hiſpanijs, occaſum verſus, ſoluentes, immenſis itineribus, ad incognitas mundi partes, curſum ſolis, imitati, per hemiſphærium huic noſtro ſuppoſitum, ſemper recurua via, nauigauerunt.

runt. Illi enim, per Orientales insulas, tandem, toto terrarum orbe emenso, trium annorum spatio, ad idem Hispaniæ littus, vnde exierant, redierunt. Quia verò non est alia aquæ, alia terræ sphæra, vt tamen contendit Paulus Burgensis, sed vnus efficitur ex vtroq; elemento globus, in quo terra aquis longè est maior, & cuius centrum est idem cum centro vniuersi; idcirco mira quædam vel ex ipsis aquarum ductibus, & tractibus terrarũ varietas existit. Fluuij enim veluti quædam venæ campos intersecant, & riui gratissimo aspectu prata distinguunt; nihilque est aspectu jucundius, quàm, ex alta arce, aut monte, tanquã fimbriata peristromata, regiones subpatentes fluminibus discriminatas intueri. Quod vel in exiguis his Mathematicorum globis agnoscere possumus, in quibus illi Europam, Asiam, Africam, Indiam, & totum hunc terrarum orbem, cum lacubus, amnibus, & ipso Oceano delineatum depictúmq; curiosorum oculis consueuerunt repræsentare.

Paul. Burg. super c. 1. Genes. addit. 1.

§. X.

Amœnus terræ aspectus.

Sed longè inferior est imago veritate.

Si

Si quis te currus igneus cum Elia, aut bonus genius cum Habacuc, in sublime, supra terras, attolleret, vnde oculis tuis totæ sese subijcerent nationes, longè jucundiora videres, quàm tibi proponit in tabula penicillus. Quanta inde tibi varietas, amœnitas, latitudo appareret? Hinc camporum in infinitum patentium fusa planities. Hinc montium magnis & niualibus surgentium jugis erecti in sublime vertices. Inde dejectus fluminum, & ex vno fonte in orientem, occidentemque defusi amnes: vel summis cacuminibus nemora nutantia. Aliunde varij vrbium situs, & seclusæ nationes locorũ difficultate. Quarum aliæ se in erectos subtrahunt montes; aliæ ripis, lacu, vallibus, palude circumfunduntur. Nec non adjuta cultu seges; & arbusta sine cultore fertilia; & riuorum lenis, intra prata, & amœnissimus discursus; & littora in portum recedentia; sparsæque tot per vastum insulæ; quæ interuentu suo, velut gemmæ, maria distinguunt. Nec ipsa te formidabilis alioqui aquarum immensitas non oblectaret. Ex alto tibi ostenderetur vinculum terrarum Oceanus, continuatio gentium, triplici

sinu

ſinu refulgens, & ingenti licentia exæſtuans; medióque rurſus in mari nitentes ignium faces nocturno tempore: interdiu autem, quietis, & ſine vento fluctuantibus aquis, immani, & fidem excedenti magnitudine terrentia animalia, aut animalibus ſimilia ſimulachra: quædam grauia, & alieno ſe magiſterio mouentia; quædam velocia, concitatis perniciora remigijs; quædam haurientia vndas, & magno præter nauigantium periculo, totos fiſtulis fluuios efflantia. Aqua enim ſpiritu acta, quaſi per diabeten, ſiphonum modo, emicat. Aſpiceres indidem nauigia, quas non nouêre, terras quærentia. Aſpiceres nihil humanæ audaciæ intentatum. Spectares vtrumque Oceani littus; & mare tanquam hoſpitium fluuiorum, fontem imbrium, deriuationem alluuionum, inuectionem commeatuum; cingulum terræ, quo ſibi diſtantes populi copulantur; limitem hoſtium, quo præliorum remouentur pericula; liquidum murum, quo barbaricus furor clauditur; ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis; gratiam in voluptatibus; ſalubritatem valetudinis; ſeparatorum conjunctionem; itineris

neris compendium; transfugium laborantium; subsidium vectigalium; sterilitatis compensationem; deniq; etiam formidinem audacissimorum; laboris officinam; sedem tempestatum; patriam naufragiorum, theatrum tragœdiarum. Quorum spectaculorum tristitiâ ipsâ lætareris. Siquidem

Suaue, mari magno, turbantibus aquora ventis, Lucret. lib. 1.
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quenquam est jucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.

§. XI.

Theodoreti, è terræ aspectu in Deum ascensio.

Ad hunc modum quidam terras, aquis discriminatas, sunt cum voluptate, contemplati, & verò etiam accensi ad amandum terræ maríque Conditorem. *Terræ situm considera,* inquit Theodoretus, *& multiformem eius speciem. Nec enim omnia vel supina, vel plana, aut etiam ardua sunt, sed in montes, siluas & campos tota terra diuisa est.* Theodoret serm. 1. de prouid.

Videas enim, in patentißimis campis, colles in altum ſurgere; inter montes autem medios, loca prona & plana maris ſinus forma ſua referre. Sed & ipſos montes, in hominum vſus & vtilitatem rerum, Conditor diſtribuit: quos dum vallium præcipitijs diſcreuit, hibernis & niualibus aquis meatus ſtruxit, vel alueos; tum hominibus quoque, in iniquis & aſperis locis, faciles viarum ſemitas extendit. Præterea montes quidem fabrorum arti materiam exhibent, campi verò montium cultoribus frumenti copiam & vſum retribuunt. Sed & ſitus ille varius non alit modò, verùm etiam intuentium oculos, mirificè delectat. Quæ enim vnam & eandem formam habent, mox ſatietatem ſui pariunt. Dic ergo mihi, quiſnam ſit, qui hæc tam pulchrè diſpoſuit? qui tantis facultatibus hæc inſtruxit, vt tot annorum euolutiones theſaurum hunc non potuerint conſumere? quis item ille ſit, qui ea, quæ in rerum natura fiunt, firma & immota conſeruat?

§. XII.

Terræ fertilitas.

Amœnitatem hanc terræ multò facit amœniorem eius fertilitas & frugifera beneficentia. Nam quia pecora nobis, pecoribus

ribus gramina seruiunt, natura eã herbescente viriditate elegantissimè vestit; virorémq; istum mira florum, pomorum, cerasorum, aliorúmq; fructuũ varietate aspergit, vt veluti Phrygio opere distincta, aut picturato peristromate decorata videatur. Sic nihil nobis in terra deest, dum illa liberaliter venusta, & pariter venustè est liberalis: *vt huic vni rerum naturæ partium, propter eximia merita, cognomẽ indiderimus maternæ veneration is*, Plinio teste. Omnia ad hanc concurrunt fertilitatem. Nam & aquæ, quæ pisces mortalibus suppeditant, terram reddunt irrigatione fæcundam: & diuitias, ornatumque maximum largiuntur. Vnde enim lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapidorum cursum torrentium aurum arenas interfluens, nisi ex aquis? vt, in Tago, Pactolo, Hermo, hodieque Indiæ nouæ fluentis, atque ora Piscaria, reperire est. Ibi etiã conchæ, quæ margaritas pariunt, & purpuram fundunt: ibi vniones & lapilli totis censibus & patrimonijs æstimati. Nec ibi tantùm opes, sed in ipsis terræ visceribus, intra asperas rupes & saxa, ferrum, æs, argentum, aurum, & omnis generis metalla, mineraliáque

Plin. lib. 37 cap. 63.

gignuntur. Vnde meritò ille ait: *Habet ar-*
Iob. 28. 1. *gentum venarum suarum principia: & aurum*
locus est, in quo conflatur. Ferrum de terra
tollitur: & lapis solutus calore in æs vertitur.
In siluis quoque non auium duntaxat con-
centus dissonus aures mulcet, sed lepus-
culorum, ceruorum, aprorum, aliorumq;
animalium incredibilis varietas juxta, &
copia hominibus alendis & oblectandis est
à DEO collocata. Atque vt nomine ab vno
terra omnis discatur, apponam, quæ Xe-
Xenophon. lib. de ratio-nib. redi-tuum. nophon de terra Attica pronũciauit, cuius
regionis scribit, talem esse naturam, *quæ*
maximam prouentuum vim suppeditare pos-
sit. Anni tempora, ait, *hîc admodum esse mi-*
tia; fructus ipsi, qui proueniunt, testantur.
Etenim quæ alibi ne pullulare quidem possent,
hîc fructus suos proferunt. Atque vt solum
ipsum, ita etiam mare, quod regionem ambit,
omnium rerum feracissimum est. Quia etiam,
quæcunque bona diy, singulis anni temporibus
suppeditant, ea bona hîc & tempestiuè admo-
dum incipiunt, & tardissimè deficiunt. Ne-
que tantùm potior est ijs, quæ in annos sin-
gulos & florent, & senescunt: sed habet & hæc
regio perpetua quædam bona. Nam saxi natura
perennis est, in ea, copia, de quo fana pulcher-
rima

rima, pulcherrimæ aræ, signa deorum maximè decora fiunt: quod quidem saxum complures & Græci, & Barbari desiderant. Præterea solum quoddam est, quod aratum non ferres fructum: at si fodiatur, multò plures alit, quàm si frumenti ferax esset. Etenim diuino quodam munere haud dubiè, sub eo est argentum.

§. XIII.

Eiusdem terræ, statim postquam ab initio creata est, quanta, & vnde fuerit fertilitas?

Atticam atque Athenas suas ita laudauit Xenophon. Nimis contracta laus est, quæ in vnum mundi angulum compingitur: *in vniuersa terra, admirabile est nomen* Domini. Etsi enim *non omnis fert omnia tellus*, & partim ob varietatem, partim ob humanam inducendam, ex merciũ permutatione, societatem, alia alibi nascuntur; tamen vbiq; aliquid crescit, quod prosit, immo & quod pulchrum sit. Hinc jure, vt litteratus ille Iudæus scripsit, *Mater terra esse videtur. Quapropter & priscis illis placuit, vt vocaretur* δημήτης, *composito è matre & terra nomine. Non enim terra mulierem (vt dixit Plato) sed mulier terram*

Psal. 8. 2.

Phil. in Cosmopoeia.

imitatur: quam verè Poëtica gens omniparentem, frugiferam, Pandorámque nominare ſolita eſt: quippe cauſſam generationis & perpetuitatis tam ſtirpium, quàm animalium. Meritò igitur terræ quoque antiquiſſimæ matrum & fœcundiſſimæ natura, tanquam mammas dedit amnium fluenta fontiúmq;, vt ſtirpes rigentur, & omnia animalia potum copioſum habeant. Itaque aqua pro lacte eſt, & plantas educat terræ permiſta. Quæ tamen ipſa etiam è terris reducta locũ plantis dedit, cùm mundus crearetur. Quàm primùm enim, ad Dei mandatum, aqua receſſit, terrámque retexit, illico omnis generis plantæ emerſerunt; non quidem vi naturali ſeminis, in ea, ſati, neque per incrementa eas ad perfectionem ducens, vt nunc fit; ſed tanta erat virtus diuini verbi, vt extemplo, omnia herbarum arborúmque genera, perfectiſſimo ſtatu enitentia apparerent. Vnum momentum erat, quo frondes, fructus, ſemina, & quidquid plantarum indoles exigit, omnia maturuerunt. Quod illa ſacri textus verba indicant. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignúmque faciens fructum; & habens vnumquodq;*

Gen. 1. 12.

quodq; sementem, secundùm speciem suam. Tunc enim demum, quæ vtcunque viuunt, perfecta esse censentur, teste Philosopho, quando sibi simile possunt generare. Qui modus idcirco necessarius fuit, vt illico hominibus, ceteríſq; animalibus mox creandis esca posset suppeditari. Vtrum autem eadem, in omni loco, terræ fuerit facies, alia quæstio est. Potuit enim alibi, pro alia anni constitutione, vel vernare, vel hyemare solum; potuerunt arbores sine folijs, floribus, fructibúsue produci; potuerunt plantæ non actu, sed potentia atque in suis duntaxat causſis procreari, vt postea, congruis temporibus, crescerent, & ad perfectionem suam, vi naturali, peruenirent. Haud enim affirmat scriptura, omnes, vbiq; terrarum plantas, vno atque eodem tempore, adultas esse jussas; sed vtique in locis, ad quæque gignenda idoneis. Discrimina porrò & varietates plantarum, quæ penè sunt innumerabiles, viréſque ita sunt multæ, vt numerum, & peritissimos etiam ac istarum rerum curiosissimos fugiant. Axioma est Cabalisticum: *Non est herba inferiùs, quæ non habeat stellam suã superiùs, quæ dicat ei,* CRESCE. Nimirum adeò

Arist. li. 4. Meteor.

inscrutabilis est DEI Creatoris, in vnoquoque rerum genere, virtus, potentia, sapientia, & humani ingenij infirmitas, vt principes Philosophorum ignorantiam suam fateri coacti dixerint: *Maximam partem eorum, quæ scimus, minimam esse eorum, quæ ignoramus.* Hæc Sancti considerantes, in illas laudes effusi sunt: *Visitasti terram, & inebriasti eam. Terra dedit fructum suum. Omnis terra adoret te, Deus*, sed præcipuè præcipua, hoc est, Paradisus, prima hominis sedes; cuius præstantia non est hîc à nobis prætereunda; vt agnoscamus, inquàm præclara parentes nostros, eorúmque, si in innocentia perstitissent, successores, voluerit DEVS habitare terra.

Pſ. 64. 10.
Pſ. 66. 7.
Pſal. 65. 4.

CAPVT XII.

Paradisi terrestris præstantia & voluptas.

§. I.

Paradisi eminentia, & locus.

Olaus Magn. lib. 1.

REfert Olaus Magnus, apud Austrogothos, non longè à lacu Veneris, montem esse eminentissimum, vulgari gentis sermone *Kindaculla* dictum, tantæ altitudinis, vt à nauigantibus

bus, vltra XL. milliaria Italica, in eodem lacu, quasi atra nubes, inter cæli hiatus, appareat. Ideoque multi tempestatibus, vique ventorum agitati, summis viribus conantur eius pedem attingere, vbi tranquillissimum portum esse meminerunt. In illius montis summitate, mira amœnitas frōdium, varietas herbarum, suauitas fructuum, copia diuersarum arborum, sua sponte nascentium, non varietate magis, quàm dulcedine, velut satarum, reperitur. Accedit auium concentus, quæ mellitissimos cantus fundunt, & totum montem exhilarant. Tota cæteroqui regio vndique aspera, hanc habet arcem amœnissimæ jucunditatis. Quantum hic mons, & Tempe illius eminent, apud Austrogothos; tantum eminet, supra omnes alias mundi terras, Paradisus voluptatis, hortus deliciarum, cum quo nulli Hesperidum, aut Phœacum, aut Adonidis horti, nulli Elysij campi, nullæ insulæ Fortunatæ possunt comparari; quem DEVS eodem, quo ceteras plātas, tertio die, arboribus pulcherrimè consitum, suauissimorum fructuum vbertate refertissimum; florum coloribus pictissimum; irrigatione limpidissimæ aquę

amœnissimum, peculiari cura concinnauit; non prope Lunæ globum, vt quidam, cum Endymione, somniârunt; sed in orientali orbis plaga, vt ex Interpretũ 70. textu colligitur, qui ita locum illum Gen. 2. legunt: *Et plantauit Deus Paradisum in Eden, ad Orientem.* Regio enim Eden, ad Orientem, respectu Palęstinæ, sita fuit. Vox autem *Eden* etsi sæpe, in sacris libris, pro nomine proprio loci, seu regionis, sic dictæ ponitur, & verò hîc quoq; poni credibile est; tamen phrasi Hebraica, *delicias* significat, & nonnunquam absolutè, pro *loco voluptatis* vsurpatur: siue vox illa, ex origine sua, delitias significet; siue idcircò *Eden* cœperit pro voluptate & delicijs vsurpari, quia olim fuerit nomen loci delicioſi. Qui, probabili opinatione, fuit, vbi nunc est Mesopotamia, aut non procul ab ea, cùm illæ regiones propriè, in sacra Scriptura, Orientales nominentur. Hoc ergo lætissimo loco, hæredium, hoc pomarium, &, velut suburbanus Adami secessus fuit, Adamo de tota supellectili sua cognitissimus. Cuius cognitionis testis est ipse, qui animantia *adduxit ad Adam, vt videret, quid vocaret ea*, naturis eorum congruenter.

Gen. 4. 16. Ezech. 27. 23. lib. 4. Reg. 19. 12.

§. II.

Est autem vetus quæstio, priúsne nomina suas habuerint proprias significationes, vt proinde imposita sint rebus, prout ipsarum naturis aptiùs cõgruere videbantur, vt Platonici voluerunt; an potiùs nomina, indifferenter, & ad placitum, rebus fuerint indita (vt Peripatetici docuerunt, & in diuisione linguarum videtur accidisse) postea autem à rerum naturis suas acceperint etymologias. Platonicis fauere videtur sacra historia, quæ innuit, nomina rebus, ab Adamo, fuisse velut consultò imposita: qui cùm, pro sapientia sibi diuinitus infusa, rerum naturas, & singularum vocum significationes optimè dignosceret, conuenientia singulis nomina accommodauit. Quod satis clarè colligitur ex illis: *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea, omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ.* Quippe ni & plantas, & lapides, & metalla, & ipsa quoque sidera? solem & lunam? quamuis vtique eis superstitiosa Gen. 2. 19.

stitiosa Deorum & fabularum nomina nō dederit: cùm monstra illa tunc nondum ex Orco in terras emerserint; neque, si emersissent, eorum vocabulis astra fuisset homo sapientissimus, & adhuc innocentissimus, maculaturus: immò cùm nomina & vocamina rerum omnium, saltem in radicibus suis, à DEO, cum sermocinandi facultate accepta, vtique contra DEI honorem, creaturis non esset impositurus.

§. III.

Rerum creatarum, quàm delectabilis cognitio?

Ex hac porrò nominum impositione docetur, quàm gnarus fuerit Adamus omnium naturarum, quarum nomenclatura ex cognitione pendet nominantis. Eam autem cognitionem diuinitus inditam, ac postea etiam oculis, atque ceterorum sensuum experientiâ confirmatam, quantæ oblectationis caussam non arbitremur extitisse? Philoni in voluptate fuit terra, quæ *irrigata vel fluminum restagnationibus, sicut Ægyptus; vel annuis imbribus, exhausta feracitate vires reficit, & quiete modica fouet, moxq; vt antè, alimenta largiter animantibus suppeditat.* Quapropter, opinor,

Philolib. An. Mūd. fit corruptib.

Poëtis

Poëtis non temerè Pandoram vocari, quasi πάντα δωρυμένην, id est, omnia largientem, vel jucunda, vel necessaria; non his aut illis, sed omnibus, quæcunque sortita sunt animam. Certè si cui daretur adulto verè pinnas alásque sumere, & è sublimi campos collésque inspicere: quomodo illi herbas ferant & pabulũ, hordeum & triticum, aliásq; species varias; vel satas agricolarum industria; vel sua sponte prouenientes: hi verò folia frondésque, quibus densent arbores, simúlque fructuum copiam, quibus non solùm arcetur inedia, sed & lassitudini succurritur, (nam oleæ fructus medetur defatigatis corporibus; vinum modicè potum remittit vehementes dolores animi) præterea suaues auras exhalantes è floribus, eorúmque colores ineffabiles arte diuina picturatorum: moxq; deflexis oculis ad arbores infrugiferas, contemplari seorsim siluestres populos, cedros, piceas abietes, quercuum robora procerissima, ceterásq; id genus materies, quæ tum montes maximos, tum pleroſq; pingues agros, radicibus eorum subjectos opacant: agnoscerent indefessum terræ semper juuenescentis vigorẽ.

§. IV.

Cæli aspectus & pulchritudo.

Potuit Adamus è quatuor elementis, & (à

& (à prædominio) è terra limóque formatus, quàm primùm *factus est in animam viuentem*, (hoc est, *animal viuens*, & videns) longè omnia maiore cum voluptate tueri. Vt primùm enim spirare, atque è pigra gleba animatus ambulare cœpit, velut peregrinus aliquis hospes in nunquam visam vrbem intrans, oculos vbique circumtulit, per hoc nouum, & inusitatæ elegantiæ theatrum; sedemque hinc Angelis, inde hominibus, immo vtrinq; vtrisque olim communem aspexit; deorsum virentem, sursum splendentem, & indefatigata cælestium orbium officia voluentem; nusquam non certis æternisque legibus deuinctam miratus. Ac initio quidem, naturę corporisque sui vtique fabricam secutus, vultum, ad cæleſtes orbes, placuit attollere, vt oculis quoque rationem caperet eorum, quæ iam lucida mẽte comprehendebat. Ibi ergo in octaua sphæra, suspexit velut innumerabiles stellas, quibus sapientissimus Artifex mixtim, & tanquam sine ordine, non tamen sine consilio, & summa arte, prouidentiáque cælum vndique, & vndique, jucundissima confusione, conspersit. Ibi vidit nocturnã

Lunã

Lunæ successionem, à fraternis occursionibus lene remissumque lumen mutuantem; & modò occultam ab hominibus amittendam agnouit, modò toto ore terris imminentem oculis rursus accipiendam vidit; accessionibus damnisque mutabilem, semperque proximę dissimilem futuram. Ibi obseruauit & reliqua quinque sidera ex indole sua, diuersis vijs, cælisque vagantia, & in contrarium præcipiti mundo nitentia, proprióque motu, quasi per chorum, nunc horsum, nunc illorsum tendentia, circulúmque suum completura, redituráque, per gyros, ad pristinam stationem. Nec cælestium luminum multitudinem tantùm miratus est, sed etiam varietatem, situm, dispositionem, figurámque, ad arbitrium Astrologorum, mente fabricandas. Ibi deprehendit Lunam, & apparentiores fulgores è minoribus ignibus commendari; ibi cum lætitia laudauit, minimæ magnitudinis stellas, quas vidit velut aurea quædam puncta, in cæruleo conopæo, pulcherrimè interlucere. Horum omnium siderum lucem, ex arte diuina, sensit non esse meridiani solis claritudini parem, sed leniter illustrantem: cùm

ita

ita splendor ad suauitatem temperatus, contemplantium obtutibus non officeret; & neque cursum astrorum olim obseruaturos, neque nauigationum mensuram inde petituros, esset fulgor nimis ardens perstricturus; stellæque singulæ virtutes suas, vel motu, vel luce, sine nocturnæ refrigerationis detrimento, possent commodiùs propagare. Laudauit tunc vtique Adam mundi Conditorem, cùm & posteri eius, eodem aspectu incensi, in diuinas laudes fuerint effusi. Suspexit ad astra Dauid, & canere cœpit: *Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius*, qui scilicet cælestium orbium motibus præestis: *Laudate eum omnes virtutes eius*; quæ de stellis in terram descenditis, quæque plantas producitis, quarum vi maxima ac minima formantur; & ipsum adeò aurum intra celsissimos mõtes, gemmæ in profundissimis vndis excoquuntur. Assonant tres pueri, & jucundissimo, inter incendia, tricinio acclamant: *Benedicite stellæ Domino.* D. autem Ambrosius omnes jubet in cælum suspicere, & contueri, *quomodo per Lunæ, ac stellarum fulgorem cælum velut quibusdam floribus coronatum, ita igni-*

Ps. 148, 1.

Dan. 3.

S. Ambros. cl. 4. Hexaëm. 2. p. 2.

tis luminaribus micet, vt Paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarum viuis monilibus renitere. Vnde & à plerisq; ornamentũ cæli est nuncupatum, eò quòd sit stellarum monile pretiosum. Seneca Ethnicus homo, *ipse mundus*, ait, *quoties per noctem ignes suos fudit, & stellarum tantum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se tenet?* Tenuit igitur vtique & primum omnium parentem, ac sine corruptionis adhuc caligine sapientem.

Senec. lib. 4. de benef. cap. 23.

§. V.

Solis nobilißima formositas.

Sed nihil est magis tunc admiratus, quàm, quòd erat in mundo clarissimum, ipsum scilicet roseum solem, qui est, vt ait S. Pater, *oculus mundi, jucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ,* & vt ait Poëta: *sereni maximum mundi decus;* qui omnia virtute implet, terras die illustrat, homines & pecudes pulchritudine recreat; *cæli spirabile lumen;* cor vniuersi; vita colorum; in cuius globum lux omnis est collecta; à quo ceu fonte fulgor omnis in lunam & stellas longè latéque dimanat. Qui *certis dimensum partibus orbem per duodena regit*, nitidus, citus, *aureus astra:* qui

S. Ambros. lib. cit. c. 1. Senec. in Hippol.

Virgil. 4. Georg.

quotidiano cursu diei noctísq; spatia signat; qui annum in æstatem hyememque, in ver & autumnum diuidit. Motu enim diurno quidem (qui est primi mobilis) in circulos raptus, ortu suo occasúque, diem & noctem distinguit; eo autem motu, qui ei per circulum Zodiaci, proprius est, annum terminat; eundémque duobus solstitijs, & totidem æquinoctijs, in quatuor partes, vernam, æstiuam, autumnalem, & hibernam secat; dierúmque, per suas vices, incrementa & decrementa efficit; Luna quoque interim cursu suo, menses à mensibus secernente.

Lucret. lib. 5. de rer. nat.

Sic vigiles, mundi magnum & versatile templum,
Sol & Luna, suo lustrantes lumine circùm,
Perdocuêre homines annorũ tempora verti,
Et certâ ratione geri rem, atq; ordine certo.

Hæc in mundum veniens primus noster genitor & oculis, & animo suspexit. Atq; vt vno verbo dicam, quidquid Chaldæi, quidquid Ægyptij, quidquid Brachmanes, quidquid Astronomi, quidquid Philosophi omnes; post Adamum, à primis mundi incunabulis, vsque in hanc præsentem horam, per tot mille annorum spatia; sine

dioptris,

dioptris, siue radijs Mathematicis, siue lõgissimis tubis opticis, siue grãdissimis quadrantibus, siue quibuscunq; accuratissimè & faberrimè factis instrumentis; diurno nocturnóque labore, indesidestudio, pertinaci vigilantia; vel in cælorum motibus, vel in aspectibus astrorum, vel in corniculata Veneris stella, vel in Iouis stipatoribus, vel in Lunæ lucidis interuallis, vel in maculis Solis, vel in effectibus, aut defectibus omnium siderum, obseruare, adinuenire, tam multis, tamque longis & laboratis libris comprehendere, & posteritati tradere potuerunt, poterúntque, vsque ad finem mundi, id omne, & multò plura certiorá-que, Adamus, scientia non ab Archimede, aut Euclide, aut in scholis hausta, sed diuinitus donata, vidit, perspexit, prædicauit; & vtique (vt diu postea D. Gregorius Nazianzenus) dixit: *Quibus verbis vtendũ sit, nescio, cùm solem intueor.*

S. Gregor. Naz. orat. 34.

§. VI.

Amœnitas terræ ab Adamo aspecta, in Paradiso.

Tale nascenti Adamo spectaculum sidera exhibuerunt. Qui neque, cùm nondum rerum supernarum aspectu satiatos in ter-

ram deiecisset oculos, in aliquid triste incurrit. Excepit enim illum rursus alia creaturarum forma, alitérque mirabilis, vt diceret: *Lætentur cæli, & exultet terra.* Nam cognitissimum illi erat, plantarum, aliarúmque rerum, sub Luna, existentium generationem conseruationémque à cæli siderúmque influxu dependere, nec absque eorum lumine, occultisque virtutibus naturaliter produci posse; sciebat tamen, mira Numinis prouidentia factum esse, vt, in productione mundi, cæli luminaria, non ante, sed post plantas primùm cõderentur; sic enim nobis constat, DEVM esse verè primarium, & omnipotentem omnium rerũ authorem & conseruatorem; qui, sine vllo etiam caussarum secundarum adminiculo, solus possit, si ei placeat, omnia ex nihilo educere, neque à naturalibus caussis concursum debeat exigere: cùm manus DEI (vtique potentior, quàm opera manuum DEI) quæ postea per caussas secundas erat factura, priùs iam fecerit sine illis. Quoniã autem opera immediatè à DEO facta, longè solent esse naturæ operibus perfectiora; consequens est, tunc terræ faciem multò fuisse pulchriorem, quàm nunc est, præsertim

Psa. 95. 11. Ferrar. 3. cõtr. gẽt. cap. 84. & Alex. de Angelis. 1. cõtr. Astrol. c. 5. post Plin. li. 2. cap. 39.

tim ibi, vbi, tertio mundi die, hortum pulcherrimis arboribus insignem Vniuersi Machinator condidit, non fodiendo, non terram colendo, non conserendo, sed verbo & sermone solo: *dixit, & facta sunt.* Cuius imperio, omnis generis, inibi, prouenie-bant plantæ suauiter redolentes, vmbriferæ, viresçentes, aut alijs coloribus variegatæ. Tunc enim primùm, suis terra ornamentis est condecorata splendidiùs, quàm puella tenera, primúmque viro desponsa, quę auro & vnionibus veste intertexta fulget. Vt enim, in regum viridarijs, areolæ floribus consitæ, ita in paradiso vbiq; pulchrè omnia nituerunt: & huc quidem ingenui coloris purpurâ inuitabant Adamũ, illuc diffusi odoris illecebrâ trahebant; alibi aspectum simul atque odoratum ambiguo certamine lacessebant. Renidebant venustæ rosæ diuersorum colorum: nimirum aliæ flaueſcentes, aliæ punicantes, aliæ ostro accensæ conspiciebantur, aliæ subalbi coloris. Nec niuea deerant lilia, aut cæruleæ irides, nec anagallides, nec *suaue rubens hyacinthus*, nec narcissi purpura; nec quidquã eorum omnium, quæ vel primo vere proueniunt, vel adultiore æstate

germinant. Flos est (violam vocant) inter aliam Zephyri sobolem, & minorum gentium flores amœnè educatus; pede modico suffultus; qui purpuream capitis cæsariem, inquieta ventilatione, cuiusuis auræ ludibrium officiosè ostentat. Ceterùm ex viridi aluo progeneratus, quatuor à se purpurea ferrugine germina diffundit. Quâ se in patriam demittit scrobem, canescentes fulcro suo infigit radios. Ea vel sola, minimáq; plantula odore est tam liberali, tam suaui, colore tam grato, vt & Floræ nares inuitet, & oculos alliciat ipsarum Gratiarum, Pæstanique ruris gloriam, comiter lacessat.

§. VII.

Adami, in Paradiso, negotium flores.

Hæc, inquam, viola terræ filia, cæli æmula, & huic innumeri pares, enimuerò & maiores molliorésque flosculi vestigijs Adami ambulantis ambitiosè passim sese subijciebant calcandos. Denique

Ouid. 4. Fastor.

Tot fuerant illic, quot habet natura colores,
Pictaq; dißimili flore nitebat humus.
Quam simul aspexit, coniux accedito, *dixit*,
Et mecum plenos collige flore sinus.

Tulit

Tulit enim *Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Cùm suauior vita esse non posset, quàm inter has naturæ suauitates, dulcissima cura fuit Adami, topiariam exercere, atque agere hortulanum. De illo igitur occupando statuit DEVS, quod Poëta canit: Gen. 2. 15:

Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum,
Pallenteis violas, & purpureos hyacinthos,
Liliáque, & Tyrias imitata papauera luces,
Vernantisque rosæ rubicundo sanguine florem
Cæruleũ foliys, viridi quoq; gramine collem
Conseret, & veris depinget prata figuris.
Aut varios nectet flores, sertisque locabit. Manil. lib. 1.

Hoc fuit opus Adami: in horto eum Conditor posuit; quasi diceret: *Cinge tempora floribus Suaueolentis amaraci. Talis in vario solet Diuitis Domini hortulo Stare flos hyacinthus;* Catull. 62.

Mulcet vbi Elysias aura beata rosas,
Et non sentitur sedulitate labor. Propert. l. 4. Ouid. lib. 4. Fastor.

Quid delicatius potuit excogitari? habitatio hominis fuit Paradisus; opus jucunditas; labor voluptas. Inducitur in viridarium

rium, statuitur inter flores; reclinatur in molliſſimo gramine, vt in herbis capiat ſoporem; excitatur ad auroram; inuitatur ad roſaria; vagatur inter meras fragrantias, inſtar apis.

Ouid. 12. metamorph. *Vt modò rore maris, modò ſe violáue, roſáue*
Implicet, interdum, candentia lilia geſtet,

§. VIII.

Arborum, & ſiluularum delitiæ.

Nec ſtiua opus erat, nec ſarculo. *Omnia ſponte ſua tellus inarata ferebat;* fœcunda pariter & ornata. Siquidem, præter huiuſmodi humiliorem telluris gratiam, & quaſi veſtem elegantiſſimam, aderat etiam maiorum copia plantarum; ramíque arborum folijs venuſtiſſimè ſtrepentes, & fructibus gratiſſimè onuſti. Quis ſtirpium fructiferarum ordines? quis ſuccorum & balſami odoratas lachrymas? quis lignorum perpetuò virentium amœnitates, quis cælum æquantes & voluptatis cauſſa conditas arbores, dignè poſſit oculis ſubijcere? Ibi platanus irrigua; ſublimis abies, excelſæ pinus, ſpirantes cupreſſi, vlmíque circa quas hedera ſerpebat nigris prædita folijs, corymbos quatiens; ibi florētes oliuæ, dulceſcen-

cescentes fici, amygdali pingues, quercus vmbrosæ: ibi pulchra cerasus, mellea palma, malus citrea: seu, vt nunc vocant, Medica; & ea, quæ aureis pomis relucet: ibi vitis racemorum mater, & palmitum implexi ordines, inter quos hærebat liuens vua succum nectareum continens, & gemmæ instar, folijs interlucēs, sole in eam partem incidente. Ad hanc formosam arborum plantarúmque mixturam accedebat suauissima inumbratio viarum. Nam vicinarum rami arborum sociati, velut porrectæ manus, mutuò se contingebant, & folia sibi allubentia, amabili sese complexu, excipere videbantur. Vento autem in ramos ac frondes delato, suauissimum quoddā murmur foliorum efficiebatur; cui vitam addiderunt luscinię, & canorę voces aliarum auicularum se alternatim prouocantium, & vincere cantu conantium. Quid verbis exprimere laboro, quod nullis sensibus satis ibi potuit percipi? Omnia in summo erant. In pratis herbæ decorem vernum; in fruticibus coriandrum, cucumeres, pepones; in arboribus rami maturos vndique fructus; in bestijs natura hilaritatem; in rebus omnibus hortus perfectionem habe-

bat. Non extabat quidquam expers gratiæ venustatisque suæ, non quidquam imperfectum.

§. IX.

An, & cur, in Paradiso etiam non fructiferæ arbores fuerint?

Beda in Hexaëm. Etsi enim quasdam arbores nominauimus nō fructiferas, quas aliqui censent, vel in Paradiso non fuisse, vel fructiferas extitisse; haud tamen illis accedimus. Quis enim non verisimilius existimet, tot tamque præclaras arborū species Paradiso non defuisse? quæ etsi fructū non gignant esui humano idoneum; sunt tamen ad multa vtiles, sunt aspicientibus gratæ, sunt ceteris interfertæ oppidò elegantes. Caprificus, vt scribit Plutarchus, nunquam matureſcit; sed tamen vtilis est; gignit enim culices, qui deuolantes ad veram ficum, perfosso fructum cortice, in maturitatem educunt. Xerxes in Lydia, cùm vidisset proceram platanum, diem solidum, ad eandem, exegit, nulla postulante necessitate, & castra posuit, circa illam; quin & curatorem ei reliquit, quasi custodem. Erat & Romanis hæc tam grata arbos, vt eam vino irrigârint. Quis judicet Paradiso indignam!

Ælian. l. 2. c. 14.

nam? quis vlmum, laurum, abietem inde excludat, quas regum delicatissimi, siluulis hortensibus intulerunt? Multóque incredibilius est, has tales arbores tunc fructiferas fuisse; post peccatum autem Adami, fructus ad esum aptos ferre desijsse. Si enim lapsus ille ipsius hominis naturalia bona non extinxit, cur bona arborum plantarúmque abstulisset? aut cur aliarum arborum fructus tam dulces reliquisset? suffecissent peccatoribus malua, squilla, faba, caules, & glandes, asphodelus, & lupinum, si ita DEVS eos punire voluisset. Certè diuina historia affirmat, DEVM produxisse, in Paradiso *omne lignũ pulchrum visu.* At multa sunt ligna visu pulcherrima, quæ fructu carent. Nempe fructus est etiam optimus ipsa pulchritudo. Ezechiel quoq; testatur, in Paradiso, cedros, platanos, & abietes extitisse. Quare cùm dicitur: DEVM produxisse *omne lignum pulchrũ visu, & ad vescendum suaue:* item: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis semen tem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ: itémque, ex omni ligno Paradisi comede;* ea in sensu disiuncto, non

Ezech. 31. 8.

coniun-

coniuncto sunt accipienda, hoc est, non de omni herba & ligno absolutè, sed de omni planta ferente fructus ad edendum opportunos. Constat profectò, aliquot esse plantarum seu lignorum genera, quæ non sunt pulchra visu, & tamen fructus admodum suaues pariunt, vt vitis, cuius lignum ad nihil valet, nisi ad ignem nutriendum. Vt ergo Paradisus palatum oblectaret, arbores habuit pomi alijsq; fructibus onustas; vt oculis afferret plenam voluptatem, plātas exhibuit sola florum, foliorumque venustate blandientes.

§. X.

Arbori vitæ naturalem vim fuisse conseruandi hominis.

Ante omnes tamen arbores vnica erat omnium nobilissima; atq; ea propter, tanquam cor, aut centrum, in medio Paradisi collocata, longè vtiq; & natura, & effectu, ab his mortalibus nostris plantis diuersa. Siquidem illa *arbor vitæ* appellata est, non quòd ab extrinseco, & supernaturali quodam munere Dei (vt nonnulli arbitrati sunt) vim habuerit hominis ab interitu præseruandi; sed id ei, ex vi propriæ naturæ eidem diuinitus inditæ, competebat, vt quicunque

cunque ex ea vescerentur, quasi nectare quodam aut ambrosia Deorum (vt postea ex hac vera historia Poëtæ fabulati sunt) vitam propagarent. Cuius rei argumentū est, quòd etiam Adamū peccato iam mortem commeritum, eiusdem ligni vis & beneficium, à morte præseruare potuisset, nisi DEVS eum, adhibita Angeli custodia, deinceps de ligno vitæ sumere prohibuisset. Si igitur ponimus, hanc arbori huic virtutē fuisse naturalem, perspicuum est, eam arborem, ab omnibus his arborum generib⁹ fuisse diuersissimam, quippe nulla eiuscemodi vi pollet, juxta vulgatum illud:

Contra vim mortis, non est medicamen in hortis.

Laudatissima herbarum est, Homero teste, quam vocari ab dijs putant *moly;* & quam contra summa veneficia valere crediderunt. Sed ea vel fabulosa fuit, vel contra vnum alterúmue veneni genus duntaxat, potuit adhiberi; mortem tamen pellere, ac vitam non potuit æternare; sicut potuit *arbor vitæ;* vt probabiliùs S. Augustinus & Chrysostomus docuerunt; tametsi præclari Doctores, & ipse D. Thomas existimârint, arbori illi vim infuisse, ad longum dunta-

Plin. l. 25. cap. 4.

S. Augustin. li. 13. de ciuit. cap. 20. S. Chrys.

hom. 18. in Genes. S. Thom. 1. p. q. 97. a. 4 Scot. in 2. sent. dist. 19. q. 1. Gen. 3. 22.

duntaxat tempus, nõ autem perpetuò hominem à morte naturali conseruaturam. Sed SS. Patrum sententia diuinis litteris magis consonat, quæ clarè ita loquuntur; immo, in ijs, DEVS: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecítque Adam: & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni.* Quid opus fuisset hac custodia, si ligno illi, post peccatum protoplastæ, vis pristina ampliùs, & quidem perpetuò conseruandæ vitæ non infuisset? quàm apertè dicitur? *ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, &* VIVAT IN AETERNVM. Certè, si virtute naturali fructus huius ligni, potuit refouere calorem naturalem, ac humidum radicale, ea perfectione, quæ in virilis ætatis statu esse solet, restaurare; cõficitur, quotiescunque Adam fructu illo vsus esset, corpus eius semper reflorescere, atque ita eum æternùm sine senio viuere

potuis-

potuisse; vel, si non in peccatum lapsus esset, donec DEO placuisset ipsum ad beatiorem vitam in cælum transferre.

§. XI.

In Adamo, duplex Dei similitudo.

In tali non agro, sed horto, Creator hominem initio posuit, vbi neque labor, neque senium, neque morbus, neque mors, neq; tædium vllum; sed omnia terræ bona sponte & abunde proueniebant; vbi passim oculis simulq; naribus adblandiebantur panace, nepenthes, amaracus, ambrosia, lotus, rosa, viola, hyacinthus, & Elysij campi. Atque in his quidem positi delitijs Adam & Eua nequaquam à fletu sunt auspicati vitam, sed protinus decorissimo mundi aspectu exhilarati suam felicitatem; &, in hac ipsa quoque tam beata habitatione, quādam Numinis imaginem, Numinis, inquam, vndequaq; beati, agnouerunt. Quanquam & alia Numinis imago homini est impressa, quam S. Bernardus etiam atque etiam monet intuendam, dum ait: *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatura, quoniam non solùm insignita es Dei imagine, verùm etiam decorata similitudine.* Et iterum: *Quid maius his tibi facere potuit, quàm ad*

S. Bernard. de interna domo. cap. 67.

ad similitudinem suã conderet factor tuus? Attende igitur diligenter primæ cõditionis tuæ excellentiam, & venerandæ Trinitatis imaginem in te ipsa agnosce. Quin, vt doceat, quid sit ista Numinis & hominis vel imago, vel similitudo, addit: *Considera nobilitatem tuã, quòd, sicut Deus vbique est totus, omnia viuificans, omnia mouens & gubernans: &, sicut Deus, est, viuit, & sapit; ita tu secundùm modum tuum, es, viuis, & sapis: & sicut in Deo tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sic tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem.*

§. XII.

Cur Deus suam homini similitudinem impresserit?

Principes, si rem quampiam vel saluam volunt, vel honoratam, insignia sua illi appendunt, sigillum imprimunt, ne violetur. Ita ex diuina imagine homini à Deo impressa, intelligimus, quantum in eum diuinæ authoritatis, dignitatis, maiestatis voluerit deriuare. Sua eum imagine insignivit, vt ei cælum & terra seruire, vt Angeli ministrare, vt bestiæ obedire non dedignarentur, vt ipsi atri dæmones nocere non auderent; denique similem eum sibi fecit,

vt

vt esset, quem amaret, & à quo amaretur, cùm similitudo sit mater amoris. Igitur sicut DEVS Euam Adæ sociam creauit, quia nullum animal simile illi erat, cum quo societatem, amicitiam, ac familiaritatem inire posset; ita, cùm, inter omnes corporeas creaturas, nulla esset DEO similis, hominem sibi similem fecit, vt eius amicitia ac familiaritate gauderet, & quidem æternùm gauderet, nam & in hoc etiam suam, in homine, agnouit & amauit imaginem, quia fecit eum æternitatis, infinitatis, beatitudinis, & diuinitatis quodammodo capacem. Hinc etsi alias res omnes à se creatas approbârit (*vidit* enim *Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*) de nulla tamen creatura corporea honorificétiùs locutus est, quàm de homine, de quo, per Salomonem, dixit: *Delicia meæ esse cum filijs hominum*; DEVM videlicet viciſſim diligentium. Nam, si DEVS creatam imaginem suam tantopere amat, quantopere erit ab homine ipsum increatum prototypon redamandum? Si, ob diuinam hanc imaginem, ac summæ maiestatis participationem, hominem omnes creaturæ reuerentur; quid par erit honoris ab homine Creatori suo

Gen. 1.

Prou. 8.

exhiberi? Nunquid & ipse homo operam dare debebit, vt dignitatem suam, excellentiæque laudem conseruet, & venerandam Conditoris sui imaginem non contaminet? atque pro pulcherrima Dei similitudine, inducat fœdissimam similitudinem diabolorum? Iterum verbis S. Bernardi hominem alloquor. *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatura, quoniam non solùm insignita es Dei imagine, verùm etiam decorata similitudine;* sigillum hoc tibi appresit, vt te, contra omnium creaturarum insultus muniret; imaginem suam tibi ita radicitus altéq; insculpsit, vt, salua tua substantia, signaculum hoc à te auferri nō possit; quod, in Mineruæ clypeo, æmulari potuit, Phidias, non imitari. Hoc sigillum, hæc imago, istud signaculū te monet, cuius sis Dominatoris. Ex inscriptione, & imagine nummi, Christus hanc sententiam tulit: *Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt:* tu, ô homo, ex Dei imagine in te agnita, *Da Deo, quæ Dei sunt.* Fur es, sacrilegus es, si ei te subducis. Imago animæ tuæ inscripta, dicit tibi, te non esse tui juris, sed esse quid Dei propriū. *Da Deo, quod Dei est.* Creatura vtique est Creatoris; filius Patris, seruus Domini, mi-

S. Bernard. de interna domo. cap. 67.

Matth. 22. 21.

les Ducis. Similitudo te monet, cuius sis. Imaginem DEI geris, vt filius tui Patris, cui amorem debes ac pietatem. Hæc imago, hoc signaculum, honorificum est, vt ita dicam, stigma, quo mancipium suum notauit: honorem igitur Domino tuo præsta; time eum, vt seruus, & omni studio reuerere. Hæc imago signum & tessera est tui Imperatoris, cui fidem, cui obedientiam, cui vitam debes. Ad extremum, sicut vrbium conditores, in medio ciuitatis à se extructæ, imaginem suam, è marmore, vel ære factam solent ponere, vt omnibus eam aspicientibus constet, quis fuerit ædificandæ vrbis author: sic omnipotens ille Vniuersi huius architectus, hominem, hoc est, imaginem suam, in medio mundi à se conditi collocauit, vt eam intuentes intelligerent, quisnam sit tanti operis fabricator, atque vel hinc discerent recto creaturarum vsu, ad principium suum, omnia reducere. Talem ergo DEVS hominem, talem homini terram, talem domum, talem supellectilem dedit. Neq; opus est alio judice, quando DEVS fert judicium. Postquã hæc omnia condidit, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quin neq; Gen. 1. 31.

ipse primus homo quidquam vidit, quod non laudaret, & ad quod, non exclamaret: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* Dominum vocauit, à quo ipse in terris, dominus factus est vniuersorum; nam quamdiu Deo seruiuit, cetera omnia illi quoque seruierunt. Postquam rebellis factus est, quid mirum, si ei etiam alia cœperunt rebellare?

Psal. 8. 1.

CAPVT XIII.

An, & quo pacto, Terra, Plantæ, Bestiæq; ante, & post peccatum Adami, subiectæ, vel mutatæ, hominiq; infestæ factæ sint?

§. I.

Peccato terræ maledictio inducta.

QVærere meritò aliquis possit, cur Propheta rex dicat: *Initio tu Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli?* An non vtrumque *initio* fundauit? cur id non dicit de vtroque? Nimirum cælum ita mansit, sicut fuit *initio* fundatum; terra autem mutauit faciem suam, aut mutasse videri potest; postquam Adam exul à Paradiso eliminatus, terram mutauit. *Initio*, cùm primus homo

Psal. 101. 26.

homo justus adhuc esset, DEVS terram, pro illo, fundauerat omni benedictione plenam. Postquam præuaricatus est, caussam DEO dedit, vt terra non maneret talis, qualis fuerat *initio fundata.* Quamobrem dixit ad eum Dominus: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo, præceperã tibi, ne comederes,* MALEDICTA TERRA, *in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris.* Hinc fundi nostri calamitas. *Hinc initio tu, Domine, terram fundasti:* terram irriguam, *quia fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ;* terram floridam, terram omnis voluptatis feracem; verbo Paradisum: sed, post hoc initium, inobediens homo solum vertit & felicitatem, atq; ex loco voluptatis, fecit *terram miseriæ,* latomiam laboris, ergastulum calamitatis. Illud *initio* tam pulchrum viridarium erat ab omnipotente Creatore ita homini concinnatum, vt quacunque oculos circumferret, meritò exclamaret: *Quàm magnificata sunt*

Gen. 3. 17.

Geñ. 2. 6.

Iob. 10. 22.

Ps. 103. 25.

opera tua, Domine? omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua. Glebæ bonæ *inimicus homo zizania superseminauit. Homo, cùm in honore esset, non intellexit: compa-ratus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hinc illi dictum est: *Et comedes herbam terræ*, sicut & Nabuchodonosori legimus accidisse; quem regijs dapibus assuetum illâ sententiâ percussit: *Fœnum, vt bos comedes.* Hunc relinquunt, peccata effectũ, hoc fructi, pro seruitute, à diabolo mortales ferunt. Deniq; *stipendia peccati mors.*

Matth. 13. 25.
Ps. 43. 13.
Gen. 3. 18.
Dan. 4. 32.
Rom. 6. 23.

§. II.

Paradisi in terram miseriæ mutatio, fabulâ expressa.

Tradit Theopompus, in colloquio, quod inter Midam Phrygem, & Silenum intercessit, à Sileno etiam hoc narratum fuisse; in Meropum finibus locum esse, & *nominari Anostum, (id est, sine reditu, seu vnde non est reditus) similem voragini & hiatui: neque verò tenebris, neq; lumine insignem; sed aërem impendere obscuro quodam rubore permixtum. In eo loco duos fluuios labi, alterum voluptatis, alterum tristitiæ: & ad vtrumq; arbores sitas esse magnitudine platani magnæ. Quæ ad flumen tristitiæ sunt, eiusmodi natura*

Ælian. lib. 3. cap. 18.

ac

ac poteſtatis fructus producere: ſi quis ijs veſcatur, eum tantum eijcere lachrymarum, vt per vniuerſæ vitæ reliquum tempus, fletibus, luctibúſq; diffluat, & ſic vitam finiat. Alteras verò, quæ fluuio voluptatis agnaſcuntur, fructum contrarium ferre: qui enim hunc guſtat, ab omnibus priſtinis cupiditatibus abducitur; paulatimq; fit junior, atq; præcedentem ætatem, & iam tranſactam retrò agit ac reſumit. Hæc Chij fabula hiſtoricam protoplaſti exprimit veritatem, oſtenditque, quàm felici origine nati, in quantam peccato miſeriam dejecti ſimus. Terra hæc, inter cælum & inferos, media, voragini ſimilis eſt, neq; damnatorum tenebris horrida, neq; luce beatorum clara, ſed alternis vicibus, nunc ſole illuſtrata, nunc obſcurata noctibus, mixtum quiddam de vtroq; præ ſe fert. In hac terra, duo fluuij, ſeu gemini vitæ humanæ ſtatus fuêre: in vno extitit *torrens voluptatis*; nec enim tam copioſis aquis fons de terra, in Paradiſo, quàm multis gaudijs læta felicitas, *quaſi juge conuiuium*, in mentem Adami aſcendit. Ad hunc gaudiorum fluuium, accreuit arbor vitæ, cuius fructu guſtato, vigor, juuentus, vita omnis homini refloruiſſet. Sed maluit noſter Prou. 15. 15.

ſter parens ex illa arbore fructum guſtare, quæ meritò dici poteſt, *ad flumen triſtitiæ fuiſſe adſita*. Nam, poſtquam Adamus ad eius pomum dentes admouit, ita fiere illico cœpit, ac ſi non pomum, ſed allium aut cepas momordiſſet. Enimuerò hæc arbor coëgit *eum tantum eiycere lachrymarum, vt per vniuerſæ vitæ reliquum tempus fletibus, lactibúſque diffluaret, & ſic vitam finiret.*

§. III.

Quantum arbor ſcientiæ boni & mali nocuerit homini? & vnde ſic dicta ſit?

Cui igitur attribuenda eſt exilij noſtri cauſſa? Numini, an homini? Innocenti ſapientiſſimus architectus condidit Paradiſum; reo decreuit exilium. *Homo, cùm honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal. 48. 23. De honore dejectus eſt, poſtquam de virtute cecidit; & illico corporis morti addictus, vbi gratiam, quæ eſt animæ vita, extinxit. Fatalis illa arbor, ex communi Theologorum ſententia, idcirco *arbor ſcientiæ boni & mali* eſt nuncupata, quia primi parentes noſtri, per comeſtionem vetiti illius fructus, experimento didicerunt bonum, quo priùs fruebantur, maláq; ſubſecuta, quæ,

ob

ob inobedientiam, illis sunt immissa. Hic enim mos est S. Scripturæ, vt res ab euentu appellet. Nam & locus ille, in quo Abraham puteum foderat, pro quo, Abimelech Domino terræ illius, septem agnos dedit, dictus est *Bersabeæ*, id est, *fons septem*, sclicet agnarũ; seu *fons*, vel *puteus juramenti*, quia ibi vterque juramento pactum firmauit. Et pars illa deserti *Pharan*, dicta est, *sepulchra cõcupiscentiæ*, quia ibidẽ interfecti sepultiq; sunt, qui carnes intemperanter cõcupiuerunt. Alij, quia arborem illam, *scientiæ boni & mali*, sic, ante lapsum hominis, bis appellauit DEVS, censent, eam sic dictam ab eo, quod futurũ præuiderat, qui præuidet omnia; nisi, vt sæpe quoque alibi, id, per anticipationem à Moyse relatum; aut arbor à deceptione nomen accepit, qua serpens vsus dixit: *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum*. Quæ ipsa deceptio satis magna miseria fuit. Siquidem non solùm Adamus eo esu vitam suauem, quam in cælo, beati agitant, non est consecutus; verùm etiam, statim, reipsa, post præuaricationem, ærumnosam illam experimentalem boni & mali scientiam acquisiuit, quam habẽt, quicunque, bono amisso, in mala inciderunt. Ita-

Gen. 21. 30.

Num. 11. 34.

Gen. 2. v. 9. & 17.

que inde calamitosi esse cœperunt homines, vnde, *sicut Dij*, esse voluerunt. Hic, ex vetito fructu, fructus natus est. Ex vno malo, omne nobis malum germinauit. Digni sunt exilio, qui patriam contempserunt. Meritò in agrum, & ad stiuam mittitur, qui in horto Dominum non colit.

§. IV.

Esu mortifero, homo sibi ipse mortis caussa fuit.

Igitur, si mala putatur mors, malum id
Sapi. 1. 13. DEO non est imputandum. *Quoniam Deus mortem non fecit. Impij autem manibus &*
Rom 5. 12. *verbis accersiuerunt illam. Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranssijt, in quo omnes peccauerunt;* ita homini, non hominis Conditori, caussa mortis est ascribenda. Potuisset Adamus & posteri eius, in terra, diu felix viuere, & eo modo, quo exoptat A-
2. Cor. cap. 5. 4. postolus dicens: *Nolumus expoliari, sed superuestiri*, de terrestri ad cælestem Paradisum, sine vllo interitu, aut corporis expoliatione, transire: sed, relicto vitæ ligno, de mortifera arbore comedit. Habet ergo, quod voluit; quia magis ei sapuit culina diaboli,

diaboli, quàm epulum DEI. Itaque arborem vitæ amisit, quando ad illud lignum curiosas manus extendit, quod serpens venenauit. Aiunt, non procul à Malaca arborem nasci, cuius radices cùm multæ sint, in varias dispersæ partes, diuersos effectus sortiuntur. Quæ enim ad orientem spectant, antidotum præbent aduersus venenum quodlibet, febrésque pellunt; aliásque ægritudines: at quæ vergunt ad occasum, ipsissimum venenum propinant. Tales arbores vitæ, & mortis mundi Opifex posuit in Paradiso. Cur homo, Oriente neglecto, vertit se ad Occidentem? Si sudat ad aratrum; habet, quod elegit. Si terram labore subigit; habet, quod elegit. Si vescitur pane duro; habet, quod elegit. Si spinas sentit; habet, quod elegit. Si mortem timet; habet, quod elegit; cur viuere recusauit? Eligit enim pœnam, quisquis cum electione ruit in culpam. Histor. Si. p. 4. & 17.

§. V.

An spina fuerint, ante hominis peccatum?

Itaque iustus DEVS, qui terram in vsus & delicias hominis condiderat; eandem illi reo in pœnam conuertit. *Quia audisti vocem vxoris tuæ*, ait, *& comedisti de ligno, ex* Gen. 3. 17.

quo

quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi. Vbi sensus non est, primùm, post delictum Adæ, *spinas & tribulos*, & lolium, & aconita, & alias plantas venenatas, in pœnam scilicet præuaricatoris, crescere cœpisse, rosasq; ab initio, sine aculeis, enatas. Si enim serpentes, in Paradiso fuerunt, & animalia virulenta, cur nõ & rubi, & spini, & rosæ hamis septæ extitissent? Non mutauit peccatum primi parẽtis, naturales hominum proprietates; cur mutasset proprietates rosarum, aliarúmue plantarum? Et pertinebant vtique omnes herbarum, arborúmq; species ad perfectionem vniuersi. Quo pacto igitur ait summa Veritas: *Spinas & tribulos germinabit tibi* terra? Nimirum, sicut antè, quàm homines ceteráſque animantes conderet Deus, plantas bonas procurauit, vt hominibus ceteríſq; animãtibus paulò post extituris essent in cibum; ita quoque prospiciens hominis delictum, in futuram peccati illius pœnam, rosam cum spinis, tribulósque, & noxias herbas, ac virulentas bestias produxit; quæ omnia homo, si nõ peccasset,

cassetlíquidò dignoscere, &, ob dominij, scientiæ, prudentiæ, diuinæque protectionis plenitudinem, aliásq; caussas, sine vllo incommodo, deuitare potuisset: post lapsum autem hæc illi in pœnam facta sunt, quia incautiùs vitauit, & sæpius permissus est in ea præcipiti cæcitate incurrere.

§. VI.

Ab homine, hominis malum ortum.

Itaque, qui terræ miserias accusatis: *Audite verbum Domini, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli.* Amos. 4. 1.

Nemo nescit culpam esse pœna peiorem: cùm peccatum sit verè & vndequaque, aut, vt loquuntur, absolutè malum; pœna autem secundùm quid duntaxat, & ei, qui eam sustinet; in se autē justitiæ opus; quod alijs est in exemplū virtutis. Igitur iñeritò Deum accusatis, si terrā finit esse spinosam, quam vos ipsi sceleribus repletis, veris, magnis, detestandis malis. *Quæ seminauerit homo,* Gal. 6. 8.

mo. hæc & metet. Hanc messem si Adam voluisset vitare, semẽtem omittere debuisset.

§. VII.

Hominem, etiam post peccatum, plantis bestijsq; esse superiorem.

Quanquam neque herbæ illæ ipsæ, aut bestiæ multis noxiæ, adeò noxiæ sunt, vt vtilitate sua careant. Rectè ille dixit: *Non est fateri, rerũ naturà largiùs mala, an remedia genuerit.* Quippe cùm, vt viperæ morsus viperæ cinere curatur, ita ex ipsis venenis optimę medicinę cõficiantur; & nosci etiã, nũ, ac vitari, ac ipsæ quoq; bestiæ domari, magna ex parte, vel occidi possint, quę possunt nocere. Neque enim initio tantùm, atque ante peccatum, DEVS dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra:* sed etiam post peccatum, imo post diluuium, dixit DEVS Noë, & filijs eius: *terror vester, ac tremor, sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram.* Multa sanè sunt animalia hominibus fortiora, atque ea propter metuenda; nulla tamen prudentiora; qua de

Plin. li. 8. nat. hist. cap. 23.

Gen. 1. 26.

Gen. 9. 2.

causſa

cauſſa omnia hominem timent, cuius ingenio & induſtria vincuntur. Gymnetæ Æthiopiæ populi, teſte Diodoro, regionem incolentes aſperam, ſuper arbores, ferarum timore, dormiunt: ſub auroram, ad aquarum decurſus armati prodeuntes, ſe abſcondunt, inter arborum frondes. Sub æſtū verò ſolis agreſtes boues pardaléſque, ac varia ferarum genera, cùm caloris, tum ſitis cauſſa, ad aquas confluunt: quas aqua iam grauatas ex arboribus deſcendentes occidunt, perq; cœtus diuiſas edunt. Impuberes pueros exercēt ad certum ſignum jacere, ſolis cibos præbentes ijs, qui ſignum tetigêre. Ideò jaculatores optimi euadunt, vrgente fame. Æthiopes iſti timore teſtantur, feras nocere, induſtria oſtendunt vitari vincíque poſſe. Initio quidem beſtiæ hominibus, nocere non potuiſſent; quia quàm diu Adam DEO ſeruiuit, etiam illi beſtiæ perfectiſſimè ſubjectæ ſeruierunt: *idem eſt dicere*, ait Gloſſa interlinearis, *præſit piſcibus maris &c: ac ſi diceret, Dominus ſit omnium inferiorum*: poſtea tamen, ſicut ille DEO, ita illi beſtiæ rebellarunt. Habuit ergo, quod timeret, cùm id peccato meruit. Ratio tamē illi relicta eſt, vt caueret.

Diodor. li. 4. c. 3. de reb. antiq.

Gloſſa interlin.

Gen. 1. 26.

Ex

Ex quo fundamento duplex quæstio soluitur, cur nempe Eua non horruerit, cum serpente colloqui? & quamobrem, etiam post peccatum, homo dicatur Dominus bestiarum?

§. XIII.

Hominis in bestias dominium apparet, ex Eua serpentem non horrente.

Ad primam quæstionem quod attinet; 1. Constat Euam à serpente seductam. 2. Constat, non seductam à naturali serpente; qui quia ratione, & sermocinandi facultate est destitutus, cum Eua naturaliter colloqui, & de imposito præcepto disputare non potuit. 3. Constat, Euam à diabolo propriè ac principaliter deceptam.

Sap. 2. 23. *Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem*, seu quodammodo *immortalem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Et, vt Christus Seruator ait:

Io. 8. 44. *ille erat homicida ab initio*; quia primos homines ad peccatum, & per peccatum ad mortem induxit, mortiq; obnoxios fecit. 4. Constat diabolum, per os serpentis, eo modo, locutum fuisse, quo solet aliàs, per energumenos verba humana formare, ac

loqui

loqui linguis, quas ipsi etiã arreptitij nunquam intellexerunt; aut quo pacto bonus angelus, per asinam, Balaam malè euntem castigauit. His ita se habẽtibus, posset meritò quispiã scripturæ imperitus quærere. Cur serpente omni callidior cacodæmon, illis exuuijs, aut induuijs vsus sit? Ineptè enim laruam formidabilem inducit, qui vult blandiri; neque terrere debet auceps aues, quas vult fallere. Cùm igitur serpentis aspectus sit horribilis, incallidè posset videri feciſſe insidiator ille, quando, in serpente, Euam compellauit. Sed profectò incallidè non fecit, cùm illi cognitissimum esset, ita tunc animal omne hominis esse in potestate, vt nullum Euæ nocere, nullum ei horrorem, aut timorem inijcere posset. Num. 22. 30.

§. IX.

Serpentis cum Eua collocuti forma & pulchritudo.

Sunt qui existiment, serpentem maximè opportunum fuisse ad Euam deliniendam, ac jucũdissimè deuinciendam, cùm astutissimus humani generis hostis vtiq; non deformem aliquem, sed vnũ de venustioribus delegerit, quem Scytalem vocant, de quo

Solin. cap. 29.

Solinus tradit, *quòd tanta præfulgeat tergi varietate, vt notarum gratia, videntes retardet, & quoniam reptando pigrior est, quos assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes. Hodie adhuc in Asia circumferuntur serpentes, in quibus habitat diabolus*, ait diaboli quidá apostolus. *Bonum est, adolescentes hoc scire. Sunt quidam præstigiatores, in Asia, qui circumeunt per totas insulas, & gestant serpentes, quibus saltantibus, putant purgari domos; sic, vt nulli serpentes intrent, aut inficiant eas ædes (audiui ista à bonis & honestis viris, qui viderunt) ita autem agere solent. Gestant serpentes in vase cupreo, vnum atq; alterum: & cùm veniunt in domum, aperiunt vas, & incipiunt ludere tympanis, tũc paulatim assurgit serpens, & aperit rictum oris, ex quo, post incantationem, prodit caput facie virginea pulcherrima. Est imaguncula similis capiti virginis. Tandem iterata incantatione sensim retrahit serpens, & abdit caput in os. Ipse verò serpens fit lãguidus, & quasi exanimatus recidit, quia diabolus cruciat eum. Hæc non sunt fabulosa. Et sic diabolus transformauit se in serpentem, quando decepit Euam & Adam.* Pronâ vtique illecebrâ, si non fabulosa, & cui

Philip. Melanchthon. in explicat. Euãg. die palcatis. cap. 1.

subscribunt quidam pictorum penicilli,

§. X.

§. X.

Cur Deus permiserit Euam tantùm à diabolo, specie serpentis, tentari?

Quanquam & illud, cum D. Augustino dici possit: *Non esse putandum, quòd diabolus serpentem, per quem tentaret, elegerit; sed cùm decipere cuperet, non nisi per illud animal potuisse, per quod posse à Deo permissus est. Nocendi enim cupiditas inest cuiq; à se; sed potestas à solo Deo est.* Quod si quis scire velit, cur DEVS non permiserit dæmoni, in leonis, aut draconis, aut alterius immanioris bestiæ larua hominem aggredi? respondent sacri interpretes, ipsum dæmonem fuisse quauis bestia immaniorem ac fortiorem, quia *non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret;* sed noluisse diuinam prouidentiam, vt homini, in statu innocentiæ, vis inferretur. Vsque adeò eum vndique muniuit, vt, nisi liberè vellet, non posset superari, aut capere detrimentum. Itaque, quem viribus non potuit vincere, fraude cepit Orcus. Ad fraudem autem aptissima erat callidissima bestiarum; ex cuius proinde intuitu solo moneri potuit Eua, vt à fraude sibi caueret. Non cauit misera: digna igitur facta

S. Augustin. li. 11. de Genes. ad lit. cap. 3.

Iob. c. 1.

est, quæ postea formidaret anguem, cui priùs dominabatur. Quam pœnam DEVS
Gen.3.14. ipse expressit, cùm diceret: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Qnæ non dicuntur, quasi, ante peccatum, serpens virus nó habuisset homini inimicum, cui id naturale erat; sicut & super pectus reptare, & terram comedere: sed quia hæc ante maledictionem, non faciebant serpentem homini abominabilem. Siquidem, ex speciali DEI prouidentia, in statu innocentiæ, virulenta homini nocere non potuerunt. Quod cùm sciret Eua, serpentem non est auersata, sed cum eo familiariter conuersata. Post inobedientiam, &, quæ ex ea profluxit, maledictionem, cœpit serpens posse hominem veneno inficere; eáque de caussa cœpit ei esse execrabilis, de malignitate & pernicie; contemptibilis de vilitate, vt, qui humi reptaret, & terra vesceretur: quæ vi illius maledictionis, apud homines, probro esse cœperunt; priùs ei, ex natura, sine nota, conueniebant.

§. XI.

§. XI.

Ius homini in bestias & dominium, post peccatum, ita quidem mansisse, vt tamen non manserit eadem securitas.

Hæc cùm ita sint, fuerintque, ante Adami lapsum, rectè tamen, etiam post eius peccatum, homo, quantumuis nonnullas bestias metuens, & exosas habens, dicitur esse dominus bestiarum. Neque dum enim jus, & amplissimam in eas potestatem amisit, tametsi amiserit securitatem. Ius enim hoc illi, ob naturę rationalis excellentiam, & imaginem DEI, est naturaliter datum. Quia igitur peccatum naturam non destruit, consequens est, hominem bona naturalia, ob peccatum, non amisisse. Atque hæc potestas denuo homini à DEO fuit confirmata illis verbis: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ &c. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt; & omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Gen. 9. 2. Hinc licitum est, venari, aucupari, piscari, capere, occidere animantes, carnibus earum in cibum, pellibus in amictum, dentibus & cornibus in instrumentũ vti. Queri justè non possemus, si omni hoc do-

minio, per peccatum, excidissemus. Nunc adeò dominium istud nobis est relictum, vt
Iac. 3. 7. S. Iacobus dicat: *Omnis natura bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Quod antè, quàm ostendamus, verissimũ esse, fatendum est, discrimen inter perfectum illud dominium, quo gaudebat in statu innocentiæ Adamus; & quod, post admissum à primo parente delictum, in hominibus remansit, quo ad vsum, valde imminutum ac limitatum. Siquidem Adam, in priore illo statu, non solùm circumspectiùs cauere potuit, intellectu nondum obscurato, & peculiari protectione diuina munitus; sed etiam ex parte animalium longè pleniorem habuit potestatis vsum atque executionem, & obedientiam: vel quia, vt nonnulli arbitrantur, Angelico ministerio prouisum fuit, vt bruta animalia, suapte natura, imperio voluntatique humanæ, ad amussim, obtemperarent: vel quoniam tunc homo multò exactiùs nouerat proprietates, naturalésque animalium inclinationes; quas qui nouit, faciliùs vtique domat, subijcit, flectítque, & sibi obsequentia reddit; vt experientia vel hodie

hodie demonstrat. Sunt enim variæ artes industriæque, quibus animantes cicurantur; quarum qui plures callet, plures bestias mãsuefacit. Hos animalium effectus, atque inclinationes, haud ita posteri Adæ, perspectas habent, vt ipse: neque nunc Angeli bestias, vt priùs, solent ad nutum facere obsequétes. Vt hoc fieret, homo caussam dedit, & exemplum. Si voluisset sibi parere bestias, DEO debuisset ipse obedire. Rebellionem sibi peperit rebellando. Hoc *judicium Domino, cum habitatoribus terræ.* Amos. 4. 8. Præuaricati sunt. *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli.*

CAPVT XIV.

Quantum homini, etiam post peccatum Adami, in omnis generis bestias, dominium, quantaq; potestas relicta sit?

§. I.

Sanctis quibusdam contra serpentes, dracones, & leones potestas diuinitus data.

VT autem non lateret nos, quid peccato amissum sit, aut quàm clementem judicem habeamus,

dominij illius, primæque potestatis haud obscura quædam nobis relicta sunt vestigia. Neque enim dominium illud est extinctum, sed acciſum. Quod penitus adimere potuit, diuina bonitas limitauit duntaxat,

Psal. 76. 10. Hoc est, quod dicitur: *Nunquid continebit, in ira sua, misericordias suas?* Immo in quibusdam Sanctis, subinde velut in solidum ostendit dominium reductum. Quis nescit, à Moyse, serpentem, sine noxa apprehensum? Nam etsi, virgâ in colubrum versâ, fugit; mox tamen, vbi dixit Dominus;

Exod. 4 4. *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius: extendit, & tenuit.* Paulus quoque,

Act. 28. 3. *cùm congregasset sarmentorum aliquantam multitudinẽ, & imposuisset super ignem, vipera à calore cùm processisset, invasit manum eius. Vt verò viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad invicem dicebant*, eum moriturum. *At ille excutiens bestiam in ignem nihil mali passus est. Diu autem illis expectantibus, & videntibus, nihil mali in eo fieri, conuertentes se, dicebant, eum Deum esse.* Tanti faciebant, à vipera non lædi hominem, qui à vipera morderetur. Hoc nempe est, quod

Luc. 10. 19. dixit Seruator: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super*

omnem

omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Sicut nihil nocuit Ioanni Apostolo, poculum à veneficis infectum bibisse. Sicut Philippus Apostolus draconi imperauit, vtinnocuus abiret in latebras, nemini iniurius. Sicut S. Narcissus,& S. Magnus draconibus & serpentibus necem, vel fugam mandauerunt. Sicut Didymus Abbas & anachoreta colubros & serpentes pedibus innocuè conculcauit. Iuxta illud: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Sicut Hypatius; nō iam aurei velleris, sed auri custodem draconem, tanquam Christianus Iason, grādi prodigio interemit. Quippe, Constantio, Constantini filio, regnante, immanis quidam draco thesauro Imperatoris ita incubuit, vti nemo auderet illuc aspirare. Quod si quis audētior accederet, illico vita multabatur. Imperator ergo inops consilij, fama ad se, de viro S. Hypatio Gangrensi Episcopo perlata, mittit, qui illum eant accersitum. Vbi venit, gazophylacium solus accedit, januam referat: scipione, quem gestabat, crucē præferente, draconem icit, trahensque, velut cetum, virga captum extraxit, ingentiq; rogo, in foro, illius jussu,

Ps. 90. 13.

Matth. Rader. in Viridar. SS.

excitato, peremptum baculo, cõcremauit. Imperator perculsus admiratione, ne quid imposterum eiusmodi accideret, sanctam illius viri imaginem, ad ingressum ærarij jussit figi. Ambiguum esse potest, num Deus tunc ostendere voluerit, quales soleant esse thesaurorum custodes. Illud dubio caret, vim, meritumque Sanctorum, eo facto, demonstrauisse. Quibus similia plura Sanctis diuina virtute concessa leguntur, & nos alibi quædam retulimus, quæ demonstrant, quàm securè innocens Adam versari potuerit, & versatus sit, inter venenata; itemque cælestem manum ab homine iam peccatore non omnino subductam esse; sed sæpe etiam velut in integrum reductam, & ad Paradisi exemplum concessam. Samsonem quis nescit Hebræorum Herculem? *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens, nihil omninò habens in manu.* De se, *dixit Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam,*

De serpente. lib. de spe. c. 14. n. 2. 3. & 6. De leone & lupo ibid. n. 5. & 6.

Iud. 16. 6.

1. Reg. 17. 34.

bam, interficiebamq; eos. Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus. Quæ non dicebat jactabundus, sed vt DEI vires in se ostenderet.

§. II.

In leones, lupos, vrsos, onagros, & crocodilos vis à Deo, non ab astris, concessa.

Qua de caussa etiam Daniel, in medio leonum, quasi inter fidissimos satellites, tutus assedit; hinc innocentia, inde Angelo eum protegẽte. Idcircò ait: *Deus meus misit angelum suum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inuenta est in me: sed & coram te, rex, delictũ non feci.* Leonem pro imperio, de via decedere jussit Abbas Sergius, vt pecora tuto itinere irent. Zosimo quoq; Abbati paruit agrestis Leo. Alius jussus capere leonem, obedientiâ adjutrice, cepit, atque velut agnum ad Abbatem adduxit. Simonides monachus viatoribus leones, in viæ monstratores attribuit. De admirando, per D. Frãciscum, cicurato lupo, itidem alibi docui. Certè, mandato Eustorgij Mediolanensis Episcopi, lupus jugo se submisit, & currum traxit, cuius duo jumenta violentus raptor deuorârat. Quo pacto etiam S. Corbi-

Dan. 6. 22.

In prat. Spir. cap. 125. Theodor. in hist. Relig. cap. 6. Loc. cit.

Corbiniani Episcopi Frisingensis Romam euntis, cùm vrsus asinum laceraſſet, deuorati loco, ipse sarcinam vectauit, imperante sancto Præsule, ex prędone pręda factus, & patiens capistri. Helenus Abbas fatigatus sarcina, quam ferebat, onagrum jussit accedere, & dorsum oneri submittere. Paruit fera: & quàm longè sancto placuit, onus ipsum peruexit. Idem à reperto crocodilo flumen transuectus est, cùm neque pons adesset, nec portitor appareret. Hanc vim sanctitas atque innocentia meretur, & confert astrorum Conditor, non astra, vt voluit Manilius, qui mansuetarijs, persiderum impressionem dari putat, *Exorare tigres, rabiemq; auferre leoni.* Nam de eo, qui sub leone, & scorpio nascitur, ait:

Manil. li. 4 Idem lib. 5.

Ille manu vastos poterit frenare leones,
Et palpare lupos, pantheris ludere captis.

§. III.

Mira vis in volucres Sanctis diuinitus concessa.

Neq; serpentia duntaxat, aut quadrupedes Sanctis paruerunt, verùm etiam pennatæ volucres. Quis enim nescit Eliam Thesbitem, Paulum & Antonium eremicolas à coruo; Cuthbertum ab aquila pa-

ron. in vit. Pauli. 3. Reg. 17.

stos?

stos? Iosephum Anchietam ab eadem Iouis armigera superuolitante, contra solis æstum, velut à clypeo tectum? Seuerus Abbas passerem habuit manibus eius intrepidè aduolantem, & porrectum capientem cibum. Quod minùs mirum est. Ad Maxentium Abbatem Pictauiensem, siluestres aues, relicto nemore, solebant ventitare, & absq; vllo metu è manu eius tritici grana, & frustula panis, miculáisque surripere. Quid de illa auicula dicam, quæ raptum dulcedine cantus monachum, multis annis, sine cibo potuque, detinens, in silua, docuit, quanta esset voluptas cælestium gaudiorum? quorum imago fuit siluestris musica, ita aures suauiter permulcens, vt etiam ventrem satiaret.

Bed. in vit. Cuth. 4. S. Hie

§. IV.

Potestas Diuorum in aquatilia.

Aëris incolas, imitatæ sunt squamigeræ pecudes, incolæ aquarum, pisces, Diuis ad nutum obsecuti. Balæna Britannica insulæ instar extensa, & ad formam firmę terræ, vligine, immo gramine, secundùm dorsi eminentis marginem obsita, exscendente S. Maclouio, è naui, & sacrificante, ad Numinis maiestatem cepit contremiscere, ac

loco

loco moueri. Qua re animaduersa, Maclouius belluæ imperauit, vt staret, donec sacra peragerentur, ac sicci vectores in nauim redijssent. Stetit, & jussa fecit, ad verecundiam grandium dominorum, qui vel in templis sæpe quieti stare nequeunt, donec res diuina ad finem perducatur. De cancris quoq; mira recensentur, inter quos vnus S. Francisco Xauerio crucem in mare prolapsam, ad littus, extulit, restituitque, S. Vdalrico Augustano Episcopo, ipsæ ranæ obsecundârunt. Nam cùm prætereunti coaxando obstreperent, molestæque essent, jussæ tacere, loquax alioquin animal, tacuerunt. Ex Euangelio notum est, de

Matth. 7. 27. piscе staterem ore Petro ferente, deque multitudine piscium, ad Christi voluntatem, in retia intrante. *Tobias exiuit, vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. Quem expauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius,* qui eum venerat deuoraturus. Sed vtique id, ope Angeli, factum

Io. 21. 6. Tob. 6. 2.

est protegentis; quemadmodum, Prophe-

ticus

ticus ille Arion, Ionas viuus, in ventre piſcis, tribus diebus, & tribus noctibus ſepultus, non modò è dentibus & faucibus, ſed etiam è viſceribus ceti euaſit; quando *dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam.* Nunquid hæc ſunt manifeſta diuinæ protectionis argumenta? Nunquid, etiam de homine, poſt Adami lapſum, ad Deum dici poteſt; *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*? Sed vno opere, ac velut in compendio, luculentiſſimè demonſtrauit DEVS, quantam, etiam qui in Adamo peccauerant, poſteri eius, cælo jubente, obtineant in omne genus animalium poteſtatem, quando *de animantibus mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram, duo & duo ingreſſa ſunt ad Noë in arcam, maſculus & femina, ſicut præceperat Dominus Noë.* Quis maiorem vnquam in brutis, tam multis, tã diuerſis, tam immanibus & efferatis, vidit, legit, audiuit obedientiam? Quantæ molis eſt ſæpe, vnum lupum compeſcere? quanti laboris vnum aprum coërcere? Tum Noë, velut in vnum ſtabulum, apros, lupos, leones,

Ion. 2. 11.

Pſal. 8. 8.

Gen. 7. 8.

nes, tigrides, vrsos & elephantos; & quidquid est, inter animalia, vel dente, vel vngue, vel cornu, vel vngula metuendum, nullo resistente, concluſit.

§. V.

Hominis alioquin inermis & nudi, in animalia, etiam naturalis potestas.

Sed hæc omnia peculiari DEI virtute, & prodigiosè contigerunt, supráque vim hominis naturalem. D. Iacobus plus affirmans ait: *Omnis natura bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana. A natura humana,* non diabolica, inquit. qua voce excipitet miracula; excludit incantationes magicas, quibus virulenti innoxiè contrectantur serpentes; & quæ, sine graui crimine, non adhibentur, vt Scriptura indicat, & D. Augustinus, qui vim venefici incantantis, non serpentis intelligentiæ, sed malo dæmoni ascribit, cui diuino consilio permissum sit, vt, ad humanam vocem, moueat serpentes, cogatque è cauernis prorepere. *Nam, quod vulgò putantur,* ait: *serpentes audire, & intelligere verba incantantium, vt, eis incantantibus, prosiliant plerumq; de latebris, etiam illic diabolica vis operatur. Diuino autem consilio*

Iacob. 3 7.

Deut. 18. 11.

S. Augustin. li. 11. de Genes. ad lit. c. 27. & in Psal. 57.

item que Delrio li. 2. disq. 9. 13.

consilio fit, vt hoc magis habeat vsu, serpentes moueri carminibus potiùs, quàm aliud vllum animal. Quare à vero aberrat Plinius, cùm ait: *Non pauci credunt, serpentes ipsas incantari, & hunc vnum illis esse intellectum, contrahiq; Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete.* Qua arte Orcina, vt ait Attalus, apud eundem Plinium, scorpione viso, si quis dicat (*duo*) cohibentur eæ bestiæ, nec vibrant ictus. De hac arte, tanquam illicita, non loquitur Apostolus. Fieri enim non posse censetur, quòd licitè fieri non potest. Vult igitur, virtute etiam naturæ, cuncta animantium genera subijci ac vinci posse. Quæ virtus ac potestas, non in corporis robusti viribus, sed in animi industria, & ingenij licitis artibus potissimùm sita est. Si enim corpus consideres, homo nudus & inermis nascitur: cetera animalia, varijs tegumentis, loricis, clypeis, testis, radijs, corijs, dyptichis muniuntur: varijs venenis, aculeis, rostris, fulmineis dentibus, ramosis cornibus, ferratis pedibus, velut telis ad offensam datis armantur. Neque sanè homo lyncem visu, vulturem olfactu, tactu araneam, auditu anserem, gustu apem; leonem robore, leporem celeri-

Plin. l. 28, cap. 2.

tate, piscem mobilitate adæquat; quem etsi natando imitetur, nequit tamen auem sequi volando, nisi se in somno Dædalum esse fingat, in quo ipso, non rarò Icarum agēs de ruina exclamabit. Hęc etsi ita sint, tamen *omnis natura bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana*, non corporis, sed rationis, sed consilij, sed prudentiæ, sed artis, & experientiæ, quibus rebus homo omnibus ceteris animalibus antecellit, & superior existit, vti & manuum vsu ac adjumento, vt obseruauit medicorū princeps Galenus, & peculiare caput de captura leonum in Belisarij Ducis Neritinorum libro docet. Manibus enim laqueos torquet, retia texit, hamos acuit, & omnis generis arma instrumentaq; fabricat; quibus fræna equos, assequitur ceruos, fallit vulpinam astutiam, ligat leones, cācellat vrsos, dearmat apros, illecebris delinit elephantos; effumigat serpentes, disrumpit ventres draconum, & in eorum cerebris gemmas quærit: nihil est tam profundum in mari; nihil tam excelsum in aëre; nihil tam abditum in siluis, nihil in montibus tam absconditum, quo hominis in animantes dominium

Galen. lib. 9. de vsu partium. ca. 2.

minium non penetret. Non fugiunt illum minutiſſimi, in aquis, piſces; non ſuperant grandia phocarum corpora; ex imis & ſummis vndis prædam educit; aues ex ipſo cælo vel detrahit pelliciendo; vel jaculandis ſagittis deijcit. Denique nuſquam eſt vllum animal, in quod ratione præditum animal nō exerat poteſtatem. Quod multis, in *omni natura beſtiarum, volucrum, & ſerpentum, & ceterorum*, exemplis poteſt illuſtrari: quæ quia omnia nimis ſunt numeroſa, nonnulla delibabo tantùm; nec iā ſciuros afferam, aut ſimios, aut Iſſas & catellos, ſed maiorum gentium feras animantes.

§. VI.

Dominium hominis in elephantes.

De elephantis, quanta narrantur? quos *ſucco hordei*, educatione, beneficijs, quin & verborum blanditijs aiunt manſuefieri; immo & fame. *Inde ex captis elephantis*, teſte Strabone, *eos, quos nec juuentus, nec ſenectus inutiles facit, in ſtabula ducunt, & pedibus inuicem vinctis, & collo, ad columnam bene compactam, fame domant. Deinde herba, vel arundine viridi reficiunt. Dehinc obtemperare docent; alij oratione, alij cantu aliquo, vel* Plin. li. 8. nat. hiſt. c. 7. Strabo. li. 15.

tympani sonitu deliniunt. Rari sunt, qui non facilè mansuescant: Quidam aurigas suos, qui in certamine ceciderint, ex prælio eximunt. Quidam anterioribus pedibus vtero suo subjectos seruauerunt. Quod si quem ex curatoribus, per iram, interfecerint, adeò illum desiderant, vt, præmœrore, à cibo abstineant: interdum etiam ad mortem obdurent. Eò, corpore & animo excelsum animal potest ab homine deijci, vt Porus, quem Alexander debellauit, habuerit elephantum, qui, rectore jubente, procumberet in genua vt se submitteret: vt Curtius scribit. *Namquod ad docilitatem attinet*, ait Plinius, *regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt, Indis arant minores, quos appellant nothos.* Minores etiam bellant. Nos, nostra ætate, vidimus, qui omninò humi se prostratum, sineret calcari. Ad prælia turritos educi, apud antiquos, vsitatissimum fuit. *Domitii enim militant, & turres armatorum in hostes ferunt, magnaq; ex parte orientis bella conficiunt. Prosternunt acies, proterunt armatos.* Sic Antiochus *intrauit in Aegyptum, in multitudine graui, in curribus & elephantis.* Sic ad successorem eius *venerunt exercitu conductitij. Et erat numerus exercitus eius, centum*

Plin. nat hist. lib. 8. cap. 1.

Idé. ibid. cap. 9.

1 Mach. 1. 18.

1. Mach. 6. 30.

tum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo, docti ad prælium. Sic Romani contriuerunt *Antiochum magnum regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantos. Sic Nicanorem præpositum elephantorum ducem,* eadem Scriptura appellat. *Antipater author est, duos Antiocho regi, in bellicis vsibus celebres etiam cognominibus fuisse, etenim nouêre ea. Certè Cato, cùm Imperatorum nomina annalibus describeret, eum, qui fortissimè præliatus esset, in Punica acie, Surum tradidit vocatum, altero dente mutilato. Antiocho vadum fluminis experienti renuit Aiax, alioqui dux agminis semper. Tum pronunciatum, eius fore principatum, qui transisset: ausumq; Patroclum. ob id phaleris argenteis, quo maximè gaudent, & reliquo omni primatu donauit. Ille, qui notabatur, inedia mortem ignominiæ prætulit. Nigro bellua nil negat magistro,* ait ille, hoc est, omnia discit, & publicè exhibet. *Saltationes discit,* ait Plutarchus, *& choreas, & adorationes.* Item: *In spectaculis, ostendit elephas gestuum figuras & varietates, quarum copiam & concinnitatem difficile sit humana vlli industria exprimere, & memoria complecti.* Et Seneca, *Elephantum,* ait: *mi-*

1. Mach. 8. 6.

2. Mach. 14. 12.

Plin. li. 1. cit. cap. 5.

Plutarch. li. de fortun.

Senec. ep. 86.

nimus Æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem. Et Ælianus: Elephas nouit, vbi didicerit choreas, & saltationes ad numerum obire, & audire tibijs canentes, & intelligere sonorum dissrimina, & tarditates, aut celeritates imperatas exequitur, & exactus est, & non fallitur. Huc grandes illæ bestiæ erudiuntur. Neque adorare, orare, bellare, vado transitum quærere duntaxat, discunt; sed *intellectus* illis etiam est *sermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorúmque, quæ didicêre memoria.* Quin & *juncti subiêre currum Pompei Magni Africano triumpho. Germanici Cæsaris munere gladiatorio, quosdam inconditos motus edidêre, saltantium modo. Vulgare erat, per auras, arma jacere, non auferentibus ventis, atque inter se gladiatorios congressus edere, aut lasciuientes pyrrhichie colludere. Postea & per funes incessere, Lecticis etiam ferentes quaterni singulas puerperas imitantes: plerisq; hominũ triclinijs accubituiêre per lectos, ita libratis vestigijs, ne quis potantium attingeretur. Mirum maximè, & aduersis quidem funibus subire, sed regredi magis vtiq; pronis. Mutianus ter consul author est, aliquem ex his & litterarum ductus Græcarum didicisse, solitumq; perscribere*

Ælian. li. 2. de animal. c. 11. Plin. lb. c. 1. 2. & 3.

bere eius linguæ verbis: IPSE EGO HÆC SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Ad tantam tantum animal obedientiam adigit homo: vt proinde capiendi ratio ſit minùs admiranda. Quæ varia eſt. *Capiuntur autẽ in India, vnum ex domitis agente rectore: qui deprehenſum ſolitarium, abactúmue à grege, verberat ferum: quo fatigato, tranſcendit in eum, nec ſecus ac priorem regit. Africa foueis capit, in quas deerrante aliquo protinus ceteri congerunt ramos, moles deuoluunt, aggeres conſtruunt, omniq; vi conantur extrahere. Troglodytæ contermini Æthiopiæ, qui hoc ſolo venatu aluntur, arbores propinquas itineri eorũ conſcendunt. Inde totius agminis nouiſſimum ſpeculati, extremas in clunes deſiliunt. Læua apprehenditur cauda, pedes ſtipantur in ſiniſtro femine. Ita pendens alterum poplitem dextra cædit: ac præacuta bipenni hoc crure tardato profugiens, alterius poplitis neruos ferit, cuncta præceleri pernicitate peragens. Alij tutiore genere, ſed magis fallaci intentos ingentes arcus defigunt humi longiùs. Hos præcipui viribus iuuenes continent, alij connixi pari conatu tendunt, ac prætereuntibus ſagittarum venabula infigunt, mox ſanguinis veſtigijs ſequuntur.* Hæc de elephantorum obedientia & ſubjectione ſufficiunt. §. VII.

Plin. ib. cap. 8.

§. VII.

Cervorum docilitas.

Quod si animalium maximum elephas proximúmque humanis sensibus, humana industria capi, regi, doceríq; potest, quid de alijs victis aut vincendis dubitemus?

Ælian. l. 2. c. 25. Aiunt Catulum cerui dono datum Ptolomæo Philadelpho, qui linguâ Græcâ nutritus sit, & loquentes intellexerit; in ruborem nobilium quorundam pusionum, qui, vt pigritiæ suæ litent, stupiditatem profiteri non verentur, dum se aiunt, ingenio carere, ad Græcas litteras addiscendas. Tyrrhæo pecoris magistro ceruus fuit manſuefactus, quem

Virgil. 7. Æneid.

Soror omni Syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatq; ferum, puroq; in fonte lauabat.
Ille manum patiens, mensæq; assuetus herili,
Errabat syluis, rursúsque ad limina nota
Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.

Ouid. lib. 10. Metā. Et alius Poëta: *Namq; sacer Nymphis Carthea tenentibus arua*
Ingens ceruus erat, lateq; patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus vmbras:
Cornua fulgebant auro, demissaq; in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.

Bulla

Bulla ſuper frontem paruis argentea loris
Vincta mouebatur, pariliq; ætate nitebant
Auribus è geminis, circum cana tempora
baccæ.
Iſq; metu vacuus, naturaliq; pauore
Depoſito celebrare domos, mulcendaq; colla
Quamlibet ignotis manibus præbere ſolebat.
Sed tamẽ ante alios Cæa pulcherrime gẽtis
Gratus erat Cypariſſe tibi, tu pabula ceruũ
Ad noua, tu liquidi ducebas fontis ad
vndas;
Tu modò texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo reſidens huc latus &
illuc
Mollia purpureis frœnabas ora capiſtris.

Ac, ne quis Poëticâ hæc fide ſcribi exiſtimet, teſtatur Plutarchus, Sertorium, inſignem illum Romanũ, contra Romanos, Hiſpanorum ducem, ceruam aluiſſe, quam, in expeditionibus ſuis, ſemper comitem habebat, fingens Dianæ eſſe numen, à quo res gerendas auſpicaretur. Neque opus eſt, hanc rem planam facere teſtibus, quam experientia fere quotidiana oculis ſubijcit. Vidi ipſe eiuſmodi feras, cum pecore manè exeuntes, & veſperè redeuntes. Vidi quæ duos, tres, pluréſue dies in ſiluis abnocta-

rent, & ad arcem tamen reuisere suam nõ obliuiscerentur. Vidi, Salisburgi, annosum & cornua alta ferentem ceruum, qui & frœnum, & sessorem, & quod mirum magis, bombardæ à sessore intra cornua illius collocatę explosionẽ patefieret; equitémque ad vnum fere milliare principes curru celerrimo vectos comitantem portaret, quouis equo agiliorem. Quod si quis vult etiam fidelitatem cerui, Mithridates Ponticus, cùm somnum caperet, sui corporis custodiam non modò armis & satellitibus excubitoribus committebat: sed magis etiã tauro, & equo, & ceruo, quos mansuefactos habebat. Ii enim ad custodiam eius dormientis aduigilantes, si quis accederet, illius, sensum ex ipsa respiratione, quem mox percipiebant, atque ille ex mugitu, alter hinnitu, alius sua propria voce eum à somno excitabat.

Ælian. li. 7. c. 56.

§. VIII.

Luporum, vrsorum, tigridum, leonúmque mira cicuratio.

Credibiliora hæc fiunt ijs, quæ de lupis, vrsis, leonibus, ipsa tigride narrantur. Iacobus Christophorus Blarer, Episcopus Basileensis, Collegij nostri Bruntrutani Fundator,

tor, Princeps æterna memoria dignus, lupũ habuit, non ſolùm domi, atque in arce, inter canes familiariter & amicè verſantẽ, ſed etiam cum ijſdem canibus in ſiluas prodeuntẽ, nec ſegniùs, quàm canes, ceterorũ luporum venationi inſtantem: adeò conſtãtior, in amicitiâ, fuit cũ illis, quibus fœdere & educatione, quàm quib⁹ ſanguine & origine junctus erat. Sindrigal, poſt Vitoldum, Lituaniæ Princeps, vrsã habuit, quæ, quoties manè dies fiebat, relicto nemore, domum eius accedens, fores pedibus percutiebat, apertoque oſtio porrectum capiebat cibum. De Pythagorę formidoloſa, ſed innoxia vrſa nihil dicam, quando illa magicis artibus coërcita putatur. Longa eſt narratio, de Vrſa, quam, catulorum periculo, furentem venator, per montes ac ſcopulos, cum formidine ſpectantium, in Sabaudia equitaſſe, recẽſetur à Richeomo. Auguſtus *tigrim Romæ oſtẽdit, in cauea, manſuefactam: diuus verò Claudius ſimul quatuor. Primus leonem manu tractare auſus, & oſtendere manſuefactum Hanno è clariſſimis Pœnorum traditur: damnatúſque illo argumento, quoniam nihil non perſuaſurus vir tam artificis ingenij videbatur, & malè credi libertas ei, cui*

Ludouic. Richeõ. de Valedict animæ. c. 12. Plin. li. 8. nat. hiſt. c. 17. & 16.

Plutarch. in Politic. Cælius li. 3. c. 19.

ei, cui in tantum ceßisset etiam feritas. Plutarchus scribit, Añonem coactum vertere solum, exilij causſa, quòd, in expeditionibus leonem haberet sarcinas ferentem, veluti esset id argumento, eum ad tyrannidé aspirare. Dion& Xiphilinus memorãt Antoninum Caracallam, Rom. Imp. habuisse leonem, quem Acinacem nominabat, alebatque inter complures alios. Hunc non tãtùm publicè deosculabatur, sed ad mensam etiam, lectumque admittebat. Constat etiam eundem Antoninum à leone admonitũ esse, ne domo egrederetur, cùm exeuntem dentibus teneret. Cui cùm non obtemperasset, interfectum esse. De Androdi Daci leone beneficij memore, & vsq; ad prodigium loro tenui reuincto, & vrbe tota circum tabernas circumducto floridè scribit Gellius. Similem refert de Elpide Samio historiæ naturalis scriptor; & de Philini patre; sed huic panthera, illi leo mutis precibus est blanditus. Et, in Prato Spirituali, leo, ob spinam à B. Gerasimo Abbate è pede euulsam, recedere noluit, ipsoque mortuo, magno rugitu edito, & ipse sepulchro eius incumbens expirauit. Stupendum leonis grati exemplum refert,

Gellius li. 5. c. 14. Noct. Attic. Plin. l. 8. in fine ca. 16 & 17. Prat. Spir. c. a. 107. Matth. Paris. in hist. Anglic. pag. 241.

in

in hiſtoria Anglicana, Matthæus Paris; quod alio loco aptiùs dabimus. Sed quid aliunde accerſimus exempla, quæ domi noſtræ ſuppeditantur? Quis enim, me adoleſcente, non audiuit ab ijs, qui viderunt, Monachij, Bauariæ Ducem Albertum V. Germanię illum nominatiſſimum heroëm Sereniſſimi Electoris Maximiliani auum, itidem ad menſam admiſiſſe jubatiſſimum leonem; quem etiam Auguſtæ, in Comitijs Imperij, canis inſtar, habuit ſequẽtem, & inter publicos conſeſſus Principi ſuo, ad pedes, accumbentem, patientemque, vt ſibi ſcabelli loco, veſtigia Princeps imponeret? cùm interea ipſe omnibus impoſuit metum. Ne longum faciam, *hoc tale tam ſæuum animal, rotarum orbes circumactis, curruſq; inanes, & gallinaceorum criſtæ cantuſq; etiam magis terrent; ſed maximè ignes. Capere eos, ardui erat quondam operis, foueisq; maximè. Principatu Claudij caſus rationem docuit, pudendam penè talis ferę nomine. Paſtoris Getuli ſago, contra ingruentis impetum, obiecto*: (cùm enim præcipua leonum vis vigórque in oculis eorum ſit, fit vt lumine hebetato, aut velato ferocitas omnis decidat) *quod ſpectaculũ in arenam protinus trãſlatum*

Plin. l. 8. hiſt. nat. cap. 16.

latum est, vix credibili modo torpescente tanta feritate, quamuis leui iniectu operto capite; ita vt deuinciatur non repugnans. Videlicet omnis vis constat in oculis. Quo minùs mirum sit, a Lysimacho, Alexandri jussu, simul incluso, strangulatum leonem. Imago subdidit eos, primusq; Romæ ad currum junxit M. Antonius, & quidem ciuili bello, cùm dimicatum esset in Pharsalicis campis. non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus jugum subire illo prodigio significauit: nam quòd ita vectus est cū mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit. Deniq; nonne satis clarè dominium in feras ostendit domina vrbiū Roma, in qua leonum simul plurium pugnā, princeps dedit Q. Scæuola P. filius in curuli ædilitate? Centum autem jubatorum primus omniū L. Sylla, qui postea dictator fuit, in prætura. Post eum Pompeius Magnus in circo DC. in ys jubatorum CCCXV. Cæsar dictator CCCC. Hæc de terrestribus bestijs Plinius, de quibus, in compendio, audi Martialem:

Idē Ibid.

§. IX.

Variarum belluarum in curribus trahendis vsus.

Martial. l. 1. ep. 105.

Picto quòd juga delicata collo
Pardus sustinet, improbaq; tigres

Indul.

Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quòd lupata cerui;
Quòd frenis Libyci domantur vrsi,
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris:
Turpes esseda quòd trahunt bisontes,
Et molles dare iussa quòd choreas
Nigro bellua nil negat magistro:
Quis spectacula non putet deorum?
Hæc transit tamen, vt minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantq; captos,
Et securior est in ore præda,
Laxos cui dare, peruiósq; rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes,
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis cùm modò venerint juuencis.
Hæc clementia non paratur arte:
Sed nôrunt cui seruiunt leones.

Seruit nimirum Cęsaris gratiæ adulator, dũ eius diuinitati ascribit, ac numini, quod est humanæ arti tribuendũ. Nullum enim numen erat Cæsaris, sed ea *omnis natura bestiarum domita fuit ab humana natura;* sicut & quando, teste Lampridio, Alagabalus, seu Heliogabalus *canes quaternos ingen-*

tes

tes junxit ad currum, & sic est vectatus jutra domum regiam, idq; priuatus in agris suis fecit. Processit in publicum, & quatuor cervis junctis ingentibus. Iunxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans. Iunxit & tigres, Liberum sese vocans. vsq; adeò bestiæ *ab humana natura*, non tantùm arcentur, ne noceant, sed etiam ad luxum, & ad superbiæ triumphos, domantur.

§. X

Nec ante oculos pennatorum rete frustra spargi.

Iac. 3. 7. Pro. 1. 17. Ait autem Apostolus non tantùm *omnis natura bestiarum*, sed etiam *volucrum, & serpentium, domantur, & domita sunt à natura humana.* At nunquid alibi dicitur: *Frustra jacitur rete, ante oculos pennatorum?* quo modo ergo volucres domantur? Domantur omnino. Nam 1. ibi Hebræi per interrogationem legunt, exponuntque in hunc modum: *Gratisne rete spargitur in oculis pennatorum?* quasi dicas: *minimè.* experientia enim est, cassibus tegi aues, adeóq; *frustra non jaci rete, ante oculos pennatorum.* 2. Alij, sine interrogatione, legunt, aiuntq; sensum esse, idcirco frustra, ante auium oculos rete expādi, quòd tanta sit stolidi-

das earum,

earum, vt non idcirco reddantur cautiores, & aucupum inſidias euitent; ſicut & flagitioſi homines prædæ intenti, pericula non æſtimant, quibus ob eam exponuntur. 3. Alij non ad vecordiam, ſed ad innocentiam auium, hanc ſententiam referunt; vt ſit ſenſus: *fruſtra*, id eſt, gratis, aut ſine culpa atque immeritò retia tenduntur auibus, cùm neminem læſerint, nulli injuriam irrogârint. Quo pacto prædones quoque, contra jus & fas, innocentibus inſidias moliuntur. 4. Alij ad aues velociſſimi volatus, quales ſunt vncumgues & rapaces, id trahunt, quibus tanquam noxijs non *fruſtra*, nec immeritò laquei ſparguntur, ſed ex cauſſa. Quare ſignificantiùs ſeptuaginta verterunt. *Non fruſtra extenduntur retia pennatis.* Quæ omnia dominium hominis, etiam in volantia confirmant. Nam etſi auium nonnullæ, vt paſſeres, picæ, callidiores, difficiliùs capiuntur; *Quæq; nimis parent retia, vitat auis*, etiam minùs aſtuta; capiuntur tamen, ſi laquei abſcondantur; ſi retia viridi colore gramini ac herbis ſimilia ponantur; ſi illicibus cantatricibus rami vicini viſco illinantur; & mille alijs modis.

S. Greg. lib. 17. Moral. cap. 10

Quid nota testimonijs fulcio? Clamant oscines in caueis, aues altiles in cortibus, toti chori in auiarijs, capi, vinci, *domari omnem naturam volucrum* posse. Ardea, Diomedæa auis, tam altè non volat; nec aquila tam longè prospicit à solio Iouis; nec trochilus tam velociter currit per littora; nec tam citò se in aquis condit vrinatrix; nec tam cautè diem vitat vlula; nec tam forti se vngula defendit struthiocamelus, Africus, vel Æthiopicus, quin humana industria manuque capiatur, testeOuid. l. 1 Metam. túrque, *Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ, & quod dominari in cætera possit*, hominem esse.

§. XI.

Aues ad cantum & sermonem instructæ.

Capi parum est, etiam blandiri, discunt, vt passer Catulli, & Stellæ columba; quin & artes docentur; neque ad cantum modò juxta Musicæ leges temperandum, frigilla, chloris, carduelis, luscinia, passer Canarinus, & aliæ id genus aues; sed etiã sturnus, pica, cornicula, coruus, psittacus ad ipsa verba humana, sermonemq; æmulandum instruuntur. Agrippina Claudij Cæsaris coniux turdum habuit, quẽ si audisses

disses loquentem, & non vidisses, hominem putauisses. Fuit coruus Romę, qui sermoni assuefactus, omnibus matutinis, in Rostra & forum deuolās, Tiberium, Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem pop. Rom. salutabat. Satyricum audiamus.

Quis expediuit psittaco suum χαῖρε;
Picásq; docuit nostra verba conari?
Magister artis ingeniq; largitor
Venter negatas artifex sequi voces.

Perſius in prologo.

Delicatè auem hanc sermonis æmulam, his verbis descriptam dat Floridorum author. *Psittacus Indiæ auis est, guttur illi minimo minus quàm columbarum, sed nec color vt columbarum. non enim lacteus ille, vel liuidus, vetrimq; sublutè, aut sparsus est: sed color psittaco viridis, & intimis plumulis, & extimis palmalis; nisi quòd sola ceruice distinguitur. Enimuerò ceruicula eius circulo minio, velut aurea torqui, pari fulgoris circumactu cingitur, & coronatur. Rostri prima duritia, cùm in petram quampiam cōcitus altißimo volatu precipitat, rostro se velut anchorâ, excipit. Sed & capitis eadem duritia, quæ rostri. Cùm sermonem nostrum cogitat æmulari, ferrea clauicula caput tunditur, imperium magistri, vt*

Apul. in florid.

persentiscat, hæc ferula discenti est. Discit autẽ statim pullus, vsq; ad duos ætatis suæ annos; dũ facilè os, vti conformetur, cum tenera lingua, vti connibretur. Senex autem captus, & indocilis est, & obliuiosus. verùm ad disciplinam humani sermonis facilior est psittacus, glande qui vescitur: & cuius in pedibus, vt hominis, quini digituli numerantur. non enim omnibus psittacis id insigne, sed illud omnibus proprium. quò eis lingua latior, quàm ceteris auibus, eò faciliùs verba hominum articulantur, patentiore plectro & palato. Id verò, quod didicit, ita similiter nobis canit, vel potiùs eloquitur, vt, vocem si audias, hominem putes: nam quidem si videas; idem conari, non eloqui. Verùm enimuerò & coruus & psittacus nihil aliud, quàm quod didicerunt, pronuntiant. Si conuicia dicueris, cõuiciabitur: diebus ac noctibus perstrepens maledictis. hoc illi carmen est, hanc putes cantionẽ. Vbi omnia quæ didicit maledicta percensuit, denuo repetit eandem cantilenam. Si carere conuicio velis; lingua excidenda est, aut quamprimùm in syluas suas remittendus. Vidi, audiuique psittacum meliora doctum. Nam disertissimè canebat: *Sancta Maria, ora pro nobis.* De altero audiui, qui, in Hispania, cùm à miluo de fenestra rapere-

in sublime, doctus dudum à nautis S. Thomam Christi & Indiæ Apostolum laudare, intra raptoris vngues, canẽs: *Sancte Thoma, ora pro nobis*; illico dimissus, inspectante populo, ostendit, quantum prosit hominibus inuocatio Sanctorum, quando vel volucribus vtile fuit, Diuos implorauisse.

§. XII.

Bestiarum ad venatum, ad litteras deferendas, ad concordiam, mirabilis disciplina.

Ne autem in voce sola existimemus auium consistere disciplinam, etiam ad venatum instituuntur. Hinc falconum, accipitrum, miluorum schola, & aucupiũ, occupatio & voluptas magnatum. Hinc volumen iustum extat, de auium aucupio Friderici II. Imperatoris, & Albert. M. de falconibus, Asturibus, accipitribus. Hinc & illud:

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, & captas non sibi mœret aues. Martial. lib. 14. ep. 216.

Nec venatores tantùm agunt aues; sed & tabelliones. Cecinna Volaterranus, equestris ordinis, comprehensas hirundines victoriæ nuncias amicis mittebat, cum lit-

teris, quas earum pedibus ferendas alligabat. Columbæ epistolas pedibus annexas, obsidione Mutinensi, in castra Consulum pertulêre, D. Bruto mittente. Quod si hæc, sine auium instructione, saltem non sine earum ope, cõtigerunt. Marthes certè rex Ægypti cornicem habuit adeò cicurè & mansuefactam, vt quoquò jussisset ille, epistolas deferret: nõ ignorans, quò transmolandum esset, aut vbi considendum. Hoc, si magiæ suspicione caret, non intelligentiæ, sed longę assuetudini cornicis est ascribendum. Quid enim assuetudo, altera natura, non potest? ipsam naturam mutat; qua impetratum est, quod, nisi à compluribus oculatis fideq; dignissimis testibus audiuissem, inter incredenda putassem numerandum. Nam si fabulosum putatur, quod Strabo scribit, apud Venetos, duos olim lucos celebres extitisse, Iunonis Argiuæ, & Dianæ Ætolicæ, in quibus ferę ita fuerint mansuefactæ, vt cerui lupis aggregarentur; quanto fabulæ similius videri poterit, quod tamen verissimum est? In Heluetijs, locus Lucerna distat quatuor milliaribus, vbi Parochus, stupendo naturæ miraculo, solebat hospites suos, inter

Strabo. lib. 5.

prandia-

prandendum, oblectare. Pultem transfundebat in patinam, & certo loco constituebat. Mox, signo dato, admirabiles conuiuas, ad vnam quadram, euocabat. Prosiliebat è cauo hinc musculus, inde prodibat è cauea auis: aliunde cum cane aduentabat felis. Nec feli canis, nec muri felis, nec mus aui quidquam hostile faciebat. Summa erat inter omnes amicitia, maxima concordia; nulla inuidia. Omnes, ex vna patina, simul epulabantur. Et, absumpta dape, ad sua, vnumquodquod animal cubilia quietè redibat: ita, vt auis ipsa sibi ostium caueæ & referaret, & clauderet; & musculus, quoties nominatim ab hero euocaretur, de cauo suo procurreret; nec cane oblatrante, nec fele insidiante. Tantum homini adhuc dominium est à Deo relictũ. Si vult, pacem amicitiamque colunt auis, canis, & felis, & musculus quoque non respuit disciplinam.

§. XIII.

Aquilarum succursus & disciplinæ capacitas.

Ne quis autem aquilam volucrum reginam arbitretur dedignari, atque seruire homini nolle; meminerit, infantem à turri deiectum, à subeunte aquila seruatum, & Aelian. lib. 12. cap. 21.

in proximum hortum deportatũ, posteaque regnum Babylonis adeptum. Quod si quis fortè putet, Angelum fuisse, qui aquilæ plumis puerum hunc exceperit, atque ad maiora seruârit, cùm dictum sit: *Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum;* cogitet eodem authore teste, puerum ab aquila sic adamatum, vt illi ministraret, vnaque cum illo moreretur: itemq; consideret, quæ nos alibi, de aquila Cutberti, & Aristomenis baiula retulimus: itemq; quod Callicrates Tyrius, vt est apud Vopiscum, prodidit, Aurelianum infantem, & fasciola vinctum è cunis ab aquila innoxiè leuatum, & in aram impositum, quæ juxta sacellum fortè, sine ignibus erat. Nec fabulosũ est, quod, in vita fabulatoris Æsopi, historicè recenset Maximus Planudes, his verbis. *Nectenabo rex Ægypti, cùm falsò accepisset, Æsopum esse extinctum, mittit Lycero regi Babyloniorum statim epistolam, quâ architectos petebat, qui turrim ædificarent, neque cælum, neq; terram attingẽtem. Lycerus Æsopo quasi rediuiuo (nam occidi jusserat, quẽ seruus Lyceri clam seruârat) cum Nectenaboris epistolam*

Ps. 90. 12.

Aelian. l. 6. c. 29. In lib. de spe & fiduc. c. 8. & cap. 14.

lam ostendisset, Æsopus omnes aucupes accersiuit, atq; aquilarum pullos quatuor, vt caperent, jussit: captos nutriuit ac instruxit, vt pueros in sportis vnguibus aquilarum affixis gestando in altum tollerent, atq; ita obedientes pueris essent, vt, quocunq; illi vellent, volarent, siue in altum, siue in terrā humi. Exacta hyeme, Æsopus cum aquilis & pueris profectus ad regem, spectaculum illud, tota admirante Ægypto, exhibuit. Rex, viso Æsopo, perculsus, attulisti, inquit, qui turrim adificent? Cui Æsopus, parati sunt, si modò ostendas locū. Postea egressus vrbem rex in planicie demonstrat dimensum locum. Adductis ergo Æsopus, ad demonstratos lociangulos, quatuor aquilis, cum pueris, per sacculos appensis, ac puerorum manibus fabrorum datis instrumentis, jussit euolare; illi verò sublimes, date nobis (clamabant) lapides, date calcem, & aliam, ad adificationem, materiam. Quo miraculo attonitus Nectenabo, vnde, inquit, mihi volucres homines? Æsope, victus sum. Quòd si quis hanc rem, de Æsopo, non veriorem, quàm si ab Æsopo narrata fuisset, obijciat, nôrit in Amphitheatro Romano olim bis exhibitam aquilam, quarum vna, puerū Ganymedis personam agentem extulit in aërē, & retulit, Bullengerus.lib.

de venat. Circ. cap. 21. Martial. lib. 5. ep. 56.

teste Bullengero; altera ipsum Iouem scenicè repræsentatum, atque aquilæ inequitantem. Quò altiùs ars humana ascendere potuisset? Dædalos, atque ex ipsis auibus Pegasos facit.

§. XIV.

Serpentes hominibus innoxij & subjecti.

Quadrupedum bestiarum volucrúmq; subjectioni addit Apostolus etiam dominium in serpentes, ait enim: *omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium domantur.* Iac. 3. 7. Posset autem de his idcirco quæri, quia serpenti dixit Deus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Gen 3. 15. Inimicis nemo libenter obedit. Ita est: sed inimicos quisque libenter domat, & subijcit. Quare domandi potestatem Euæ, eiusque posteris tum Deus non ademit; immo potiùs confirmauit, quando dixit. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Ibid. Magnæ astutiæ animal est serpens; sed maioris prudentiæ homo. Itaque cedit prudentiæ astutia. Quàm multi sunt, qui probatissimis antidotis serpentes innoxiè, nudâ manu, capiunt, & contrectant? qui araneos pinguissimè virulentos deuorant? qui, æstu-

uis

tis diebus, corpori nudo refrigerando, angues, cinguli inſtar, circumplicant? Quod & mulierculæ, in Italia, obſeruant.

Sic gelidum collo nectit Flaccilla draconem.

Agyrtæ, ſeu medici circumforanei, non ſolùm circumferunt ſerpentes, ſed etiam eos de collo, & brachijs ſuſpendunt, theriacis ſuis, & alexipharmacis fiſi. Natura ipſa Pſyllos, Ophiogenes, & Troglodytas dominos viperarum fecit; Pſylli venenum innoxij ſugunt. Hinc eos Cato, per Libyæ deſerta iter faciens, ſecũ duxit, vt ſerpentium ictibus mederentur, quemadmodum ſcribit Plutarchus. Hexagon Cyprius Ophiogenes, Romæ in, dolium ſerpentium, experimenti cauſsâ, fuit conjectus, & illæſus inde extractus. Troglodytæ etiam vorant ſerpentes ſine nocumento. Ea natura eſt genti: non ſupra naturam, cum neque roſtratis animalibus hæc venena obſint, quorum antidotum poteſt & homini à natura dari, vt muniatur, & venenata non metuat, ſed metu coërceat. Quæ non tantùm ſubigit timore, ſed etiã familiaritate.

§. XV.

Serpentum & draconum ſtupenda cicuratio, & ſubjectio.

De

Plin. l. 10. 74. *De aspide miraculum Philarcho reddatur, is enim author est, cùm ad mensam cuiusdam veniens in Ægypto aleretur assiduè, enixam catulos, quorum ab vno filium hospiti interemptum: illam reuersam ad consuetudinem cibi intellexisse culpam, & necem intulisse catulo, nec postea in tectum id reuersam.* De Heraclide Philosopho Pontico Laërtius refert, quod cùm adhuc puer esset, draconem enutriuerit, quem, quoad vixit, habuerit deinceps domestica conuersatione. Potebat de hoc dici: *Et delectabitur infans ab vbere, super foramine aspidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Quod & alij conuenit. *Ciuitas est, in Achaia, nomine Patræ. In ea puer* (Thoas ab alijs nominatus) *draconem paruulum emebat, magnaq; eum cura educabat. Cumq; creuisset, loquebatur, quasi cum intelligente, ludens, ac dormiens cum ipso. Quum verò ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem a ciuibus est dimissus. Post, cùm puer adolescens factus, reuersus à spectaculo quodam, cum aliquibus æqualibus, in latrones incidisset, & clamorem extulisset, ecce draco præsto est, & alios in fugam vertit, alios interimit, ipsum verò saluum conseruat.* Vides educa-

Diog. Laërt. in vita eius.

Isa. 11. 8.

Aelian. lib. 13. var. hist. c. 46.

catos in familiaritatem ſerpentes, immo dracones, ſed, poſtquam nimium excreuerunt, in loca ſola eliminatos. De alio xxx. cubitorum ſerpente capto, Alexandriam peruecto, ac fame cicurato, alibi hiſtoriam prolixè recitaui. De L. Roſcio Fabato Tullius ita ſcribit: *Quid amores, ac delicię tuæ Roſcius? num aut ipſe, aut pro eo Lanuuium totum mentiebatur? qui, cùm eſſet in cunabulis, educaretur q3 in Selonio (qui eſt campus Lanuuini) noctis lumine appoſito, experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu, quo aſpectu exterrita, clamorem ſuſtulit. Pater autem Roſcij ad aruſpices retulit, qui reſponderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.* Nempe quia & Herculem ſerpentes in cunis clarum fecerunt. Legimus & Tiberium Cæſarem ſerpentem draconem in delicijs habuiſſe, eique ex conſuetudine, manu ſua cibum miniſtrare ſolitum; quem cùm is corroſum à formicis reperiſſet, monitus eſt, cauendam ſibi eſſe vim multitudinis. Formicas enim populi ſignificatum habere, non fabula tantùm Pelei Theſſaliæ regis, verùm & prodigioſa ſomnia declarant. Nam & Nero paulò antè, quàm extingueretur,

In ſerpẽte, explicato ex Diodoro Siculo, lib. 3. bibliothec. hiſt. n. 36. Cic. lib. 1. de diuin.

Suetonius in Tiberio.

retur, visus est sibi per somnium pennatarum formicarum multitudine oppleri. Vterque igitur & Roscij, & Tiberij serpens innoxius, vterque fatidicus fuit; quamuis fortasse, non sine superstitiosa credulitate. Quemadmodum & ille draco, quem impostor quidam per Pontum circumduxit, vulgoque persuasit, eum esse Pellæũ Æsculapium, certáque responsa dare solere. Deridebant Christiani eam imposturam, & præstigias detegebant. Qua de caussa, si vellet oracula sua instituere, Athenienſiũ ritu, denunciatio fiebat talis: *Si quis impius, aut Christianus, aut Epicureus mysteriorum explorator accesſit, discedat.* Sub hæc protinus expellebantur, illo præeunte, dicentéque: FORAS PELLANTVR CHRISTIANI. Non poterat nimirum, his præsentibus, fatuos homines fallere Orcus, Christi virtute eneruatus: sicut & Paulus spiritum Pythonem è puella expulit. *Videntes autem dominí eius, quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram.* Fassi sunt ergo potestatem hominibus dari nõ in serpentes modò, sed etiam

Lucian. in Alexandro.

Act. 16. 19.

etiam in pythones & dæmones serpentum moderatores, & rectores. Quamobrem magnum adhuc nobis relictum est in bestias dominium; & verè dixit Iacobus: *omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Miriora Lucianus de dracone Alexandri Pseudomantis; & plura Casaubonus, curis secundis ad Suetonium, Torrentius in Tiberium Suetonij. Iustinus certè tradit, ita olim Hannibale authore, contra Eumenem, regi Prusiæ serpentes profuisse, vt nouo cõmento victor existeret. Nam omne serpentium genus in fictiles lagenas conijci jussit, medioq; prælio in naues hostium misit. Id primùm Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi serpentibus naues repleri cœpêre; ancipiti periculo circumuenti, hosti victoriam cessêre.

Iac. 3. 7.

Iustin. lib. 30. 32.

§. XVI.

Piscium quoque esse aliquam disciplinam.

Cur autem addit, *& ceterorum*? num aliud restat genus animalium? Restat vtique, nempe piscium. At de his maior est difficultas, cùm pisces nec membra auditus, nec foramina habere doceat Aristote-

Aristot.

les,

li 4. animal. Plin. lib. 10. cap. 70.

les, & cum eo Plinius. Audire tamen eos, testatur vterque. *Pisces quidem*, ait Plinius, *auditus nec membra habent, nec foramina, audire tamen eos, palam est: vtpote cum plausu congregari feros ad cibum consuetudine, in quibusdam viuarijs spectatur: & in piscinis Cæsaris, genera piscium ad nomen venire, quosdam singulos. Itaque produntur etiam clarissimè audire mugil, lupus, salpa, chromis, & ideo in vado viuere.* Nec sensum duntaxat disciplinæ habent pisces, sed disciplina quoque vtuntur. Hinc de vitulis marinis ait

Plin. li. 9. nat. hist. caq. 13.

idem author: *Accipiunt disciplinam, voceq; pariter & visu populum salutant incõdito fremitu: nomine vocati respondent.* Quo credibilius euadit illud Martialis:

Martial. l. 10. epig. 30.

Natat ad magistrum delicata Murena:
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse jussi prodeunt senes mulli.

Apud Athenæũ. lib. 8.

Subscribit *Nymphodorus Syracusius*, qui, *in suis circumnauigationibus refert, in Eloro fluuio, lupos esse anguillasq; magnas, tam cicures, vt ex illorum manu, qui offerunt, panem sumant. Ego verò*, ait Athenæus, *in Chalcidis Arethusa cum admiratione vidi, quemadmodum & fortassis vestrũ plurimi, Cestros mansuefactos, & Anguillas aureis argenteisq; ornatas*

natas inauribus, qui & quæ tum obiectum cibum à spectatoribus acciperent, tum à sacerdotibus victimarum exta, & masteum caseum. Hæc ille. Venit in testimonium & Ælianus, cuius hæc sunt: *Pisces quoq; cicures & mansueti euadunt; &, cùm appellantur, intelligunt, & è manu largientium cibos capiunt, vt anguilla sacra in Arethusa. Murana etiam Crassi Romani omnium prædicatione celebrata. Sic inauribus & gemmis distincto monili, velut puella ornabatur, & appellantis vocem Crassi agnoscebat, ad eumq; adnatabat. Cumq; ei cibi quippiam porrigeret, prompta capiebat, quam ille mortuam affecit honore sepulturæ.* Aelian. lib. 8. de animal. cap. 4.

Eiuscemodi cicuratos pisces aluit & Domitianus, de quibus illa intelliguntur:

Sacris piscibus hæ natantur vndæ,
Qui nôrunt dominum, manumq; lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius.
Quid quòd nomen habent, &, ad magistri
Vocem quisque sui, venit citatus?

Martial. lib. 4. epig. 30.

Mira sunt, quæ de Delphinis Iasensibus, Baianis, Tænarijs, & Corinthiacis memorantur; & quæ de Crocodilis mansuetis narrat Ælianus. Sed illud vnum, ex omnibus sufficiet, quod Petrus Martyr Mediolanensis, & ex eo Raderus recenset. *Vallis* Aelian. lib. 8. c. 5. Petr.

Mart. dec. 3. li. 8. de reb. Oceanicis. & ex eo Matth. Rader. in lib. 4. Martial. epigr. 23.

Atici dicitur, cui regulus præest. Caramatexi nomine, piscatu delectatus, in cuius retia piscatulus incidit, de genere piscium immanium, qui dicuntur Manati ab incolis. Minime notum arbitror genus id mõstri per nostra maria. Est namq; testudineæ formæ quadrupes: squamis tamen, non choncha munitus, corio durissimo, ita vt neq; sagittam vereatur, mille ferrucis armatus, tergo autem plano, & capite penitus bouino. Aquatilis est, & terrenus piscis, mitis, iners, vti elephas, vtique delphin hominibus sociabilis, sensu mirabili. Infantulum piscem domi regulus aluit, dies aliquot, pane patrio; ex iucca & panico, puta, confecto, radicibus etiam alijs, quibus homines vescuntur. Adhuc parvulum projecit piscem in lacum suis ædibus proximum, tanquam ad vivaria, qui lacus & ipse suscipit aquas, nec illas euomit. Liber in aquis piscis annos vagatus est viginti quinque; adoleuit in immensum &c. Pisoni nomen est impositum Matum, quod significat generosum, aut nobilem. Quando ergo ex reguli familiaribus ei notis præcipuè in lacunæ ripa, Matum, Matum, id est, generose, generose, clamabat, humani beneficy memor, caput eleuans, ad vocantem pergebat; pascebatur hominum manu. Si verò quispiam trans-

transfretandi cupidus signa dabat, prostratu suo trajecturos inuitabat. Decem aliquando monstrum conscendisse, vno receptu, transportatósque omnes fuisse incolumes, psallendo & cantando, compertum est. Hæc, hisque plura Petrus, è quibus clarissimè perspicitur, ita esse, vt dixit S. Iacobus, *omnem naturam bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum* quoque, vt sunt pisces muti, & ad discendum stupidi, *domari, & domita esse à natura humana*, non extraordinaria & diuina tantùm, sed etiam naturali hominis vi, industria, & potestate; juxta illud, ad Noë & filios eius dictum: *Terror vester ac tremor, sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cũ vniuersis, quæ mouentur super terram*, qualia sunt, quæ serpunt; imo & quæ mouẽtur in aquis; è primo hominis priuilegio, ad similitudinem Dei dominantis facto: *Præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra.*

Iac. 3. 7.

Gen. 9. 2.

Gen. 1. 26.

CAPVT XV.

Iniustam esse, contra bestias, querelam; justam autem Dei contra homines bestijs inobedientiores, ac proinde meritò puniendos,

§. I.

Impatientia hominum injustè de bestijs querentium.

TOt, tamque manifestis exemplis tria demonstro. 1. Nullam posse esse justam, contra animalium injurias, querelam. 2. Erubescendum hominibus, Deo non obedientibus, cùm videant sibi bruta animalia, & quidem fortissima etiam, atq; alioqui ferocissima, tam exactè, & ad amussim obedire. 3. Dignos esse proinde, & meritò à bestijs puniendos, quicunque contra Deum delinquunt, & ipsis bestijs sunt obstinatiores. Ad primum enim quod attinet, nonne cauere potest dentes, vngues, cornua, aut venena bestiarum, qui oculis præditus est, quibus videat; pedibus, quibus fugiat, manibus quibus repellat; ingenio, quo vincat quidquid est vel dente noxium, vel vngue metuendum, vel cornu formidabile, vel re-

nono

neno insidiosum? Vnde ergo tanta hominis impatientia? vnde querimoniæ? vnde murmurationes & execrationes? Erumpunt in indignationem nonnulli delicati, si quando eos non leo, non lupus, non rabidus canis, sed vel pulex, aut musca momordit? quid si vipera, quid si panthera in eos dentem fixisset? sentiunt se morderi, vt homines se esse meminerint; vt discant cauere; vt assuescant aliquid pati; vt agnoscant, quantum sit beneficium, à belluis defendi; in quarum vngues & fauces quotidie incidere possent. Et incidunt aliquãdo, quia id meruerunt; cùm ob leuissima incomoda murmurauerint; vt Israëlitico populo contigit, in quem igniti serpentes sœuierunt. Itaq; *custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest;* &, *in omnibus gratias agite.* In vsum datæ sunt vobis bestiæ, immo & in seruitutem. Magnum dominium hoc, magnũ est beneficium. Quando pro eo, gratias egistis? Nocuerunt quandoque bestiæ? sæpius profuerunt. Nocuerunt bestiæ hominibus? sed nocentib⁹, sed incautis, sed malo dignis nocuerunt. Ægrè fertis, si agros vestros deuastant apri? si in segetes cerui intrant, & sata depascuntur?

Nũ. 21. 6. Sap. 1. 11. 1. Thess. 5. 18.

Plin l. 15. cap. 18. si oleam lambendo capra linguâ contigerit, coëgeritq; sterilescere? si in vineam hœdus irrupit, si vitium palmites defoliauit? Indignum esse putatis, vt damno vos afficiant animalia in vtilitatem creata? vt martes columbas jugulet? vt vulpes gallinam, lupus ouem auferat? vt vrsus equum, aut bouem occidat? vt scorpio filiolum percutiat? ob hæc talia iracundiam reprimere, & ad vos redire non potestis? Nimirum per ista vult vobis Deus ostendere, quo ipse in vos animo esse debeat, qui & ipsi longè peruicaciùs Domino vestro rebellatis. Nihil à vobis bestiæ, vos omnia à Deo accepistis: non ergo illæ vobis, sed vos Deo obligati estis. Longè igitur justiùs illę de vobis; quàm vos de bestijs, conqueri

Isa. 1. 2. potest ac dicere: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.*

§. II.

Homines canibus ingratiores, leonibus seuiores, injustè, contra bestias, queri.

S. Ambros. li. 6. c. 4. Hexëam. *Quid de canibus loquar*, ait S. Ambrosius, *quibus insitũ est natura quadam, referre gratiam, & solicitas excubias, pro dominorum salute, prætendere. Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cùm videat*

etiam

etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ seruant memoriam, tu non seruas salutis acceptæ? Assonat Basilius, *Memoria beneficiorũ animantis huius,* inquiens, *beneficiorum immemorem non pudore aspersérit? Iam quidem & interfectis à latronibus, in solitudine, domitis complures à cadaueribus canes non recessisse, sed ibidem expirasse memoriæ traditur. Nonnullos etiam cæde adhuc recente duces illis fuisse, qui latrones inquisiuerunt, & ad pœnam maleficos rapi fecerunt. Quid hîc dicent, qui nullo suum opificem, altoremq; Deum prosequuntur amore?* Qui, pro tot pecoribus, pro tot jumentis sibi datis, gratias nullas agunt? qui, ob minimum damnum à bestia illatum, in furorem vertuntur; &, in creatura, Creatorem ipsum execrantur? Nimirum agunt ipsi pro affectu, nec ratione cohibent impetum animi; & vellent ratione carẽtes bestias, nec irasci, nec se vindicare de inimicis. Enimuerò Deus, qui illis naturam dedit, dedit vt irascerentur, & in vindictam efferuescerent; quamuis ne tum quidquam vlli inferre possint damni, sine prouidentia, certóque judicio illius, sine cuius voluntate ne capillus quidem de capite nostro perit. Quis miretur vulnera-

Basil. homil. 9. in Hexaëm.

tam belluam in vltionem concitari? Natura cuique dictat vindictam. Si ergo gladiator ignoscit antagonistæ seu cæsim, seu punctim se defendenti; cur tu belluam feris, & velles, vt non referiret? Admirationem, non indignationem apud historicos meretur, quod Iubæ regi Maurorum fertur contigisse. Hic rex, cum exercitu suo, aliquando, per Africæ deserta, rerum suarum componendarum studio proficiscebatur. Erat in eius comitatu præstantissimi animi iuuenis, qui ex itinere obuium leoné sagitta percussit. Saucius leo in siluam se recepit. Multum temporis ierat, cùm Iuba, rebus ex voto compositis, eádem via copias domum reduxit. Ibi idem ille leo, excusso telo, & sanata iam diu cicatrice, obseruauit transeuntes, atque è tam magno equitum numero, illum solum iuuenē, qui vulnus inflixerat, ex omni multitudine, violentissimo cursu petiuit, hostilitérque aggressus, nulla confluentium militum vi cohiberi potuit, quin vnguibus correptum, dentibus dilaniaret. Ea vltione contentus, neminéque alio læso, in nemoris interiora recessit. Quæ in reliquos clementia multò vtique magis est admiranda; quàm, quòd se

se leo de vnico hoste vindicârit. Multi homines non contenti sunt inimicum perdere, sed sœuiunt etiam in amicos inimici. Atque hæc de primo satis.

§. III.

Hominum inobedientiam, ab inobedientia bestiarum in ruborem dari?

Sed ad secundum venio, &, cum Seneca, dico: *Aspice elephantorum jugo colla submissa, taurorũ pueris pariter ac fœminis persultantibus, terga impunè calcata, & repentes, inter pocula sinusq; innoxio lapsu, dracones, & intra domum vrsorum, leonumq; ora placida tractãtibus, adulantesq; domino feras, pudebit, cum animalibus permutasse mores.* Quis enim rubore non perfundatur, si videat, humanam quodammodo in belluis mansuetudinem, in se autem animũ ad ferinos mores, ad indomitam obstinationem obbrutuisse? *Officia*, inquit idem Seneca alibi, *etiam feræ sentiunt. Nec vllum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora a magistris impunè tractantur.* Et homo se non sinit tractari à Deo? Elephas collo jugum submittit; & homo excutit à se *suaue jugum* Christi, dicens: *Non seruiam?* Certè Iob testa-

Senec. l. 2. de ira. cap. 31.

Senec. lib. 1. de benef. cap. 3.

Matth. 11. 30.

Iob.21.14. tur, esse, *qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, vt seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus illum?* Patitur leo frænum hominis, & homo nulla se finit lege frænari? Tauros stimulo impellit modicus puer, & homo sese à Deo non sinit, ad virPs. 90. 13. tutem extimulari? *Super aspidem & basliscum* ambulat homo, & conculcat *leonem & draconem*, & ipse vult à Deo in manibus Iac. 3. 7. portari? Deniq; *omnem naturam bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domari, & domita esse ab humana natura* scimus, & nos domare Deus non potest? Non ferimus leges, præcepta cõtemnimus, obedientiæ nullam audire volumus mentionem; cùm interea videamus, nobis accipitres, falcones, aquilas in aëre, delphinos, murænas, ipsas bálænas in aquis obedire.

§. IV.

Exemplo bestiarum, ductorem & legem sequendos, non ducendos.

Nulla ars absque magistro discitur, ait S. Hieronymus, *etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues vnam sequuntur, ordine litterato. Imperator vnus, Index vnus pro-*

S. Hieronym. ep. 4. ad Rustic.

vincia

uinciæ. Omnis ordo Ecclesiastic⁹ suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator. In domo vn⁹ dominus. In quamuis grandi exercitu, vnius signum expectatur. Et, ne plura replicando fastidium legenti faciam: per hæc omnia, ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum. Tibi bestiæ subsunt, vt tu discas Deo subesse. Dum illis imperas, tuam inobedientiam accusas. Bestias regis, ne errent, & tu vis, instar bestiæ, errare, dummodo nemo te regat? Aliter rex ille fuit affectus, qui dixit: *Vt jumentũ factus sum apud te: & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me.* Citiùs & rectiùs ad metam decurrit equus, qui patitur sessorem, quo excusso, in incertũ vagatur. Ita neque ad cælum perueniet homo, qui se non sinit, è cælo dirigi. *Ecce Dominus super murum litum, in manu eius trulla cæmentarij*, hoc est, perpendiculum. Vbi LXX. sic legunt: *In manu eius adamas.* Tametsi enim soleat trulla, seu perpendiculi pondus plumbeum esse; Dei trulla adamantina est. Quia perpendiculũ Dei, lex est Dei. Nam, sicut perpendiculo admoto ædificia explorantur, murique, num recti stent, an obliqui in ruinam se inclinent; ita

Ps. 72. 23

Amos. 7. 7.

Appo-

Appoſita incuruos oſtendit regula mores, & lex Dei declarat, quis ſit homo Dei. Porrò ea lex, in quorundam hominum manu, plumbea eſt, & cedere cogitur, flectiturq; in omnes partes, ad libitum & libidinem peccatoris, qui mandari ſibi cupit, quod ipſe vult. In manu autem Dei, & hominis Deum amantis, lex diuina regulaque non plumbea eſt, ſed adamantina, quia non cedit, ſed voluntas obediẽtis cedit illi: quia

Pſal. 1. 2. *in lege Domini voluntas eius*, vnde ait: *Domine, quid me vis facere?* His talibus beſtiæ, quæ domantur, fiunt in exemplum; contumacibus autem, & dura ceruice jugum Domini à ſe proijcientibus, in metum & ſupplicium.

§. V.

Hominum peccata à beſtijs puniri, vt olim à muſcis Pharaonem.

Cor ſuum poſuerunt, vt adamantem, ne audirent legem &c. & facta eſt indignatio ma-

Zach. 7. 12 *gna à domino.* Quia igitur beſtijs, non in-obedientia, ſed in truculentia pares fiunt,

Pſ. 57. 5. eſtque *furor illis, ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas; quæ non exaudiet vocem incantãtium, & venefici incantantis ſapienter, Deus*

conteret dentes eorum, in ore ipsorum. Sicut eques conterit dentes equi frænum mordentis. Quo autem justiore modo obstinatos plecteret, quàm, vt rebellibus immitteret rebellionem? *Quia frequenter & grauiter peccauit tibi*, ait vir sanctus, *meritò armatur contra me omnis creatura.* Sic, quia Eua se à serpente decipi est passa, inimicitiæ inter illam & serpentem insidiæq; sunt positæ, vt idem esset punitor, qui fuerat seductor. Sic induratus Pharao ranis, sciniphibus, muscis, locustisque est punitus. Per *sciniphes* Hebræi, & cum illis Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, Caietanus, pediculos intelligunt, quibus, vt postea Herodiana crudelitas, ita priùs Pharaonica tyrannis sit castigata: alij rectiùs id negãt, cùm pediculi è corpore humano, nõ è puluere terræ generentur, quod hîc tantùm docet Scriptura. Vbi autem nos legimus: *immittam in te, & in seruos tuos, & in populos, & in domos tuas, omne genus muscarum*, vertit Chaldæus, *mixturam bestiarum nociuarum*, Pagninus, *omne genus ferarum*. Hebræi quidam, *incursionem leonum, pardorum & luporum* intelligunt. Quia tamen S. Hieronymus cum 70. & Aquila meliùs

Thom. de Kemp. l. 3. de imit. cap. 41. Gen. 3. 15.

Exod. 8. & 10. Ioseph. li. 2. Antiq.

Exod. 10. 21.

arob

arob miſcellam, ſeu turbam variarum mu-ſcarum interpretatur, dubium non eſt, tan. tam eſſe Dei potentiam, vt vel è muſca facere poſſit immanem tortorem. Sicut & locuſtæ grandi Ægyptum plaga percuſſerunt. Deuorarunt enim, quidquid erat virens in terra. Quin & domos ingreſſæ eas impleuerunt: & in oculos quoque & corpora Ægyptiorum inſilierunt, hominéſq; virulento morſu ſuo, necauerunt, vt ait Scriptura. *Illos enim locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inuenta ſanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiuſmodi exterminari. Filios autem tuos, nec draconũ venenatorũ vicerunt dentes.* Quod, vt minùs mireris, hæc de illarum regionũ muſcis ſcribit Plinius: *Grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum ſtridore, vt aliæ alites credantur, ſolémque obumbrant, ſolicitè ſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras. Longinqua maria tranſeunt, continuata plurium dierum fame, vt externa pabula petant; dira nube meſſes contegunt, multa contactu adurentes, omnia morſu erodentes.*

Sap. 16. 9.

Plin. li. 11. cap. 29.

§. VI.

A ſerpentibus & leonibus puniti.

Sic, murmuratione facta, *miſit Dominus in popu-*

Num. 21. 6.

populum ignitos serpentes, ita dictos, quia ab ijs morsi aduri videbantur, &, vt alibi dicitur, *in solitudine magna atque terribili* fuerūt, *in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas*. Itaque *cum illis superuenit saua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur*. Sic, quando rex Achab regi Syriæ Benadab pepercit, cùm posset & deberet occidere illum, *tunc vir quidam de filijs Prophetarum dixit ad socium suum, in sermone Domini: Percute me: At ille noluit percutere. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumq; paululùm recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit*. Alterum autem non percussit, qui Prophetæ obediuit. Leone, in vltionem, etiam alia vice vsus est Dominus, aduersus Prophetam inobedientem, quem *inuenit Leo in via, & occidit: & erat cadauer eius projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadauer*. Leone hîc Deum vsum esse in pœnam, Propheta alter ostendit, qui ei pœnā prædixit. Ostendit & ipse Leo, qui non asinum, sed sessorem occidit; & id se fame impulsum nō fecisse, ipsa abstinentia demonstrauit. Neque enim de occiso quidquam

Deuter. 8. 15.

Sap. 16. 5.

3. Reg. 20. 36.

3. Reg. 13. 24.

gusta-

gustauit, sed juxta eum asinumq; permansit, vt, contra aliarum ferarum impetum, eos custodiret.

§. VII.

Vrsi malè educatos pueros punientes.

Sic non leonibus tantùm, sed & vrsis vsus est justissimus judex, ad petulantiam malè educatorum puerorum plectēdam. Ascenderat Eliséus in Bethel, *cumq; ascenderet, per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, Ascende calue. Qui, cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressi q; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Tanti erat ludere. Sic jocum puniuit diuina justitia. Habent ergo parentes, quid mereantur, apud diuinum tribunal, si liberis suis indulgent, si dissimulant sarcasmos, si etiam ad dicteria jacienda eos instruunt; vt senes caluastros, vt rugosas anus, vt seruos & ancillas conuicijs aspergat; vt illos cæcos, surdos, mucosos, illas veneficas, vetulas, Cerberi ipsas, aut Silicernia; hos mastigias, verberones, nebulones; has meretrices, prostibula, pabula Orci appellent. Eliséum caluum vocauêre; & pueri erant; & in campis nu-

4. Reg. 1. 23.

gaban-

gabantur; & tempore exiguo, ac vix bis scomma hoc effuderunt in transeuntem; & ecce, Deo judice, *quadraginta* parentibus suis charissimi filij, deliciæ matrum, spes posteritatis; quodq; est miserabilius, *pueri parui*, ab vrsis non occiduntur modò, sed etiam *lacerantur*, vt nullius cadauer, posset dignosci, nullius corpus in patrium sepulchrum inferri, sed necesse fuerit, confusa inter sese membra, in vnum cumulũ, velut Absyrtum, colligere, plangeréque, etiam hoc, quòd ibi, vbi sciebat esse, nemo suam prolem posset inuenire. O quale, tunc spectaculũ fuit parentibus, & cognatis, exire in campum, recente, & adhuc fumante filiorum, nepotumq; sanguine cruentatum! calcare grámina hinc tabo purpurata, inde exanguibus, & à ceruice sua reuulsis vultibus pallentia! Vidisses hîc matrem brachium, ibi patrem ossa humero malè hærentia tollentem, & explorantem, an notæ sibi tunicæ aptari possent! Alij, velut lymphati, per totam stragem, sursum ac deorsum currebant, vt volante oculo deprehenderent gnatum adhuc palpitantem; alij per singulos, ordine, quærebant, vt, quod quærebant, non præteri-

rent: ita, quid singuli passi sint, viderunt in vniuersis. O quis tum, quantúsque luctus fuit, qui gemitus, quæ suspiria in cælum missa? quàm ingens vis lachrymarum in terram cadentium, aut lacerata paruulorum membra lauãtium! Quàm seria fuit accusatio, in vrsorum feritatem vibrata? quanta execratio belluarum? Sera est hæc vestra querimonia, ô parentes: erratis accusando. Vos ipsos, non vrsos, accusate. Si voluissetis liberos vestros ad senectutem peruenire, docendi fuissent, senes non contemnere; non ridere Prophetam; sanctis non illudere, sed reuerentiam exhibere: cur ab vrsis exigitis humanitatem, qui *pueros paruos* docuistis feritatem? Nunc quia, vestra vel negligentiâ, vel indulgentiâ, vel discordiâ, in Elisæum linguas stringere dicerunt; Dei sententiâ & mandato, belluæ, in illos, dentes debuerunt stringere; vr mordacitas eorum, vrsinis morsibus plecteretur, & justissimo Numinis judicio lacerati docerent, sanctos viros contumelijs non lacerandos.

§. VIII.

Amentia eorum, qui contra bestias queruntur.

Abeant

Abeant nunc ad vulgi opinionem, & querantur contra bestias, ad bestias à Deo damnati. 1. Opificem sapientissimum, in opere exquisitissimo reprehendunt. 2. Patefaciunt suam dementiam, vt, qui velint, sibi belluas parere, cùm ipsi suo Conditori obedire recusent. 3. Ostendunt se dominij plenitudinem, cum innocentia, perdidisse. 4. Sibi plus licere volunt, quàm Domino suo supremo, quem; ad scelera plectenda, nolunt vti creaturis; cùm ipsi reos equis distrahant, camelis conculcent; vrsis obijciant ambedendos, leonibus deuorandos. 5. Adeò cæci sunt, vt non videant diuinam protectionem, adeò surdi, vt non audiant comminationem. De pręuaricatoribus enim dicit: *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Deuter. 32. 24. Vel, si audiunt, cur non metuunt; si vident, cur non cauent? Ideò enim iteratò ait: *Immittam in vos famem, & bestias pessimas, vsq; ad internecionem.* Sed non mouentur minis saxea corda. 6. Inde mentem amittunt, vnde eos sapere, & mundi Rectorem agnoscere oporteret, cuius iustissima gubernatione, bestiæ in reos irruunt,

quæ non audent tangere, aut libare innocentes. Aut certè, dum nocentes lædunt, innocentes defendunt. Quo pacto, cùm aliquando hoſtes, noctu, nauibus appuliſſent, & arcem Neapolitanam occupaturi, muros, ſcalis clam appoſitis, magno ſilentio tranſcendiſſent, præter opinionem, inciderunt in leones, qui multos ex illis dilacerarunt, & ſuo rugitu, vigiles excitârunt, ita, vt non paucis deſideratis, irrito conatu diſcedere coacti ſint. Contrarium, apud Megarenſes euenit. Apud eos, Caſſius leones, quos Ædilibus ludis præparauerat, reliquit. Cùm ergo ciuitas, per Calenum, caperetur, Megarenſes, ferarum carceres effregerunt, vinculis eorum relaxatis, vt irruentibus hoſtibus objectæ negotium, tantiſper faceſſerent, dum ſibi, per moram aliquam, conſulere poſſent. Verùm longè aliter euenit, quia leones in ciues ipſos truculenta ſœuitia conuerſi, tantam internecionem ſtragem edidêre, dum obuios quoſque adoriuntur, ſternunt, atq; dilacerant, vt ſpectaculum illud fuerit vel ipſis hoſtibus miſerandum. Hæc judicia Dei ſunt machinas in ipſos authores vertentis. Sed in ſacris exempla non deſunt.

Phil. Camer. cét. 1. Hor. ſub cap. 22.

Plutarch. in vita Bruti.

§. IX.

§. IX.

Leonibus, in pœnam, & gloriam hominis, vti Deum.

Clarissimum est, quod supra de Ægyptijs attuli: *illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari Filios autem tuos* (ô Deus) *nec draconum venenatorum vicerunt dentes.* Sap. 16. 9.

Atque vt in leonibus quoque id appareret, nonne Daniel, in lacu leonum, lapide & annulis regis ac optimatum, tota nocte, clausus fuit, & *nulla læsio inuenta est in eo? jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt; ipsi, & filij, & vxores eorum: & non peruenerunt vsq; ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt?* Dan. 7.

Ex quo facto perspicitur, leones, qui Danieli pepercerunt, fuisse famelicos, fuisse liberos, nullo pallio obuelatos, nulla consuetudine cicuratos, nullis beneficijs delinitos, nullis blanditijs permulsos, sed diuinæ potentiæ miraculo cohibitos, ne in Prophetam irruerent. Vnde ipse ait: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi;* Vide Aristot. l. 9. de hist. animal. cap. 44.

etiamsi leones è lacu non amouerentur, etiamsi oculi eorum nō fascinarentur; etiamsi altissimo somno non sopirentur, Angelus à Deo missus satis fortis fuit, vt os illis obstrueret, vt vngues cohiberet, vt famem suspenderet, vt feritatem mitigaret. Quemadmodum autē diuinâ prouidentiâ leones à Daniele cohibiti sunt, ita & sunt in impios calumniatores incitati, vt, mutatâ phantasiâ, illis Danielis æmuli, interiore sensu, repræsentarentur vel tanquam ipsis contrarij, & à quibus lædi possent; vel tanquam esca conueniens & pertinens ad pastum. Eodem igitur loco, atq; per easdē belluas, mundi Moderator demonstrauit, bestijs se vti ad hominum vel defendendā innocentiam, vel plectendam impietatem. Quod si autem etiam permittit Sanctos, & sibi charissimos, in theatris, tyrannorum imperio, à belluis lacerari; &, sicut Antiochenum illum Ignatium, à leonibus occidi, maximo illos beneficio honorat. Tametsi enim, etiam per illos, posset *obturare ora leonum*, affectè nihilominus, & peculiari amore, eos bestijs finit obijci, vt de atrociore prælio clariorem obtineant victoriam, & maiores triumphos mereantur.

Non

Non infert injuriam, qui offert meliora. Panis Christi fiunt, qui, Christi causſa, moluntur dentibus bestiarum. Deniq; sic in martyres euadunt, quo maius, in terris, nihil possunt adipisci, & quod ipsi flagrantissimis votis desiderauerunt.

§. X.

Dominium hominis in animalia ita imminutum esse, vt maximis minima molesta sint.

Illud hic iteratò mihi dicendum est, retinuisse quidem hominem, etiã post patratum ab Adamo delictum, in omnes bestias dominium, non tamen ita plenum ac absolutum, vt priùs, & cum discrimine bestiarum. Etsi enim capere, occidere, & in victũ, aut vestitum, aut pharmacum, aliúmue in finem, omnes potest; non potest tamen omnes perinde domare, ita vt, quemadmodum veller, cicurentur, & ad nutum illi famulentur; & penitus molestiam non creent. Excederet hæc felicitas miseriam exulantis. Qua de causſa, ait Hugo Victorinus: *Dominari quidem debuit homo omnibus animantibus, sed per peccatum amisit dominium, & in maximis, & in minimis. Retinuit tamen dominatum in medijs.* Perfectiorem scilicet. Nam equos, & asinos, & bo-

Hugo annot. in Genes.

ues, & oues, & capras, itemq; aues domesticas, & subsidiaria jumenta satis habet in potestate; maiora his animalia difficilius adigit ad parendum; minima minime. Nā quis vnquam, vsque ad molestiam, alioqui familiares muscas cicures vel fecit, vel vidit? *Nullum animal*, inquit Plinius, *minùs docile, quam musca, existimatur, minorisue intellectûs.* Annue, abige centies, centies redeunt: vel ferendæ sunt, vel feriendæ. Culices, doma, si potes. Interdiu indignanti aculeum profundè infigunt: noctu auribus obstrepunt buccinādo, & dormire vetant. Iube eos tacere, si potes; vel aculeū condere in vaginam, si tanta tibi est authoritas. Ad viliora veniamus. Pediculis impera, ne te mordeant. Quàm diu viuunt, tam diu corpus tuum est illorum pratum. Ibi pabula carpunt, quo neque Apollo Admeti boues adigere ausus fuisset. Ius hoc illis hæreditarium est. Ibi natale solum. Dente illuc redeunt, vnde corpore toto prodierunt. Quod si de pulicibus sit loquendum, totæ possent Iliades recitari. Nam licet ars illis catenas cuderit, & retia, quib⁹ capiantur, fabricârit, Vulcanijs illis subtiliora; licet multi ijs venādis multas horas impendāt; haud

Plin. l. 17. c. 6. nat. hist.

haud tamen hanc celerem pestem à se possiunt amoliri. Bestiæ sunt exiguæ, sed in pungendo acres, in fugiendo veloces; in sanguine fugendo insatiabiles. Coguntur etiam eas tolerare delicatissimæ cutis Poppææ & Cleopatræ, quæ quò graciliùs sese stringunt vestiendo, eò permittunt illis licentiùs grassari, cùm manus non possit accedere ad pabulantes. Atque, vt humani dominij intelligentiùs consideremus diminutionem: Ponamus ante oculos militiæ ducem, eúmque non è communibus & obuijs vnum, sed Hectori, aut Achilli parem; aut, qualem diuinæ litteræ describunt, Goliath de Geth; qui erat *altitudinis sex cubitorum & palmi: & cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur: porrò pondus loricæ eius, quinq; millia siclorum æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius, hastile autem hastæ eius, erat quasi liciatorium texentium, ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri.* 1. Reg. 17. 14. Hunc talem Polyphemum, quo incedente, terra, sub pedibus eius, tremebat; quo vociferante, concutiebatur aër, resonabant montes, siluæ trepidabant; pulex audet aggredi, morsu

lacessere, & vsque ad impatientiam exagitare. Non illum cassis ærea, non lorica squamata, non ocreæ & clypeus solidissimo metallo graues, non hasta validissima, contra animal, quod visum fugiebat, defendere potuerunt. Vincitur à pulice, qui totos exercitus solus prouocauit.

§. XI.

Cur minima animalia potiùs hominibus sinat esse molesta Deus?

Si ergo Deus hominem constituit præfectum omnium animalium, quando dixit:

Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra;* Si, etiá post originale delictum vniuersorum, Dominus pronunciauit:

Gen. 9. 2. *terror vester ac tremor, sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram:* qua de caussa minutissima illi animalia non obediunt, sed ad impatientiæ verba vsque infestant? Nimirum etiamnum homo harũ est Dominus terrorq; bestiarum, quas capere callidè, & occidere licitè potest. Verùm etiam ab illis cruciari potest, vt habeat, vnde se agnoscat mor-

mortalem, & ſupercilium ponat, quando videt vel muſcam regi in oculos inuolare, & in ipſa Cæſaris fronte ſedere, ſine vlla reuerentia maieſtatis. Hac ipſa de cauſſa ſapientiſſimus mundi gubernator in tumidum illum Pharaonem, qui ſupra nubes ſibi gradi videbatur, non leopardos, aut balænas, aut elephantos, ſed ranas & muſcas emiſit. Quia excellentior eſt gloria victoris, & ignominioſior deiectio victi, ſi rebus minimis ſuperbia maxima cedere cogatur. *Quæret fortaſſe aliquis*, ait Philo, *cur Deꝰ tam minutis & vilibus animalibus ad vindictam vti maluerit, quam vrſis, pardis, & leonibus, ceterisq; feris carnuoris: aut, ſi hæ nõ placebant, ſaltem familiaribus Ægypto aſpidibus, quarum morſus, & ſubitam, & ineuitabilem affert mortem? Is, ſi neſciat, diſcat, Deum voluiſſe Ægyptios caſtigare, non è medio tollere. Nam ſi eos omnino delere voluiſſet, non opus erat animalibus, ſed diuinitus immiſſa fame, aut peſtilentia. Homines quidem, cùm bella gerere volunt, auxilia ſibi conſciſcunt potentiſſima, quibus ſuam infirmitatẽ ſuppleant, Deus verò omnipotens, & nullius egens, ſi quando vult, tanquam inſtrumentis quibuſdam vti ad exigenda ſupplicia, non valida eligit,* Philo. l. 1. de vit. Moyſis

git, sed vilia, paruáq; ; atq; ita noxios plectit. Quod tunc etiam Ægyptijs accidit. Quid enim sciniphe vilius? Tamen tantum effecit, vt tota Ægyptus deficiens, exclamare cogeretur: Hunc esse Dei digitum: manus enim eius, ne à tota quidem terra, quanta, quanta est, immo nec à mundo vniuerso sustineri posset. Hæc Philo.

§. XII.

Ranarum quanta fuerit in Ægypto plaga?

Phil. loc. cit.

Qui etiam, ne quis à paruis paruam molestiam oriri duntaxat existimet, secundam Ægypti plagam ita describit. *Vix Aaron manum extenderat, cùm ranarum tanta vis prorepsit, vt non solùm fora complerent, ac loca subdiualia; verùm & domos, & villas, & cuncta ædificia tam sacra, quam profana; tam priuata, quàm publica; haud secus ac si genus hoc aquatilium missum esset in diuersi elementi coloniam; natura mutante rerum vicissitudines. Terra quippe contraria est aquæ. Itaque cùm nec foras progredi possent homines, vijs oppletis, nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, & ad summas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam desperationẽ redacti sunt.* Nullus igitur fuit sensus, qui à vilissima hac bestia

beſtia non miſerè infeſtaretur. In oculis aſpicientium ſpina erat tam immenſa vis, multitudo, & deformis figura, ora vſque ad aures diducentium, ventréſq; trahentium ranarum. Auribus Ægyptiorum nulla quies erat, à continuis earum clamoribus, cùm velut de choro ad chorum identidem moleſtiſſimè coaxarent: & velut cachinnantes populum illum irriderent. Guſtui quoque cruciatum maximum pepererunt. Nam ijs refertus erat fluuius, vt aqua inde non, niſi ſanie ranarum vitiata, hauriri poſſet, immorientibus earum pleriſque, atque putreſcentibus. Quin & domeſticum victum fœdabant, in eſculentis atque poculentis nuſquam non repertæ, quæ omnia conſpurcabant & corrumpebant, teſte Ioſepho: Odoratum verò teterrimo fœtore, quem exhalabãt vel mortuæ ac putentes, vel viuæ, turpi limo, è quo enaſcebantur, & in quem reſoluebantur, plenæ, per omnia cubilia paſſim oberrantes. Quas tangere etiam abominabile erat, cùm præſertim plurimæ earum noxiæ eſſent ac venenatæ, neque fœdarent tantùm contaminarentúe tangentes, ſed etiam inficerent.

§. XIII.

§. XIII.

A ranis homines ciuitatibus expulsi.

Fuit sanè id tum diuinæ omnipotentiæ miraculum, in Ægypto: sed etiam extra Ægyptum, absq; miraculo, nonnunquam integræ vastatæ sunt ciuitates, populique toti per ranarum importunitatem, patrijs natiuísque sedibus exterminati. *Heraclides Lembus libro vigesimo primo historiarum narrat, in Paeonia & Dardania, tantam vim ranarum è cælo delapsam, vt publicas vias, priuatásque domos implerent: primis autem diebus incolas passim eas occidisse, ædibúsque occlusis, aliquandiu patienter eam molestiam pertulisse. Sed cùm nihil proficerent, domesticaq; supellex illis tota obtegeretur, ac cum cibarijs elixas assasq; ranas offenderent, aquarum erepta commoditate; &, quia coacernatis illis non erat pedem vbi ponerent, mortuarum odore ad extremum vexati patriam deseruerunt.* Plinius quoque Varronem laudat auctorem, à quo proditum sit, à ranis, quandam, in Gallia, pulsam esse ciuitatem. Quin & Paulus Orosius memorat, Cassandro, post mortem Alexandri Magni, Macedoniam tenente, Abderitas, intoleranda ranarum multitudine, patrio solo exacto

Apud Athenæum lib. 8.

Plin. l. 8. nat. hist. c. 29. Paul. Oros. l. 3. c. vlt.

exactos, & antiquis sedibus expulsos; nouas in Macedonia sedes à Cassandro petijsse. Hæc talia indicant, à paruis non parua sæpe supplicia in homines erumpere, si, quod magnitudini deest, multitudine compensetur. Tanto etiam manifestiùs potentiæ suæ maiestatem DEVS aperit, quanto, per res paruas, maiora legitur perpetrauisse.

§. XIV.

Qualibus muscis Ægyptij fuerint exagitati?

Quamobrem etiam in ipsis sese muscis mirabilem declarat. Qui potuisset plus quàm duodecim legiones Angelorum, cõtra Pharaonem mittere; is ait: *Ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum: & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra, in qua fuerint.* *Omne genus muscarum*, ait, quarum aliæ sunt communes; aliæ virides & fœtentes, quædam valde crassæ & sonantes; aliquæ è mortuis aquis generatæ; nonnullæ jumenta maximè inuadunt infestántque; quædam etiam morsu virulentæ. Qua de caussa S. Hieronymus existimat LXX. interpretes non vertisse κυνομυίαν, id est, *Cani-*

Exod. 8. 21.

S. Hieronym. ep. 135. ad Suniam &

Fretellã. Exod. 8. Ps. 77. & Psal. 104.

Caninam muscã, sed κυνομυίαν, id est, cõmunem muscam, vt omne muscarũ genus cõprehendit. Sed licet LXX. interpretes tribus locis verterint κυνομυίαν, *Caninam muscam*, nõ idcirco alia muscarum genera excluserunt; sed *caninam muscã* potiùs nominare voluerunt, quòd ea, propter insignem audaciam, violentiam, & molestiam tantò memorabilior, quãto odiosior esset: quippe quæ pertinaciùs inhæret acriúsq; mordet. Itaque hæc plaga, vt Philo scribit,

Philo l. 1. de vita Moysis.

fuit per animal omnium audacissimum, cynomyiam, cui veram appellationem imposuerunt periti nominum, vt erant sapientissimi, compositam videlicet è duabus impudentissimis animantibus, muscæ & cane: altera vincente omnes volucres temeritate; altero omnes terrestres quadrupedes. Accurrunt enim intrepidè; & si quis arceat, non cedunt peruicaciter, donec satientur carnibus & sanguine. Ac cynomyia particeps amborum audaciæ, & mordax, & insidiosum animal est. Nam è longinquo, intelligit morem, magno impetu aduolat, infixaq; cutí, hæret pertinaciter. Tunc verò diris exagitata, multò erant molestiores, vltra natiuam sitim sanguinis, armatæ diuinitus, ad vltionem contra homines impios.

§. XV.

§. XV.

Ob muscarum metum, Ethnicos muscarum Deos exagitasse.

Grauitas huius pœnæ, non è molestia tantùm & vexatione, sed etiam ex pernicie & effectu, exemplísque potest æstimari. Hinc Aegyptij Ibes suas, contra serpentiũ aduentum, & Elei Myiagron (sicut Olympij Myioden) deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, inuocauerunt. Quale etiam, teste S. Hieronymo, *Beelzebub idolum est Accaron, sic vocatum, in quarto Regum volumine, quasi dicas, Idolum muscæ. Principem autem dæmoniorum, ex spurcissimi animalis vocabulo appellabant Iudæi, quod musca dicitur, propter immunditiam, quæ exterminat suauitatem olei.* Hebræi odio & detestatione Accaronitarum, qui illis diu infesti fuerunt, principem dæmonum, Beelzebub, solebant vocare, eadem scilicet voce, qua illi summum suum deum nominauerunt. Nominarunt autem sic, vel quia illum ad muscarum calamitatem auertendam inuocauerunt; vel quia multo victimarum sanguine illud Idolum aspersum, semper muscis plenum, obsidebatur. Tanti fiebat ab illis gentibus muscarum vexatio,

Plin. l. 10. nat. hist. cap. 28.

S. Hieronym. in cap. 10. Matth.

vt ad eam auerruncandam proprium Numen destinandum judicarent: rectiùs facturi, si verum Numen non offendissent, quod muscas scelerum vltrices excitauit.

§. XVI.

Apum in furem furor.

Fortunat. Presb. in vita S. Medardi. & Sur. tom. 3.

Sed in exemplis, quà sacris, quà profanis videamus, quid muscæ possint. Inter quas & apes computantur, & vespæ, & crabrones, & deniq; minorum gentium examina. De apibus illud tradit Fortunatus presbyter. S. Medardi Ecclesia, inter ruris opes, apum aluearia habebat, ea nocturnus fur rapacissimis manibus tollebat. Apes, etsi alioqui, in tenebris, quietæ, tamen vbi lauernionem senserunt, facto agmine, nebulonem aggressæ in fugam verterunt. Neque contentæ, eum à stationibus suis repulisse, fugientem aculeatis stimulis sauciantes pertinacissimè sunt prosecutæ, nec à puncturis antè destiterunt, quàm reus plagis vndique tumidus, & apibus, toto corpore, circumseptus, ad ipsum D. Medardum, nolens volens peruenisset. Itaque ad sancti pedes supplex prouolutus, crimen fatetur, veniam precatur, opem flagitat. Non sunt ad ignoscendum difficiles

les Diui. Quare & Medardus facilè veniam dedit efflagitanti, manuq; extensa, vt Episcoporum mos est, & signo crucis ducto, absolutionem, benedictionemque impertijt. Mira res. Eadem cærimonia Præsul & crimen aboleuit, & abegit apes. quæ illico, homine relicto, ad aluearia sua redierunt. Ita in apibus diuina justitia suppliciũ furanti constituit, & quid Sanctorum virtus posset, demonstrauit.

§. XVII.

Apum in vrbibus defendendis potentiam.

Demonstrarunt & homines sęculi, tam exigua messe mortalium potentiam, vt etiã toti exercitus possint vel ab apibus profligari. *Verum enim* est, vt Ammianus Marcellinus ait, *quòd in distinctis necessitatibus nihil tam leue sit, quod non interdum etiam, contra sperata, rerum afferat momenta magnarum.* Ita Themiscyrenses, contra oppugnationem Luculli, se defendisse testatur Appianus Alexandrinus. *Pars exercitus, contra Themiscyrenses turribus vtebatur & aggeribus, & cuniculos tam amplos fodiebant, vt in eis pugnæ committerentur subterraneæ. Hos oppidani supernè aperiebant, & per foramina demittebant in operarios vr-*

Appian. Alex. de bello Mithridatico.

sas, aliásq; bestias, & apum examina. Quod si ad vrsas potiùs irritandas, quàm ad expellendos hostes apes hîc seruijsse putentur ; memoriæ tradidit Iouianus Pontanus, cùm rex Vicarum oppidum occupare constituisset, primóque impetu, vallo eruto, fossam transgressi milites, alij muros missilibus oppugnare, alij scalas applicare cœpissent; oppidanos, quanquam repentino regis aduentu perculsos, nihilo tamen segniùs armatos, subitò, in muro apparuisse, ac transilire conantes lapidibus repulisse. Cùm autem regij acriùs instarent, nec à muro repelli possent, complura apum aluearia, quæ fortè paulò antè ex agris, metu hostium, intra castellum, congesserant in muros, arrepta in hostes deuoluerunt. quorum fragore irritatæ apes, cùm circumuolarent, non solùm os atque oculos oppugnantium incessebant, verùm etiam sese armis, & interioribus tunicis inferentes, eos maiore quadam molestia, & malo afficiebant. Atque hoc modo, sese, & oppidum diu tutatos esse, donec vi maiore, subrutis mœnibus, in deditionem venirent. Consimilia de apibus plura leguntur apud Oſor. l. 8. de reb. Nam & Hieronymus Osorius scribit, in Afri-

Iouian. Pontan. de gestis regis Alphonsi I.

Africana expeditione, Barrigâ, Lusitanorum duce, Xiatimēses fortissimè oppugnāte, reque ad vltimum discrimen adducta, innumerabilia aluearia apum, quibus abundabant, incensa atque è mœnibus fuisse præcipitata. Itaque Lusitani & aluearium flammis ambusti, & apum aculeis stimulati, receptui canere, & oppugnationem deserere coacti sunt. Idem aiunt Turcis, in Hungaria, & Episcopi Agriensis ditione, contigisse. Si homines, aluearia in castra, & apes in milites conuertere possunt; cur non & Deus eiuscemodi acie vtatur, quam natura spiculis armauit? Africis & Indicis. Phil. Camerar. cent. 1. Hor. subsec. cap. 8.

§. XVIII.

Crabronibus & vespis, quos fugârit Deus?

Enimuerò vtitur, & vsus est. Quippe de vespis & crabronibus, sacer codex ita loquitur, immo in eo, ad Israëlitas, Deus, hostes eorum de terra promissionis eiecturus: *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumq; inimicorum tuorum, coram te, terga verta: emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas.* Per crabrones igitur hostes in fugam ver- Exod. 23. 27.

tit. Sed & occidit, & latentes, veluti per venaticos canes, indagauit. Hoc promittens, ait: *Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gẽtes istæ, quàm ego, quomodo potero delere eos? noli metuere, sed recordare, quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptijs, plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & signa atq; portenta, manumq; robustam & extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus; sic faciet cunctis populis, quos metuis. Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint.* Quod se feciſſe, absq; illorum labore alibi affirmat: *Misi ante vos crabrones, & ejeci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorũ, non in gladio, nec in arcu tuo.* Cur autem crabronibus ac vespis vsus sit ad puniendum, misericordiæ fuit opus, vt alio loco indicatur; vbi scriptura recensitis nefarijs sacrificijs ac cædibus, alijsq; flagitijs incolarũ terræ illius, ostendit, meritò fuisse puniendos, & addit: *Sed & his, tanquam hominibus, pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras, in bello, subijcere impios justis, aut bestijs sævis, aut verbo duro simul exter-*

Deuter. 7. 17.

Iosue. 24. 2.

Sapi. 12. 8.

mina-

minare: ſed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ. In Chriſtianis quoque hiſtorijs Sapores rex Perſarum, à Niſibis vrbis, quam nonnulli Antiochiam Migdoniæ vocãt, ab obſidione crabronum & culicum copijs plus quàm militaribus repulſus eſt. Quod inopinatum auxilium S. Iacobi Niſibienſis Epiſcopi precibus attributum eſt. Nimirum Deo & Diuis non opus eſt ferro; non fundis Baleáricis, non machinis grandibus; neque indiget magnis bellatoribus, aut validis rebus, viliſſima animalia poteſt contra hoſtes ſuos armare. Quoties iratus claſſicum canit, toties omnes creaturæ in armis præſto ſunt.

Theodoret. in Eccl. hiſt. li. 2. c. 30.

§. XIX.

De muſcis S. Narciſci ſacrilegos punientibus.

Hinc eſt, quod per Iſaiam minitans ait: *Et erit, in die illa: Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur, & venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuerſis foraminibus.* Vſque adeò nullum tam eſt exiguum animal, quod non poſſit hominis ſuperbiam compeſcere, Cõ-

Iſa. 7. 18.

ditore Deo robur illi addente, vel frænum laxante. Ille, si vult, ex elephante muscam, ex musca verè facit elephantem. Narrat Baronius ex Annalibus Hispanorum, Anno Seruatoris 1286. Carolum Siciliæ, & Philippum Francorum reges bellum fecisse Petro regi Aragonum, in eoque bello Gerundam cepisse. Ibi milites victoria insolentes, vi templis illata, ausi sunt sacrilegis manibus D. Narcisci patroni & tutoris illius vrbis sacrum tumulum inuadere, &, vt spolia legerent, diripere. Nemo putet, mortuos impunè violari, præsertim Sanctos, pro quibus Deus pugnat. Igitur & tunc, è D. Narcisci sepulchro repentè eruperunt tota muscarum examina, magnitudinis & formæ antehac inauditæ: vt & aspectu terrerent, & nocerent morsu. Nam muscę, magno impetu, quâ data porta, sese effuderunt, & in obuios milites vndique, furiosissimè inuolantes, eos venenatis aculeis ita conuulnerarunt, vt, intra paucos dies, hominum plus quadraginta, & equorum plus viginti quatuor millia ea pestis absumpserit. Quin etiam Petrus ipse Aragonum rex, in epistola ad Sanchium Castellę regem data, scribit equos, ad qua-

Surita. li. 4. cap. 69. Baron. in Martyrolog. ad 18. Martij.

dragin-

draginta millia perijsse. Neq; multò post rex ipse Galliæ mortuus est Perpiniani. Ex hoc diuino sacrilegorum militum supplicio, MVSCÆ S. NARCISCI in prouerbium abierunt. Quia autem hoc miraculosè contigit, simile quiddam accidit Seuero Imperatori, in expeditione contra Atrenos, vt docet Herodianus. Obsessi enim à Seuerianis, non solùm sagittis lapidibusque, sese audacter defenderunt; sed etiã vasa fictilia, volucribus quibusdam, venenatisq; bestijs oppleta deuoluêre; quæ cùm aut in oculos inuolarent, aut in detectas corporis partes sensim obreperent, grauissimè singulos sauciauerunt. Deniq; si quis vult nosse maxima damna etiam à minoribus bestijs in homines corriuata, meminerit Anium scribere, veterẽ vrbem, ad Volsiensem lacum, *Contenebram* appellari solitam, à formicis deletam, & locum illum vulgò *Castrum formicarum* fuisse nominatum.

Herodiã, lib. 3.

Anius in Quæstionibus de Tuscia.

§. XX.

Non mirandum, homines à bestijs vexari, cùm ipsi irritent Deum.

Ex his intelligi potest, vti Deum animalibus terræ aliquando, ad scelerum vindictam, non solùm justè, verùm etiam

clementer. Quare miri nihil est, bestias quasdam & molestas esse hominib⁹, & pernicioſas. Homines Deo molesti esse non verentur, & molestia ipsi nulla volunt afſici? Nec enim sine causſa Isaias ait: *Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo?* Illud itaq; magis mirandum est, tã insanæ homines esse audaciæ, vt Deo molesti esse non vereantur; quem vel in minimis bestiolis experiuntur, tam multa, immò innumera habere instrumenta, per quę injurias suas de nobis vlciſcatur. Túne, contra omnipotentem, superbis, Pharao? Tu Eliſéum irrides, pusille, qui prætextam nondum posuisti? Tu cælo minaris Nabuchodonoſor? Tu rapinis, cædibus, adulterijs, odijs inueteratis, blaſphemijs, contumelijs ad iram prouocas Dominum Vniuersi, miſerande peccator? O quantis te periculis, quanto aduersario obijcis? Non sustinebis, si vel muscam contra te excitet, qui contra te potest omnes armare creaturas. Si te erigis, tot aduersus te habiturus est aduocatos, tot procuratores, tot pugnatores, quot sunt in aëre volucres, in mari pisces, animalia in terris. Quid tumes, ô stul-

ô ſtulte? culex poteſt eſſe carnifex tuus. Quid te effers, Phariſæe? muſca poteſt te occidere. Quid te jactas, Thraſo? crabronem aut veſpam non potes pati circa aures tuas ſonantem; quo modo fremitus Inferni, & Auernales belluas, in Orco ſuſtinebis?

CAPVT XVI.

Quàm bonam Deus ſuis, & in Ægypto, & in Palæſtina, terram aſſignârit ſeruis?

§. I.

Cur, in bona terra, mala bonis miſceantur?

TErræ ſpinas & tribulos, noxiáſque homini è Paradiſo exulanti beſtias parientis, aut alentis incommoda, vel non eſſe tanta, quanta rudes fingunt, vel juſtis de cauſſis euenire, dixi vſque, ſuperque, quàm ſatis eſt. Reſtat, vt de terra ipſa diſſeramus. Quam ſanè, ſicut omnia Conditoris noſtri opera, bonam eſſe, nemo dubitat, niſi malus. Nam præter ea, quæ ſuprà commemorauimus, multa alia beneficia illius expendunt, qui Cyceonem ebiberunt, & ex ciſta Cereris ſumpſerunt, vt dici ſolet; hoc eſt, qui illotis

tis manibus & pedibus ad hæc sacra non veniunt. Equidem cùm terram non vbique sibi similem, sed alibi siccam & arenosam, alibi irriguam; & (sicut in corpore animalis alibi carnem, ossa alibi) esse alibi mollem, alibi lapidosam oporteat; hinc *non omnis fert omnia tellus.* Est itaque vna fertilior, feliciorque, quàm altera. Sed nō perinde vtile est, homines ac agros discriminare. Viuunt passim mali & scabris saxis cædendi, permixti bonis, & bona terra dignis; vt hi ab illis accipiant patientiæ ac virtutis occasionem. Non igitur debent terris separari; sed sapientissimè, & justus Iob in terra Hus, & odio dignus Esau in fertili solo Chanaan permittitur habitare. Quippe & mali in loco bono, mali; & boni, in loco malo, boni esse possunt. Hæc est

Matth. 5. 45. bonitas Dei, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.* Quia mala malis sunt in admonitionem,

Matth. 6. 2. 5. 16. Luc. 16. 25. bonis in ansam merendi: bona autem bonis in stimulum; malis in præmium; qui, si quid boni gerunt, in hac vita, accipiunt mercedem, sicut Abraham de epulone affirmauit. Quæ idcirco memori mente tenenda sunt, ne quis offendatur, si videat aut

sterit

ſterilem juſti agrum, aut fertilem impij glebam.

§. II.

Charis de bona terra proſpici.

Quanquam, vbi res fert, neque in hoc ſuorum obliuiſcatur cæleſtis Pater. Et quędam eſt Paradiſi imago, ſi homines cum locorum amœnitate conſentiant. Hac de cauſſa, quiſquis alteri optimè vult, in optimo quoq; eum vult eſſe loco. Amauerat Ioſephum, & Ioſephi cauſſa patrem ac fratres eius: *Dixit itaq; rex ad Ioſeph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te. Terra Ægypti in conſpectu tuo eſt: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Geſſen. Ioſeph verò patri & fratribus ſuis dedit poſſeſſionem in Ægypto, in optimo terræ loco, Rameſſes, vt præceperat Pharao.* Gen. 47. 5.

Quod peculiari Dei erga Iſraëlitas cura factum ſacra monſtrat hiſtoria, cùm fratribus ſuis dixerit Ioſeph: *Pro ſalute veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. Biennium enim eſt, quòd cœpit fames eſſe in terra: & adhuc quinq; anni reſtant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmiſit q; me Deus, vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuendum habere poſſitis. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Gen. 45. 5. Dum ergo

ergo cogitaret ſcelerum ſummus vindex, fame plectere mortales reliquos, quodammodo ſolicitus fuit de ſeruis ſuis; certè terram illis proſpexit, in qua, ceteris alibi inedia pereuntibus, alerentur; & quidem terram optimam.

§. III.

Terræ ſanctæ bonitas & amplitudo.

Quod poſtea longè apparuit manifeſtiùs, quando in eadem terra, tyrañica ſeruitute afflicti gemuerunt. Ait enim ſe deſcendiſſe Deus, vt liberaret populum Hebræũ, & educeret *de terra illa, in terram bonam, & ſpatioſam, in terram, quæ fluit lacte & melle; ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Iebuſæi.* Cuius beneficij magnitudinem ex ſequentibus poſſumus æſtimare argumentis. 1. Quia conſceleratas illas gentes, ea terra indignas judicauit; quas (etſi ſine omni culpa potuiſſet inde eijcere, tanquam ſupremus Dominus) in flagitiorum pœnam ex illa regione ſuſtulit. 2. Quia ex anguſta habitatione, eduxit eos in terram Chanaan, quæ cum terra Geſſen comparata fuit *ſpatioſa*. Quamuis enim eam S. Hieronymus *a Dan vſq; Berſabee, vix centum ſexaginta milliarium in longum*

Exod. 3, 8.

S. Hieronym. ep.

longum ſpatio tendi putet, latitudinis verò, qua ab Ioppe maritima vrbe, vſque ad Bethlehem extendebatur, non ampliùs quadraginta ſex milliaria habitabilis fuerit (vlteriora enim inculta fuêre) tamen Hecatæus Abderita, cum Alexandro Magno nutritus, & cum Ptolomæo Lagi commoratus, ita ſcripſit: *Penè decies trecenta millia jugera terrarum optimarum, vberrimæ prouinciæ poßidere noſcũtur* (Iudæi) *Iudæa namq; eſt huius amplitudinis.* Eſt autem jugerum, ſpatium terræ, quantum vno die arari poteſt vno jugo boum: & longitudo eius eſt ducentorum quadraginta pedum, latitudo centum viginti. In hoc ſpatio cùm habitare potuerint ſeptem gentes, multò, quàm Hebræi erant, numeroſiores, meritò terra illa Hebræis promiſſa appellari potuit *ſpatioſa*; de cuius anguſtijs nunquam ſunt queſti. Quanquã & hanc ipſam regionem ſe vſque ad Euphratem propagaturum promiſerat Deus, ſi illi ita creſcerent, & in diuino cultu legumq; obſeruantia perſeuerarent. Quod & Dauidis ac Salomonis ætate factum. His enim regibus omnis Syria, aliæq; regiones vſq; ad Euphratem ſub tributo ſeruierunt. Et, tem-

129. ad Dardan.

Apud Ioſeph. li. 1. contr. Apionem,

Gen. 15.

2. Reg. 8. & 3. Reg. 4.

pore

pore Dauidis, inuẽta sunt quindecies centena millia bellatorum. Multitudo autem bellatorum, in prouincia aliqua, censetur, tanquam quarta pars totius multitudinis hominum: præcipuè apud Hebræos, qui, nisi à viginti annis, & supra, non conscribebantur ad militiam, exceptis omnibus junioribus, & feminis, quarum plures sibi conjugio copulabant Hebræi, & ijs, qui ob senilem ætatem ad bellum idonei non erant. Quod si igitur tanta Iudæorũ multitudo, in tam angusta regione, lautè viuere potuit, necesse est, terram fertilissimam extitisse. Quod magis confirmatur; quia ante Hebræos, longè ibi plures vixerunt, quando adhuc septem ibi gentes diuersæ habitauerunt. Gentes porrò septem ibi priùs habitasse, etsi varijs de caussis alibi plures, alibi pauciores, in diuinis litteris nominẽtur, rectè ostendit Pererius.

Perer. in c. 3. Exod. disp. 10.

Perer. in c. 3. Exod. disp. 10.

§. IV.

Fertilitas terræ S. diuinis litteris tradita.

3. Beneficium huius terræ Israëlitis à Deo datæ demonstrat eximia eius fertilitas. Quam licet Strabo, tanquam loco, intra sexaginta stadia, circa Ierusalem (quam Iosephus totius Iudææ optimam fuisse

Strabo. lib. 16.

fuiſſe affirmat) petroſo, arido, & ſterili neget; Scriptura tamen, & luculenti alij authores prædicant. Quid enim aliud ille loquendi modus ſignificat, quo terra illa lacte & melle fluens nominatur; quàm vberrima paſcua, quibus ingens lactiferorũ animalium copia aleretur? & abundantiã florum, odoriferarum herbarum, & arborum, quæ idoneæ ſunt ad mellificandum? Cuius indicium eſt, quòd non in ſaltibus duntaxat, & cauis arboribus, ſed paſſim etiam in foraminibus petrarum apes cubilia ſua mellariáq; collocârint; &, velut ad aluearia, examina earum, longa vua, ad rupium cauernas conſederint. Hoc eſt, quod dicitur: *Vt ſugeret mel de petra* De ſiluis autem, quæ apiarijs abundabant, hiſtoria Ionathæ, teſtis eſt. *Ingreſſus eſt populus ſaltum, & apparuit fluens mel, nullúſque applicuit manum ad os ſuum: timebat enim populus juramentum. Porrò Ionathas non audierat, cùm adjuraret pater eius populum: extenditq; ſummitatẽ virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius.* Terræ huius vbertatis teſtimonium attulerant etiam exploratores

Deuter. 32.

1. Reg. 14. 26.

verbis, & rebus. verbis, cùm Moysi dicerent: *Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest.* Ita enim re quoque ipsa & oculis testati sunt, quanta esset bonitas terræ, quando abscissum palmitem, cum vua sua, vix duo viri, in vecte apportauerunt. Sed nullo alio disertiùs loco Scriptura terram sanctam depingit, quàm

Denter. 8. vbi ait: *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, & aquarum, & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi: terram frumenti, hordei, ac vinearum: in qua ficus, & mala granata, & oliueta nascuntur, terram olei ac mellis. Vbi, absque vlla penuria, comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur: vt, cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi.*

§. V.

Fertilitas terræ sanctæ à Iosepho descripta.

Hæc ex oraculis sacris. Meminerunt & alij scriptores, atq; in primis Iosephus, in Iudæa natus, & educatus, Iudæus ipse, & cum dignitate ac imperio in ea regione versa-

versatus, qui sui temporis (fuit autem Christo coæuus) fertilitatem, hunc in modum, describit. *Iudææ natura talis est, vt videre liceat campos magnos, & frugum, & fructuum feracissimos: qui collati ad aliam terram, admodum vberes videri possent: Quod si ad Ierichuntinum, vel Hierosolymitanum agrum conferantur, iam non magni pretij videbuntur. Cùm hi tamen agri parui sint, & bona ex parte montani. Sed quantum ad fertilitatem attinet, nullis alijs secundi.* Ioseph. lib. 5. Antiquit.

De agri verò Ierichuntini vbertate, hæc alio loco tradit: *Optimos habet Paradisos; palmarumq; irriguarum genera tam sapore, quàm nominibus varia: quarũ pinguissimæ, calcibus pressæ, plurimum mellis emittunt, non multò deterius alio melle. Quanquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium: itemq; cyprum, & myrobalanum gignit. Ergo qui diuinum esse illum tractum dixerit, nequaquam errauerit. Quippe ibi & larga, & optima generantur, quæ sunt carissima. Sed nec in alijs ei fructibus aliqua facilè, toto orbe, regio certauerit: adeò multiplicatum, quod fatum est, reddit.* Idem l. 3. de bell. Iud.

§. VI.

Fertilitas terræ sanctæ, ab Aristea prædicata.

Iosepho consentit antiquior author Hecatæus, Alexandri Magni æqualis; qui testatur, optimæ terræ decies trecenta millia iugera Iudæos possediſſe. Sed cōpiosius hanc glebæ felicitatē describit Aristæas, is ipſe, qui historiam de translatione Scripturæ, per ſeptuaginta duos interpretes conſcripsit; & illos ex Iudæa in Ægyptum ad regem Philadelphum perduxit, vt proinde meritò, & huius calami authoritas ſit magna. Sic ſcribit. *Regio eorum constitit ex arboribus oliuarum, & ferax omnis generis frumenti, & leguminum. Ad hæc vineis, & mellificio abundat. Palmæ verò, & aliæ fructiferæ arbores sunt innumerabiles, apud ipſos. Item jumenta & pecora omnis generis multa, & pascua vberrima. Præterea immensa copia aromatum, & lapidum pretioſorum, & auri importatur eò, per Arabes. Nam regio ad cultum, & negotiationem est idonea, & ciuitates abundat arcibus, nō deeſt ei quidquam eorum, quæ mari aduehi ſolent, cùm habeat portus opportunos. qui abundè ſuppeditent res, & Aſcalona, & Ioppa, & Gaza, ſimiliter etiam Ptolemaïdis*

maidis. In horum locorum quasi medio sita est ipsa ciuitas, per se ipsa abundè habens omnia; cùm sit irrigua vndiq; aquis, & ad magnam securitatem munita. Nam Iordanis fluuius ille perennis circumfluit ipsam, in se ab antiquo continentem non minùs aruorum, quàm sex millia myriadum. Deinde ex vicinia sexaginta myriades hominum in ipsam peruenerunt, qui singuli possessionem centum jugerum agri sunt consecuti. Fluuius autem, perinde, vt Nilus, circa tempus exundans, multum terræ irrigat. Sic agros laudat Aristæas, qui Iordane prętexuntur, & olim à Deo illis dati sunt, pro quibus religio, cultus diuinus, & virtus, æquitas, innocentia steterunt.

§. VII.

Fertilitas terræ sanctæ à Brochardo narrata.

Sed addo his testem Brochardum, quem etiam Pererius tanto magis æstimat, quia non solùm, ante trecentos annos, postquã Iudæa sub imperium Saracenorũ subjecta est, vixit; sed etiam totum decennium consumpsit in ea regione diligentissimè perlustrãda. Is ergo Brochardus oculatus testis, terræ sanctæ nobilitatem his coloribus depinxit. *Non est credendum quibusdam contrarium nunciantibus; neq; enim eã diligenter*

Benedict. Perer in c. 3. Exod. disp. 11.

Brochard in lib. de

terra sãct. part. 2. cap. 1.

considerarunt. His oculis vidi, quanta fertilitate terra benedicta fructificat: frumentum enim vix terra exculta, sine stercore & fimo, mirabiliter crescit & multiplicatur. Agri sunt velut horti, in quibus feniculum, salvia, ruta, rosa passim crescunt. Ibi bombyx affluit, cannamelæ abundant, ex quibus saccharũ extrahitur. Sunt ibi cedri, citri, limones, anarangi, suauissimi & optimi odoris; qui per anni circulum, continuè seruantur in arboribus. Sunt & quædã poma citrina magna, ex quibus electuaria pretiosa valde conficiuntur. Sunt & fructus dicti poma Paradisi, penitus admirabiles. Porrò hæc crescunt in modum botri vuæ; & est botrus ille interdũ magnus, vt cophinus, seu sporta: habet grana interdum centum, & nonnunquam plura in modum vuæ: sunt autem longa, ad quantitatem sex digitorum; & nonnunquam sphærica ad quantitatem oui gallinæ; saporis verò delicatissimi, & dulcis, vt est mel. Grana intus semen non habent, sed tota eorum substantia comestibilis est. Fructus iste vix vno anno crescit, & maturatur. Arbor citò deficit: est enim eius periodus trium annorum, vt plurimùm: qua inarescente, alia ex radice prodire incipit: & hac iterum posita arescente, procedit tertia, & sic deinceps. Folia eius

eius arboris longa sunt instar hominis staturæ: lata vsque adeò, vt duo totum hominem contegant. Vinum terræ sanctæ pretiosum valde est, & suaue, præcipuè circa Bethlehem, & nonnullibi eadem vitis, ter, in anno, fert vuas, & maturat omnes, suo tempore. Ficus, malogranata, oleum, mel, pepones, citruli Babylonici, & omnium generum legumina, & frumentum optimum, in terra sancta, optimè colliguntur. Panem adeò sapidum & delicatum non comedi, qualem in Hierusalem. Sues siluestres, lepores, capreoli, damæ, perdices, coturnices, quãtum ibi abundent, penè est incredibile dictu. Plurimùm est ibi leonum & vrsorũ, aliarumq; ferarum; camelorum autem incredibilis multitudo, quorum ego in vno genere pascentium vidi tria millia, pluresq; etiam dromedarios. Vidi vnicornios. Denique illic extant omnia mundi bona; & verè terra illa fluit riuis lactis & mellis.

§. VIII.

E terra sancta, eiectos hostes Dei, vt amici Dei eam haberent; quam & ipsam meliorem vel deteriorem habuerũt, prout ipsi meliores vel deteriores fuerunt.

Quis non putet eiuscemodi verbis describi Paradisum? Quis terram talem,

non judicet diuinæ promissioni conueni-
entem? In qua non nisi Numinis serui &
amici digni fuerunt habitare: hostes au-
tem Dei ac scelerati idololatræ meritò in-
de sunt exturbati; & rursum, commerenti-
bus Iudæis, Saraceni intromissi. Sub quib⁹,
cùm eadem extiterit fertilitas, intelligi-
mus eam fertilitatem è soli bonitate cæ-
liqúe naturali benignitate; non autem,
præter naturæ ordinem, atque prodigiosè,
profluxisse. Quare, nec amisso Paradiso,
terra spinas & tribulos germinans illibe-
raliter est aspernanda; quæ adhuc faciem
tam amœnam retinet; & hominibus, tan-
quam mater, præbet alimenta. Vt proinde
contemnenda sint sellulariorum oppro-
bramenta, ex plebeia fæce, contra terram,
tanquam nouercam, ausu sacerrimo voci-
ferantia. Nouerint illi, se terrę filios, agnó-
cant suam vilitatem, & cælo se submit-
tant, omnia, quæ illis necessaria sunt ad
vitam, submittentur. Si insolescunt, meri-
tò illis pabulum subducit mundi Rector,
sicut equo ferocienti. Qua de caussa etiam
in ipsa terra illa lactea, & mellea regione
diuina prouidentia, singulari judicio, Isra-
elitis, quando Deum coluerunt, & man-
data

data eius religiosè obſeruarunt, paulò ante commemoratam vbertatem abundantiùs indulſit, & auxit. Quòd ſi verò à religione ad idololatriam prolapſi, diuinas leges inſuper habuerunt, ſceleroſamque cœperunt agitare vitam; ex ipſa illa terræ vbertate ſubtracta, per ſterilitatem, eis oſtendit, ſteriles illos eſſe ad virtutem pietatemque exercendam. *Si obedieritis mandatis meis, ait Dominus; dabo pluuiam terræ veſtræ temporaneam, & ſerotinam; vt colligatis frumentum & vinum, & oleum, fœnúmque ex agris, ad paſcenda jumenta, & vt ipſi commedatis ac ſaturemini. Cauete, ne recedatis a Domino, ſeruiatisq; dijs alienis, & adoretis eos; iratusq; Dominus claudat cælum, & pluuiæ non deſcendant, nec terra det germen ſuum, pereatisq; velociter de terra optima, quã daturus eſt vobis.* Et rurſum. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias, temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſq; pauore habitabitis in terra veſtra. Comedetis vetuſtiſſima veterum, &*

Deuter. 11. 13.

Leuit. 26. 3.

vetera, nouis ſuperuenientibus, proijcietis. Si autem non obedieritis mihi, dabo vobis cælum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam. Consumetur in caſſum labor veſter; non proferet terra germen, nec arbores poma præbebũt. Peculiaris hæc Dei prouidentia & compenſatio, inde quoque, ſtupenda ratione eluxit: quia, ne ſoliciti eſſent Hebræi in annum octauum, & penuriam metuerent, eò quòd anno ſeptimo terram colere, vetarentur, annus ſextus triplicatos fructus produxit. Clarè id indicant verba ſacra. Quòd ſi dixeritis; *Quid comedemus, anno ſeptimo, ſi non ſeuerimus, neq; collegerimus fruges noſtras? Dabo benedictionem meam vobis in anno ſexto, & faciet fructum trium annorum: ſeretisq;, anno octauo, & comedetis veteres fruges uſq; ad nonum annum: donec noua naſcantur, edetis vetera.*

Leuit. 25. 20.

Hoc tam admirabile Dei beneficium, declarauit, quàm nihil negligatur in temporalibus, ſi Deo non ſubducatur, quod Dei eſt. Sed & rurſus, quia hoc eodem beneficio, tempore Machabæorum, priuati fuerũt Iudæi, patuit, terram diuino ſe nutui, hominumque moribus accommodare. Facta eſt enim deterior, poſtquam & Iudæi facti ſunt deteriores.

Machab; 6.

§. IX.

§ IX.

Meritò Deum vel dare, vel negare terræ fructus.

1. Diſce hinc, ô querule, qui oracula ex coquina, non cortina fundis; diſce digito impietatem compeſcere labiorum, & de terra non quiritari, Tu canem inutilem non alis, & te ſeruũ inutilem alat Deus? qui non es dignus, quem terra ſuſtineat, terra vt tibi delicias faciat, cupis? Ingrato beneficium ſecundum negandum exiſtimas; & à tuo Creatore beneficium exigis centies repeti, poſtquam centies ei, pro bono, malum repoſuiſti? Audire vis, quid dicat? *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Quo eum ſenſu eſſe, debere exiſtimas? *Dic mihi*, ait S. Ambroſius, *num ſi aliquid de tuo cuicunq; largiris, expectas, vt tibi gratias agat, vt benedicat domum, de qua ei humanitas ſit tributa? Qui ſi fortè gratias non agit, quemadmodum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat, qui nos paſcit, Deus, vt pro præſtitis ab eo eſcis illi gratias referamus, & ſaturi, donis ipſius laudes ei dicamus. Ceterùm ſi accipientes diuina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum ſubminiſtratio-*

Iſa. 1. 2.

S. Ambroſ. ſerm. 42.

stratione fraudabimur. Vide ergo, mi homo, qui pro crastino solicitus dicis: *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?* vide, quid sit agendum, & à magno Magistro disce modum hæc acquirendi: *Quærite*, ait, *primùm regnum Dei, & justitiam eius; & hæc omnia adjicientur vobis.* Si regnum, si religionem, si Ecclesiã, si cultum & honorem Dei; si non fucatam illam mundi, sed veram Dei justitiam quæreretis, vbique esset terra benedicta; scit enim Pater vester cælestis, vos his indigere. Cur illis vineas vitibus, vites vuis impleat, qui se vino ita implent, vt dubites, hominésne sint, an ambulantia, aut titubantia hominum simulachra? qui vino abutuntur ad ebrietatem, ad insaniã, ad rixas & pugnas, ad cædes & lanienas, more Thracum? qui potitant, vt ructent, vt blasphement, vt incestu se inquinent? vt Sodomam & Gomorrham secum circumportent? Nam *ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius; & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Quis medicus, non subducit ægro nocitura? Desperat de eo, cui concedit, quod perimit. Si ergo Deus suos libe-

Matth. 6. 31.

Ezech. 16. 49.

liberaliter paſcit, paternè facit; ſi parciùs tractat inimicos, juſtè facit; iratiſſimus eſt, ſi ſinit impios omnium rerum copia abundare. Quis fertilitate agrorum dignum arbitretur eum, qui plauſtra manipulis onerat, & ſequentem, poſt meſſores, Ruth ſpicas legere prohibet, quibus ſinum impleat? Meretúrne ille granaria frumenti aceruis referta habere, qui ſedenti ante fores Lazaro panis micas negat? Aliter boni vtuntur bonis. Vt dent accipiunt, non vt habeant. Ita bonam glebam imitantur. Quippe, vt S. Ambroſius ait: *Humanitatis exempla ipſa terra ſuggerit, ſpontaneos fructus miniſtrat, quos non ſeneris: multiplicatũ quoq; reddit, quod acceperit.* Iubet hoc terræ exemplum ſequi ipſe Chriſtus, cùm ait: *Date, & dabitur vobis.* Atque hoc eſt primum, quod S. Terræ fertilitas docet.

S. Ambroſ. li. 1. Offic. c. 31

Luc. 6. 38.

§. X.

Terra ſancta & benedicta potiſſimùm à ſanguine olim Chriſti.

2. Diſce, terrenam illam Iudææ vbertatem, quæ partim à loci genio, partim etiã à ſingulari Numinis prouidentia illi obuenit, longè maioris figuram fuiſſe benedictionis, à qua verè ſancta fuit appellata.

Dixit

Gen. 4. 10. Dixit olim ad fratricidam Cain Deus: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, nõ dabit tibi fructus ſuos.* In terra ſancta occiſus eſt, ab ijs, quos fratres eſſe ſuos voluit Chriſtus, alter Abel, verus ouium paſtor; cuius vt ſanguinem ſuſciperet, aperuit terra ſæpius os ſuũ. Suſcepit, cùm circumcideretur; cùm ſudor eius fieret, *ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram;* cùm virgis flagriſque cæderetur; cùm ſpinis contextum ſertum ſacratiſſimo illius capiti imprimeretur; cùm grauiſſimũ crucis truncum ſaucijs & exulceratis humeris impoſitum, per ſaxis aſperas vias, ad montem Caluariæ traheret; tunc enim, velut è botro in torculari preſſo, ſanguis vndiq; è tuberibus illius prorupit, & plateas purpura ſignauit. Suſcepit denique ſanguinem illius terra, & cùm concreta vulneribus tunica, per ſacrilegos lictores, à virgineo illius corpore, barbara immanitate reuelleretur; & tum potiſſimè, cùm clauis grandibus manus pedeſq; diuini perfunderentur; quin & cùm lancea latus illius

Luc. 2. 21. Luc. 22. 43.

iam

iam extincti tranſuerberaretur. *Vox ſanguinis* Abel ad Deũ *de terra* clamauit; *Vindicta, vindicta*! quam vocem ſecuta eſt altera illa vox: *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinẽ fratris tui de manu tua.* Quid clamauit vox ſanguinis Chriſti ad Deum Patrem de terra? *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* Et quia illa fuit hoſtia pro peccatis noſtris, ſanguis ille identidẽ clamat ad Deum: *Miſericordia, Miſericordia.* Quemadmodum panni ergo muricis ſanguine tincti pretium ingens trahunt; ita terra illa, Seruatoris ſanguine tam copioſo imbuta irrigataq́; , facta eſt ſancta, & benedicta, oſtróque, in oculis Dei, pulcherrimo nobilitata. Hinc fructum tulit, & multiplicem, & longè, terrenis illis Palæſtinæ fructibus, excellentiorem. Magni æſtimatur balſamũ, è terra ſancta, allatũ, adhibetur enim vtiliſſimè à vulnerarijs, ad plagas, vt coaleſcant. Nullius balſami præſtantia poteſt, cum Chriſti ſanguine ſatis comparari. Nam hoc ſanata eſt lethalis plaga toti generi humano impoſita. Hoc perfuſæ ipſæ alioqui immortales hominũ animæ, ad vitam ſpiritualem, ad Numinis

Luc. 23. 34.

gra-

gratiam, ad cæleſtis hæredij jus ſunt reuocatæ.

§. XI.

Quanti homines pij terram ſanctam fecerint, Chriſti contactu benedictam?

Hinc tanti terra illa, à pijs Chriſtianis, ſemper eſt æſtimata, vt ad eam viſendam, venerandámque, ex toto terrarum orbe, proficiſcerentur. Si enim Marathonius campus, ob taurum à Theſeo ibi ſuperatum, aut ob Miltiadis victoriam gloriámque frequenti ſpectantium cõcurſu eſt celebratus; cur non eò confluant mortales, vbi cælum, cum Orco; Deus cum diabolo conflixit, & totius generis humani capitalem hoſtem profligauit? Immò tanta fuit antiquorum Chriſtianorum, erga eam terram, in qua Chriſtus eſt cõuerſatus, paſſus, & ſepultus, pietas, vt eam magnis templorum ædificiorúmque molibus illuſtrárint; & vel tenuem puluiſculum inde ſumptum, magno honore, domum reportárint. Nec magno honore tantùm, ſed etiam magno emolumento. Quippe & corporibus ſanandis, & locis ſpectro infeſtis, Furiáque Auernali liberandis is puluis profuit. Siquidem ex illa terra, aqua admixta, formam conſue-

Cic. 4. Tuſcul. Strabo. lib. 9.

conſueuiſſe tortulas quaſdã, eaſdémque, per diuerſas mundi partes, tranſmitti ſolitas, ad morbos curandos, aliáſque diuinas gratias impartiendas, teſtatur D. Gregorius Turonenſis. Terram certè ſepulchro Domini propinquam, è Chriſti corpore ibi collocato, eam virtutem hauſiſſe, conſtat, vt eam peregrini cupidiſſimè, ad morborum curationes, fugationéſque dæmonum, inde ſolerent auferre. Magnus & locuples teſtis id confirmat D. Auguſtinus, ita de Heſperio viro tribunitio loquens: *Acceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam de Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus, die tertio, reſurrexit; eamq; ſuſpenderat, in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At vbi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutiùs in cubiculo ſuo, reuerentiæ cauſſa, habere nolebat. Fortè accidit, vt ego, & collega meus Epiſcopus Sinicenſis Eccleſiæ Maximinus in proximo eſſemus; vt veniremus, rogauit, & venimus; cumq; nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atq; ibi orationum locus fieret, vbi etiam poſſent Chriſtiani, ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari.* Vide, mi Lector, an non terra

S. Greg. Turon. de glor. mart. c. 7.

S. Auguſtin. li. 22. de ciuit. Dei. c. 8.

illa verè sancta, vereq; sit benedicta? quam diuina bonitas, non inquilinis dedit duntaxat, sed etiam largita est peregrinis.

§. XII.

Terram benedictam, non solùm Christi, sed etiam Matris eius figuram extitisse.

Quemadmodum etiam aliam terram benedictam, cuius illa pariter figura fuit: nempe illam, cui dictum est: *Benedicta tu* Luc. 1. 28. *in mulieribus*; itemque: *Benedicta tu inter* & v. 42. *mulieres, & benedictus fructus vētris tui.* Nulla vnquam terra fuit fertilior, quàm quæ protulit, de radice Iesse, IESVM Nazarenū, *floridum* illum, & florem omnipotentem, florem sidera, mundique regna omnia odore suo recreantem: *& plenitudo à fructibus illius.* Quippe cùm & in escam sit, & Eccli. 1. 20. in medicinam. Qua de caussa, *Medicinam* Cæsar. inquit Cæsarius, *B. Virginis nihil est efficacius, nihil est salubrius. Nec mirum, ipsa medicum genuit, ipsa medicinam generis humani* lib. 5. c 15. *ex se produxit. Vnde scriptum est: Germinet* Gen. 1. *terra herbam virentem, secundùm genus suum, id est, Maria Christum hominem, qui animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est.* Eccli. 38. *Item expressiùs in Ecclesiastico; Altissimus de terra creauit medicinam, id est, ex carne Vir-*

gine

ginis Mariæ Saluatorem. Ieſus interpretatur Saluator, *ſiue* Salutare; *quia Saluator medicus, & ſalutare medicina eſt. Quòd Maria terra ſit, teſtis eſt Iſaias, qui dicit: Aperiatur terra, & germinet Saluatorẽ. Quòd de hac terra ſit, idẽ Propheta dixit, in perſona Patris: Ego Dominus creaui illum. Et Apoſtolus dicit, eum factum ex muliere. Quid ergo mirum, ſi apud ipſam ſunt medicamenta ſanitatum, quæ hortus eſt aromatum? Conſidera Rupem Amatoris* (templum eſt) *& alia loca in honorem ipſius dicata, & non miraberis, ſi parata fuerit ad medendum, & efficax ad ſanandum.* Eiuſcemodi templa nomine Dei Matris ſacrata paſſim ſunt in Bauaria, & tota Germania; vt de Laureto & Italia, Gallia, Hiſpania nihil dicam; in quibus terra ipſa & locus, diuinam quandam virtutem accepit, ſanandi morbos, pellendi ſpiritus immundos, varijſq; malis preſſos leuandi, vt meritò poſſit terra benedicta, terraque ſancta nominari, à terra illa promiſſionis multis retrò ſeculis ſignificata. Quamobrem eximium mortalibus beneficium à Deo datũ eſt, in illa terra, quæ fuit benedicta fructuũ vbertate, Chriſti ſanctitate, Matris Chriſti imagine; quin & repræſentatione cæleſtis

Iſa. 45.

Gal. 3.

Cant. 6.

stis patriæ, quæ est terra viuentium, terra benedicta, terra promissionis, terra sancta & Sanctorum. Hæc *aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter*, vt Tertullianus loquitur, Conditorem traducunt, quasi homines è Paradiso transuenas, omnes ad Caucasum relegârit.

Tertullian lib. de cult. femin.

CAPVT XVII.

Etiam alias terras bonis, & laborem non fugientibus bonas esse.

§. I.

Sapientissimè factum esse, vt non omnia sint in vno loco.

Esse ita, vti diximus, indubitatè fatebuntur, quicunq; diuinis literis credunt. Sed obijcient, Non esse omnem terram *sanctam*, neq; omnem posse, ab ea felicitate, vocari *benedictam*: Vt igitur, inter hirundinem & luscinian, ita & inter terram & terram discrimẽ magnum interuenire. Aliter enim vitam in Tibure, aliter in Sardinia agitari. Saxosos esse, plurimis in locis, agros; arida prata, solum sterile; paludosos campos; arenosas regiones; irrito labore in cautibus seminari. Et ibi quoque, vbi pinguis est gleba, nihil

nihil sponte prouenire. Denique omnem messis spem sudoribus irrigandam. Nimirum omnis querela, aut impatiens est, aut stuporata. Stupidæ enim mentis est, omnia ab vno loco exigere. Alibi Ceres, alibi Bacchus; alibi panis, vinum alibi quærendum est. Neq; spicas de vinea vellere, neque vbi seminatum est triticum, racemationem facere oportet. *Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Alia alibi feliciùs proueniunt, vt commercijs sit locus, & caussa humanæ societatis. Nemo foris emeret, si omnia domi nascerentur. Et, vt videas, omnia prodesse, ipsa etiam saxa aliunde aduehuntur. Tu alteri pannum mittis, vt corpus vestiat; alter tibi columnas mittit, quibus domum fulcias. Sic tibi lana, illi lapides, immò vtraque vtrique prosunt. Rusticus è pago lac & butyrum fert in vrbem; ex vrbe refert instrumenta agriculturę. Vtiliter igitur aliquid deest in vno loco, vt id, quod supereſt, ad alterum locũ exportet, & amicitiam gignat necessitas commeandi. Matth. 7. 16.

§. II.

Terram malam multis vtilem & gratam; bonam noxiam fuisse.

At hæc sudore constant? &, vt dicitur, dij omnia laboribus vendunt? Hoc primus noster parens nobis meruit, cui dictum est;

Gen. 3. 17. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vescêris pane.* Culpam sequitur pœna. Sed pœna vtilis, quia labore parta vitam sustentant; immò & pœna leuis, quia multis labor est jucundus, cùm ignauia naturæ aduersetur; & homini

Iob. 5. 7. nihil tristius sit, quàm otio torpere. *Homo* enim *nascitur ad laborem*, sicut *auis ad volatum*. Quia igitur, vt S. Hieronymus ait,

S. Hieronym. ep. 13. ad Paulinum. *Nihil sine magno labore vita dedit mortalibus*, & hoc ipsum homini natura suaue, vtileque facit, & deses cibo indignus censetur,

2. Thess. 3. 10. juxta illud: *Si quis non vult operari, nec manducet*, non solùm mirandum non est, si non sint vbiq; Elysij campi, aut Thessalica Tempe, sed etiam inter diuinæ prouidentiæ beneficia numerari potest, si quibusdam Deus sterilitate loci offert occasionem laborandi. Quin & plurimi Sanctorum deliberatis consilijs, loca aspera, atque inculta elegerunt; vt ibi virtus tantò securiùs regnaret; vbi nec terra, nec homines possent luxuriare.

riare. Sic vixerunt illi, *quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ.* Hebr. 11. 38. Sic in Ægypto deserta loca coluerunt discipuli S. Marci Euangelistæ. Sic eorum posteri & imitatores Eremitæ. Sic S. Bruno ab Vgone Episcopo Gratianopolitano montes totius Diœcesis asperrimos, quos Carthusianos appellant, impetrauit habitandos. Nimirũ ad sidera seriò tendentibus aspera in vias vertuntur. Quemadmodum etiam ad Tartara currentibus via expeditior est, per pascua pinguia. Plerumq; enim vbi magna rerum, ibi non parua scelerũ est abundantia. *Hinc felix illa Campania*, ait Plinius, *ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis, succo, per omnes terras, inclyto, atq; vt veteres dixêre, summum Liberi patris cum Cerere certamen.* Plin. li. 3. cap. 5. Quid in ista tam beata regione creuit? Lolium. Vt enim felicitatis comes solet esse superbia, ita ausa est Capua cum Campania de principatu certare; adeò vt Campana arrogantia in prouerbiũ venerit; & ex intoleranda ferocia, teste Tullio, ad inertissimum ac desidiosissimum otiũ perducta sit. Nam, neruis vrbis omnibus exectis, vrbs ipsa soluta ac delicijs Cic. in orat. pro Rullo.

Cic. in orat. ad senat. post reditum.

debilitata est. *Qui locus*, vt ait idem, alio loco, *propter vbertatem agrorum, abundantiamq; rerum omnium superbiam & crudelitatem genuisse dicitur.* Immò luxuries Annibalem ipsum Capuæ corrupit, & exercitū illius effæminauit. Adeò quem non potuit ferrum emollire, quem nulla vis telorum frangere, nec fortissimus hostis quiuit fatigare, succubuit amœnitate terræ superatus. Quamobrem prouide olim monuit

Deuter. 8. 11.

legislator ille: *Obserua, & caue, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque judicia, & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie: ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habueris q; armenta boum, & ouium greges, argenti & auri copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui.* Itaq; adeò inter mala non est numeranda mala terra, vt etiam beneficium; & terra fœcunditate nobilis, præcipitium virtutis esse possit, induceréque in Dei obliuionem.

§. III.

Bonos è mala terra bonam; malos etiam è bona malam facere.

Quanquam nec illud mihi propositum

est,

est, retractare, quod suprà dixi, Paradisum, terram Gessen, & regionem Chanaan, à beneuolente Deo Hebræis esse consignata. Multis Deus dicit, quod Isaac dixit ad Iacob: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.* At dixit Isaac etiã ad Esau: *in pinguedine terræ, & rore cæli desuper erit benedictio tua.* Pari pacto Deus nunc malis, nunc bonis bonã; & non rarò etiam bonis & malis malam largitur terram. Bonâ boni vtuntur, mali abutuntur. Ex mala boni bonam faciunt; mali ostendunt se malos. Quo pacto ait Salomon: *Per agrũ hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ;* quas aratro contundere debuisset; vt agrum subactum fimoque saturatum in fructum educeret. Sed *de stercore boum lapidatus est piger*, qui cùm haberet, vnde agros pingues redderet, maluit inopiam pati. Siquidem *omnis piger, semper in egestate est.* Ast homo sedulus, in sterili solo, demonstrat, industriam remedium esse sterilitatis. Et, quia, vt Serenus Abbas, apud Cassianum, ait, *Nulla virtus sine labore perficitur*, homo sedulus eâdem operâ & virtutem aratro, & agrũ exercet: inde diues, vnde desidiosi egestatem patiuntur.

Gen. 27. 28.

Ib. v. 39.

Prou. 24. 30.

Prou. 10. 5.

Prou. 20. 4.

Cassian. collat. 7. cap. 6.

§. IV.

Quid labor in terra colenda efficiat, fabula historijsq; docetur.

Rusticus plures liberos, quàm nummos habebat. Morti vicinus omnes cõuocauit, eosque circa lectum flentes ita affatus est. Ego, ô mei charissimi, à diuturno labore tandem vocor ad quietem. Antè igitur, quàm à vobis in terram abeo, hęreditatem vobis vestram indicabo. Nec verbis multis vtar. Nam in vnica quidem vinea, tamen thesaurum vobis relinquo. Dixit, & vixit. Filij à funere vix regressi, vertere pala cespites, offringere glebã, sarrire terram, & totam adeò vndiq; circumfodere vineam cœperunt, vt thesaurum reperirent. Sed thesaurum quidem non inuenientes, vineã fertilem fecerunt, quæ illis, magni instar thesauri, fuit. Plinius, postquam Manij Curij retulit dictum: *pernicioſum intelligi ciuem, cui ſeptem jugera non eſſent ſatis,* itémque postquam addidit: *Hæc autem menſura plebei, poſt exactos reges, aſſignata eſt,* hanc quæstionem subjunxit: *Quænam ergo tanta vbertatis cauſſa erat?* & respondet: *Ipſorum tunc manibus Imperatorũ colebantur agri) vt fas eſt credere) gaudente terra vomere laurea-*

Plin. nat. hist. l. 18. cap. 3.

to, & triumphali aratore, sive illi eâdem curâ semina tractabant, qua bella, eâdemq; diligentiâ arua disponebant, qua castra: sive honestis manibus omnia latiùs proueniunt, quoniam & curiosiùs fiunt. Serentem inuenerunt dati honores Serranum, vnde cognomen. Aranti quatuor sua jugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato viator attulit dictaturam, & quidem, vt traditur, nudo, plenoq; pulueris etiamnum ore. Cui viator, vela corpus, inquit, vt proferam Senatus populiq; Romani mandata. Ab his non inuita, nec indignè ferens, aut surda colebatur tellus. Immò olim de cultura agri præcipere, principale fuit. *Siquidem & reges fecêre, Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus; & duces, Xenophon, & Pœnus etiam Mago.* Quin & M. Cato, D. Syllanus, M. Varro, qui octogesimum primum vitæ annum agens, de ea re prodendum putauit. Catonis oraculum est: *In re rustica operæ ne parcas.* Qui etiam inter prima spectari jubet, *vt operariorum copia prope sit.* Vt ager sit *bene ædificatus & cultus.* Nihil enim est damnosius deserto agro. *Idémque Cato interrogatus, quis esset certissimus quæstus, respondit. Si bene pascas. Quis proximus? si mediocriter pascas. In-*

Idē ibid.

Idem c. 5.

de

Idem c.6. *de illa reliqua oracula: Nequam agricolam esse, quisquis emeret, quod præstare ei fundus posset: Malum patrem familias, quisquis interdiu faceret quod noctu posset, nisi in tempestate cæli. Peiorem, qui, profestis diebus, ageret, quod feriatis deberet* (Nimis hoc Ethnicum præceptum seruant, quidam Christiani rustici, sacrum omne lucro postponentes) *Pessimum qui sereno die, sub tecto potiùs operaretur, quam in agro.*

§. V.

Prodigiosus fructus, in labore C. Furij Cresini ostensus.

Plin. loc. cit. *Nequeo mihi temperare, quo minus vnum exemplum antiquitatis afferam, ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuisse, qualiter defendi soliti sint illi viri. C. Furius Cresinus è seruitute liberatus, cùm in paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in inuidia magna erat, eu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quamobrem à Sp. Albino curuli, die dicta, metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (vt ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramen-*

ta

ta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos. Postea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere, lucubrationes meas, vigiliasq; & sudores. Omnium sententijs absolutus itaq; est. Profectò, operâ, non impensâ, cultura constat. Et ideò maiores fertilissimum, in agro, oculum Domini dixerunt.

§. VI.

Fœcunditas terræ, laboribus prouocanda.

Quæ quia ita sunt, se ipsum de pigritia accusat, quisquis accusat terræ sterilitatem. Non Creantis, sed villicantis culpa est, si ager nihil parit. Non est dignus metere, quisquis non dignatur seminare. Quid Paradisum exigis, homo, vnde exulas? quid terram, clamas, esse maledictam, qui benedictionem ipse repudias? qui ipse, si vis laborare, potes fœcundam facere? Nonne vides segetem? non intelligis abiecti in arua seminis vberem vsuram? *Seritur solummodo granum, sine folliculi veste,* ait Tertullianus, *sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi; exurgit autem copia fæneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu minutum, & vsquequaq; vestitum.* Neque hæc experientia est hodier-

Tertùllian. lib. de resurr. carnis. c. 12.

hodierna duntaxat. A condito orbe terra gignit, & non fatigatur; dat, & nõ exhauritur; expectat aratrum, vt præbeat fructum. Denique, teste S. Ambrosio, *fœneratum restituit, quod acceperit, & vsurarum cumulo multiplicatum. Homines sæpe decipiunt, & ipsa fœneratorem suum sorte defraudant. Terra fidelis manet. Et, si quando non soluerit; si fortè aduersata fuerit, frigoris inclementia, aut nimia siccitas, aut immensa vis imbrium, alio anno, superioris anni damna compensat. Ita & quando prouentus spem destituit agricolæ, nihil terra delinquit; & quando arridet vbertas fœcundæ matris, se partus effundit, vt nunquam vllum dispendium suo inferat creditori.* Nemo itaq; dicat, non esse se in Palæstina; non habitare multos in terra Gessen; nusquam extare ampliùs Paradisum. Palæstina fieret etiam trans Iordanem, si non deessent, qui vellent Iordanem inducere irrigando; aut gnauâ operâ cultuque terram Gessen facere. Deniq; multis vnius jugeris fundus fit Paradisus, qui modico contenti, ferunt laborem, & metunt benedictionem.

S. Ambr. l. 3. Hexaëm. c. 8.

§. VII.

Desidiosis meritò deberi terram desidiosam.

Qui

Qui autem citra arationem citráq; sementem, quod aiunt, volunt pinguescere, meritò esuriunt. Illum terra alit, qui terrã colit. Nam, vt Socrates dixit: *quemadmodum nec mulier sine viro; sic nec bona spes absq; labore quidquam parit.* Viuunt enim homines multi, contenti ijs, quæ sunt ab alijs parata, quod pigri est ingenij, & tantùm fruges consumere nati, ac Dei ope indigni. Quia, vt Sallustius loquitur, *vbi socordiæ atq; ignauiæ te tradideris, nequaquam deos implores: irati infestiq; sunt.* Cum Deo enim manum mouere oportet, qui non vult desides nos esse, atque otiosos. *Nimis homo nihili est, qui piger est.* Qua de caussa Anaxarchus dicebat, si quis alterum audiret imprecantem sibi manus & pedes inutiles, iratum illi, procul dubio, fore: diuites autem, cùm re ipsa manus suas pedesque faciant inutiles, interim ob hoc ipsum se beatos existimare. Nec diuites hoc tantùm agunt, sed plurimi quoque egeni, qui mendicare malunt, quàm laborare; immò esurire potiùs, quàm opera haud esse parci sua. *Abscondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* Quid ergo sequitur? *propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æstate, &*

Stob. serm. 108.

Sallust. in Catilin.

Plaut. Rud.

Stob. serm. de otio.

Prou. 19.

Prou. 20.

non

Prou 27. *non dabitur ei.* Itaque *omnis piger semper in egestate est.* Quod vel Ethnicus agnouit, cuius notum est illud dictum: *Vbi pro labore desidia, pro continentia atq; æquitate libido & superbia inuadunt, fortuna simul cum moribus mutatur.* Quis enim vel hominem eum judicet messe dignum, qui non solùm ipse à labore abhorret, sed etiam industriam in aliis detestatur? Qualis fuit ille Sybarita, qui iter faciens, per agros, cùm videret quosdam fodientes, dixit: *Se spectando illos fodientes ruptura capere.* Quid illi contigisset, si ipse sarculum sumpsisset in manus? non ruptus modò, verùm etiam diruptus fuisset, mediúsq; crepuisset. Quis talibus terram mollem precaretur? quis agrum fæcundum optaret? Si enim ab hominibus, Tullio judice, *cõtemnuntur hi, qui nec sibi, nec aliis prosunt; in quibus, vt dicitur, nullus labor, nulla industria, nulla cura est;* cur Deus desidiosis bona vltro cogatur suppeditare? Cessat terra, quia ipsi cessant. Non igitur illi agrorum, sed agri illorũ inertiã imitantur. Itaq; penes illos culpa est, penes quos est caussa sterilitatis. Non vbiq; frumentum, vbique tamen terra fert emolumentum; etiam ibi, vbi montosa est, nam metal-

Salluſt. in Catil.

Athen. lib. 12.

Cic. in Offic.

metalla fert; aut, si neque ista, saxa præbet, quæ pretijs venduntur, in statuas, aut columnas elaboranda. Deniq; in id varia est terra, vt alibi materiam suppeditet ædificandi, alibi medicinas subministret, alibi jumentis pabulum, alibi hominibus cibum pariat, ac ipsa hac varietate delectet.

§. VIII.

Ob tot terræ beneficia, gratitudinem nostram exigi.

Hac de caussa D. Basilius docens, quocunq; oculos quis circumferat, beneficentiæ fontes semper patentes videre: ad terrã denique aspiciens, affirmat eam hominis pedes pro fulcimento subire, at fructus omnes vni tandem homini gignere. *Nam etsi bestiæ in huius muneris cõmunionem veniunt*, ait, *homini tamen principaliter mensa telluris adornata est. Ideoq; Lyricen Propheta nouit, dum lyram pulsat, producens, inquit, fœnum jumentis, & herbam seruituti hominum. Bestiarum genus alit, & hominis famulitium, quòd eorum alimenta, hominis sint honestamenta.* Idem, in his omnibus plurima Dei beneficia, ac hominis jucundas vtilitates agnoscens, ait, alio loco: *Si quando latius arridet vitæ institutũ, illam depromamus Da-*

S. Basil. orat. 9.

Idẽ Basil. hom. 5.

Pſ. 115. 12. uidis vocem: Quid retribuam Domino, prò omnibus, quæ retribuit mihi? Ex nihilo effecit, vt eſſemus, ac produxit; dono rationis ornauit; inuentum artium ad vitam tuendam gratiudò contulit. E terræ viſceribus alimenta eduxit. In miniſterium dedit omnigenũ pecus. Propter nos imbres, ſol, montana, campeſtriſq; regio pulchrè exculta. Propter nos amnes fluunt; promanant fontium ſcatebræ; mare ad negotiandum naues admittit; è fodinis effodiuntur opes. At quid opus eſt, hæc perſequi? Deus ipſe ſalutis noſtræ cauſſa, inter homines conuerſatus eſt; Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; ſol ipſe juſtitiæ medius eorum factus eſt, qui ſedent in tenebris. Vita ipſa venit ad mortem, mortem autem crucis: ob mortuos reſurrexit; Spiritus S. chariſmata diſtribuit: multiplices coronas promiſit; delicias Paradiſi; regni cæleſtis gloriã; & cetera, quæ numerari nõ queant. meritò vt exclamemus. Quid retribuem? Domino, pro omnibus, quæ retribuit nobis?

CAPVT XVIII.

Varij modi, variæq; cauſſæ, ob quas terræ elementum indolem mutat, & verò, ſuapte natura immobile, tremit.

§. I.

§. I.

Terram variis modis, ob hominum peccata, reddi inutilem.

MAgnum diuinæ beneficentiæ argumentum est terra, cuius muneribus, quia non solùm æquissimum est priuari ignauos, sed multò etiam justius plecti quosdam, qui in ea, in ignominiam Conditoris, viuunt: meritò eadem etiã subinde fit diuinæ justitię & speculum, & instrumentum. In ea enim nonnunquã Numinis ira luculentè apparet. Neque vnus est pet illam puniendi modus. 1. *Terra relinquetur deserta*, ait Prophetes. Vbi nemo habitat, ibi nemo arat, nemo metit. *Quæ incolas habet, regia*, inquit Xenophon, *magni pretij possessio est; eadémque, si ab hominibus deserta sit, etiam commodis ipsis caret.* Terra ergo deserta deserit & ipsa: ac sæpe prę uenit, vt deseratur. Nam 2. Etiam si sint, qui stiuam torqueant, qui vomere, lacunam faciant, qui sulcum imprimant, qui semen jactent; immò qui centum aratris terram vertant, tamen nonnunquam *aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.* 3. Aliquando aquæ penitus nullæ sunt, *si clausum fuerit cælum, & non pluerit, propter pec-*

Isa. 6. 11.

Xenophon. l. 4. de Institut. Cyri.

4. Reg. 2. 19.

3. Reg. 8. 35.

cata mortalium. 4. Aliquando nimiæ sunt, vt computrescant semina; & tantæ, vt terram non rigent, sed mergant: sicut in diluuio accidit. 5. Aliquando imbres frigore concrescunt, vt percutiant: sic fata verberantur, *longiq; perit labor irritus anni*

Gen. 7. 4

Exod. 9. 18. *En pluam cras*, ait, *hac ipsa hora grandinem multam nimis.* 6. Aliquando iam flaua Ceres manus & falcem postulat, cùm noxiæ animantes spem propinquam depopulantur. *Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat; sed comedatur, quod residuum fuerat grandini.* 7. Aliquando ira incensus Deus terram cælestibus flammis vastat. Sic *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhã, sulphur & ignem à Domino de cælo.* Nihil vtique tunc viruit, in illis campis; in quibus vel ipsa poma, etiã hodie, leui pressu, in vagum puluerem fatiscunt. Nec opus est pice; sole potest mundi Gubernator solum exurere: quo jubente, aliàs & præsentia huius astri salubriter calefacit, & absentia vtiliter refrigerat; aliàs siue absens sit, siue præsens, omnia deuenustat; vt vel bustũ fiant, vel obscurum chaos, & facies nocturna; eclipsi lumen eius obuelante.

Exod. 10. 4.

Gen. 19. 24.

Quan-

Quanquam enim ista sæpe suas, etiam in natura caussas habent; falsum est tamen, *nihil horum Deos facere, nec irâ numinum cælum concuti, aut terram*; vt Stoicus præsumere animo jussit. Senec. lib. 6. nat. q. q. c. 3.

§. II.

Terra luce, & fœcunditate orbata.

Apud veteres tragœdos, Atreo Mycenarum rege, Thyesti fratri suo filium epulandũ præbente, fingitur sol, facinoris immanitatem abominatus, radios suos resorbuisse; immò, ne pollueretur, aufugisse. Ita tenebris terras operuisse erubescentem naturam, canunt Poëtæ, qui sibi videbantur irati Dei offensionem grauiùs exprimere, non posse. Nimirum, vt pictor excellens tabulæ à se pictæ cortinam obduxit, ne à sutore, vltra crepidam sapiente, aut alio Momo opus carpente aspiceretur: ita Deus quoque texit olim in Ægypto, nona plaga, terras; &, Filio suo moriente, trium horarum interuallo, cæli lumen extinxit, vt ostenderet, vel naturam pati, vel naturæ authorem; eáq; propter indignos esse mortales, qui lucem, qui orbem, qui orbis Conditorem intuerentur, quem crucifixerunt. Senec. in Thyeste.

Eodem momento dies, ait Tertullianus, *me-* Tertull.

Apol. ad uerſ. Gét. cap. 21.

dium orbem ſignante ſole, ſubducta eſt. Deliquium vtique putauerunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum, non ſciuerunt. Et tamen cum mundi caſum relatum in archiuis veſtris habetis. Scilicet, quia nihil deformius eſt peccato, debebat ea deformitas ſignificari, per terram quoque deformatam. Vt enim lux rebus omnibus videtur colorem gratiámque affundere; ita nox, cum die, aufert omnem terris venuſtatem: &, velut domum, ob funus Principis in luctum conjectam, pullata atraque facit vniuerſa, quæ comprehendit. Ita enim in magnatum aulis, quando ibi Domini cadauer depoſitum baiulos & ſepulchrum expectat, parietes, ſcamna, menſæ, famuli, ipſi etiam currus & equi, triſti nigredine veſtiuntur. Quanquam non lux & color tantùm, ſed & fertilitas, & pulchritudo ipſa terræ adimitur, ſi diuinus Iudex, terrenas, & cæleſtium inanes animas hoc elemento vult plectere. Siquidem circa Sodomam olim omnia mortua, & poſtea etiam ipſius terræ ſanctæ amœnitas, & fœcunditas, vnà cum templo & natione, euanuit; vt tradùt probati authores: adeò vt balſamum ſoli Iudææ à Plinio attributum, nec niſi in Ie-

Plin. l. 12. Nat. hiſt. c. 25. Genebrard. l. 2. chron. in Tito, ex Paulo

richun-

richuntinis viridarijs nasci solitum, in Ægyptum sit translatum, vbi non alia irrigatum aqua crescit, quàm illius fontis, qui B. Virgini Mariæ, Filioque illius scaturijt exulanti. Iouiol. 17. hist.

§. III.

Terra ardoribus exusta, Deo puniente.

Ne quis autem existimet, caligine tantùm, aut luminis subductione, vel siccitate, ac sterilitate terras deformari, deformantur & igne, & motu, quando diuinâ irâ percussæ contremiscunt. Tametsi enim nihil *aliud est in terra tremor, quàm in nube tonitruum; nec hiatus aliud, quàm cùm fulmen erumpit, incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente:* vtitur tamen natura Deus, & in perniciem impiorum frænos laxat elementis. Hinc illa: *Quia dies vltionis Domini, annus retributionis judicij Sion, conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur: & erit terra eius in picem ardentẽ.* Quo pacto Vesuuius mons, teste Eusebio, Anno Christi 83. rupto vertice, tantam flammarum copiam euomuit, vt finitimæ regiones vrbésque, vnà cum hominibus, incensæ fuerint ac desertæ. Circa annum 1135. tantus in Gallia calor, tantáque, Plin. li. 2. nat. hist. cap. 79. Isa. 34. 8. Euseb. An. 83. Vign. An. 82. Palm. An. 1135.

ſiccitas extitit, vt terra ardere, & flammas, cum ingenti populi terrore, emittere inciperet. Quod varijs in locis euenit, igne exuſtis à Deo, quando *aſcendit fumus in ira eius, & ignis a facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Sic ignem igne compenſat. Ardent homines auaritia, ira, odio, libidine: incendunt pauperum caſas, innocentum domos, pagos, ciuitates, contra promiſſa, & fidem datam: hæc incendia, cur incendijs non puniantur? cùm etiam, Politicis legibus, ad rogum damnentur, qui domum alterius malitiosè inflammauerunt.

Robert. An. 1137. Pſal. 17. 9.

§. IV.

Terræ motus & hiatus à Deo irato.

Nec minus terrificum eſt, quod præcedit. *Commota eſt, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt; quoniam iratus eſt eis.* Vt enim omittã naturales terræ motuum cauſſas, præcipua, cur terræ quatiantur, cauſſa eſt Deus, *quoniam iratus eſt eis.* Non poſſunt quieſcere, qui vehementer iraſcuntur. Vnde & Aſſuerus *rex iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus conſitũ.* Ex quo motu & Aman *intellexit, à rege ſibi præparatum malum.* Concionatores quoque, cùm

Eſther. 7. 7.

volunt

volunt esse vehementissimi, oculos, vultū, manus, brachia huc vertunt & illuc, & totius corporis motu, motum volunt excitare animorum. Ita, Deo irato, mundus concutitur, & ipsa terræ fundamenta contremiscunt. Nec contremiscunt tantùm, sed etiam velut os in rictum diducunt, vt deuorent peccatores, quorum nefaria facinora Numen solent ad iram, & extraordinarias pœnas inferendas, prouocare. Atq; hæc est altera caussa, priùs memoratam antecedens. Sequitur enim culpam pœna. Ob illam fulmen stringit, ob illam terras concutit. Quod legimus, factum, quando Core, Dathan & Abiron, Moysi principatum, Aaroni sacerdotium auferre conati sacrilegam seditionē concitauerunt. Tunc enim *dirupta est terra, sub pedibus eorum: & aperiens os suum deuorauit illos, cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderunt q; viui in Infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Quorum culpam, cùm multi imitētur, mirum est, quòd non formident & pœnam. Inuolant enim in Ecclesiasticam potestatem, libertatem, immunitatem, per fas & nefas, ac, vt suis bonis parcant, hæreditatem Christi dissi-

Num. 16. 31.

pant, deuorantque, quid mirum, si & illos terra deuoret? Omittam Trophonium, qui mox, vbi fratri, ne in cassas Hyriæi lapsus, tanquã ærarij illius compilator, agnosceretur, caput præcidit, eo ipso in loco, tanquam compilator, & fratricida, terræ hausta est hiatu. *Notus humi mersis Amphiarai equis.* Notus Valerius Gonatus, qui cùm secundùm quietem capere se sacerdotis ornamentum vidisset, & in conflictu multos trucidasset, ad patefaciendas somnij honoréque somniantium vanitates, & sacra illotis manibus, affectantium insanias, repentè terrâ absorptus est. Hos secuta est impia illa Furia Vradislai Ducis Bohemorum, quam alij Drahomiram, alij Drabonuciam vocant. Quæ ægrè ferens, maritum ex testamento matri Ludmillæ feminæ integerrimæ regni administrationem, quoad filij adolescerent, reliquisse: immissis satellitibus, socrum strangulauit, Boleslaum filium idololatram, in necem fratris Wenceslai sanctissimi juuenis, inter epulas, armauit, aliáque multa nefanda fecit. Igitur ipsa, indigna quam terra sustineret, non multò post, apud arcem Pragensem, hiatu terræ absorpta interijt, curru ad Pro-

Pausan. in Boeoticis.

Plutarch. de Græcor. & Roman. cõparat.

Æneas Sylu. in hist. Bohem.

serpi-

serpinam vecta, ne tardiùs eò perueniret. Aiunt nonnulli, aurigam eius mirabiliter euasisse. Nam cùm eo loco transiret, vbi Missæ sacrificium mysta peragebat, audiens tintinnabuli sonitu signũ dari, ad Christum in hostia sublimata adorandum, consueta pietate, ex equo desilijt, atq; in sacellum intrauit. Ibi operæ pretium tulit. Nã eo vix ingresso in ædem sacrã, Furia illa moras trahenti aurigæ irata, in abyssum cecidit. Quo tempore, vtique diuinus judex voluit terrâ, velut cribro, triticũ à palea subcernere. Aliàs vno casu inuoluit, qui scelere vno impliciti, sicut delictis juncti fuerunt, ita meruêre etiam supplicio copulari. *Carura, in Phrygiæ Cariæq; confinio vicus diuersoria habuit, & feruentes aquas in Mæandrum exeuntes.* Ibi *fama est, Leonem, cum magno scortorum grege, in diuersorio hospitatum, facto, per noctem, terræ motu, cum omnibus perijsse.* Nimirum Ambubaiæ thermis indigebant, quibus vitæ sordes abluerent; si tamen ablui potuerunt, quæ nimis insederant. Nec Leo, tot flagitijs obrutus, obrui mitiùs debebat. Iacet, apud quas

Idẽ cap. 61. Asiæ.

voluit, non quo voluit, sed quo meruit pacto.

§. V.

§. V.

Terræ motu puniti, etiam illi, qui suæ terræ contenti non fuerunt.

Hæc vel singulos, vel paucos duntaxat pleraque tetigerunt. Pontanus refert, in Hirpinis, grauissimo terræ motu, tota oppida non quassata tantùm, sed etiam funditus euersa. Ea strage, in Samnio, Lucania, atq; illa Campaniæ parte, quæ cis Liris est, ad quatuor & viginti hominum millia ceciderunt. Diodorus memorat, circa Olymp. 78. Spartæ, complures domus magnis terræ motibus concussas, funditus corruisse; supraque viginti millia Spartanorum ruinis obtrita interijsse; ac deinceps assiduè, per longum tempus, vrbe ita terræ motu concussâ, ruentibus ædificijs, multa mortalium corpora cadentium murorum mole obruta expirasse: rerũ etiã opumq;, & supellectilis cuiusq; generis haud exiguã quantitatem soli tremore absumpta. Ex Trogo narratur, cùm Tigranes Armeniæ rex Syriam occupasset, eam crebris terræ motibus fædè vastatam esse. Qua clade centũ septuaginta Syrorum millia multæque vrbes vnà interierunt. Quod prodigiũ mutationem rerum, quæ postea secuta est, portè-

Pontan. de Fortitud. heroic li. 1. cap. 8.

Diodor. li. 11.

Sabell. lib. 3. En. 6.

portendere, aruspices responderunt. Sed videtur potiùs terra nouos incolas auersata, ad eorum aduentum cohorruisse. Qui enim terra non sunt contenti sua, digni fiunt, vt pereant in aliena; quæ sæpe, vt Alexandri equus sessorem, indignum possessorem excutit.

§. VI.

Terræ alio migrantes, vel trementes, etiam prosunt.

Quamuis nonnunquam, terra quoque ipsa ad alios migrat digniores. Quo pacto, in Italia, cùm terra, per quadraginta continuos dies quateretur, villa quædam mota, Anno 1117. ad alium procul dissitum locum transuolauit. Et sæpius ita tellus tremuit vibrauitque. Talis enim motus *abstulit insulas mari, junxitq; terris: Antissam Lesbo, Zephyrium Halicarnasso, Ethusam Mindo, Dromiscon & Pernen Mileto, Narthecusam, Parthenio promontorio.* Aliæ multæ insulæ à Plinio recensentur, loco motæ, vel absorptæ, vel interruptæ haustæque. Quin etiam nascuntur, hoc modo, *terræ ac repentè in aliquo mari emergunt, velut paria secum faciente natura, quæq; hauserit hiatus, alio loco, reddente.* Vsq; adeò etiam prodesse

Ranulph. lib. 7. c. 15.

Plin. l. 2. nat. hist. cap. 89.

Ibid. c. 86.

desse potest terræ tremor, vt terras reddat. Sed nulla maior vtilitas, quàm quòd homines doceat timere Deum terras concutientem. Cùm Christus, in cruce infami interfectus esset, obstupuit natura, *& terra mota est, & petræ sciſſæ sunt, & monumenta aperta sunt*. Non caruit fructu suo motus ille. Siquidem *Centurio, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Verè Filius Dei erat iste*. E terræ motu *docibiles Dei*, Deũ agnoscunt, omnipotentiam illius intelligunt, iram metuunt, de peccato, velut de sepulchro resurgunt. Idcirco enim terram concutit Deus, vt petræ & saxea impiorũ corda scindantur. Quæ si obstinatè pergũt ire in scelera, & Seruatoris contemnere passionem, calcare sanguinem, Dei misericordia indignos faciunt, eiusque sanguinem cogunt in cælum clamare. Quod, apud Moscum, Georgius Abbas, in Palestina vidit, testatusque est, cùm extra ordinem auditus esset eiulare; eò quòd vidisset iratum in sublimi throno Christum, die quodam Iouis sancto, neque à sanctis, neque ab ipsa Matre sua flecti potuisse; ac postea ipso die sancto Veneris, ingenti terræ motu,

Matth. 27. 51.

Moscus Euirat. in Prat. spir. cap. 50.

motu, hora nona, tot vrbes ac populi ceciderunt. Ita passio Christi in salutem data; impijs fit in injuriarum recordationē; Deumque, quem hominibus bonæ voluntatis placat, duris ceruicibus ad iram inflammat; in terrorem sceleratorum. Nam quid alijs fieri possit, exemplum in alijs fecit; quando varia hominum flagitia, horrendis terræ cladibus, vindicauit. Quod enim cælestis Pater fecit terram concutiens, Christo in cruce interfecto; id etiam postea sæpius repetiuit, cùm eundem hæretici è diuinitatis solio deripere conarentur. Tantus & elemento horror, & ipsi Deo inest odium blasphemiarum.

§. VII.

Hæresis Ariana caussa terræ trementis; cuius firmandæ modus, in exemplo docetur.

Anno 343. sub Constantino Imp. Ariano, Neocæsarea vi terræ motûs, mari absorpta; & An. sequenti Rhodus insula penè tota subuersa est: posteroque Dyrrachium totum procubuit. Quin etiam Roma, per triduum, magno cum periculo, tremuit: & duodecim Campaniæ vrbes funditus, eodē impetu, corruerunt. Atque An. 364. cùm moreretur Constantinus Imp. Mopsucrenis, Car. Sigon. lib 5. Imp. Occid.

Eutrop. lib. 11.

nis, magno terræ motu, bona pars Constantinopolis diruta est. Apud authores nō dubitatur, quin Deus, tot terræ motibus, qui acciderunt, sub hoc Imperatore, testatus sit, sibi Arianas blasphemias aduersus Filium Dei omninò displicere. Esse verò in pœnam talia, monstratum fuit, An. secundo Mauritij, juxta Chronicon Sigeberti, quando Antiochia pessumdata est. Vidit enim quidam ex ciuibus vir pius & liberalis, largûsque in erogandis eleemosynis, venerandum senem albo indutum vestimẽto, cum duobus socijs, in vmbilico vrbis stantem, sudariúmque, quod in manibus tenebat, excutientem super mediam ciuitatis partem, quæ subitò cum ædificijs & mœnibus euersa est. Vix autem retineri poterat à duobus socijs, latus stipantibus, quò minùs sudarium super reliquam quoque vrbis partem, quæ incolumis stabat, effunderet. Placatus ergo, postquam hunc ipsum virum ac pium ciuem, blandis verbis fuit consolatus, videri repentè desijt. Qua in re patefactum est, vnde judicij tam metuendi veniret executio; & quid, apud Deum, possint pij deprecatores, quibus, olim Abrahæ, in perdenda Pentapoli, con-

silio-

filiorum suorum & furoris diuini arcana reuelat. *Non fecit taliter omni nationi; & judicia sua non manifestauit eis.* Psal. 147. 8.

§. VIII.

Naturalis prædictio terræ motuum.

Pherecydem narrant, in Scyro insula, sitientem aliquando, aquam à discipulorũ quopiam petijsse: quam cùm bibisset, pronunciasse, terræmotum, post triduum ea in insula futurum. Quod dictum, vt exitus probauit, magnam ille gloriam reportauit. Item, *præclara quædam esse & immortalis in eo (si credimus) diuinitas perhibetur Anaximandro Milesio Physico: quem ferunt Lacedæmonijs prædixisse, vt vrbem ac tecta custodirent: instare enim motum terræ: cùm & vrbs tota eorum corruit, & Taygeti montis magna pars, ad formam puppis eminens, abrupta cladem insuper eã ruina pressit. Quæ si vera sunt*, ait Plinius: *quantum à Deo tandem videri possunt tales distare, dum viuant?* Qui tamen, paulò infrà, ipse docet, & quo modo è puteis, & qua ratione, ex alijs signis, venturi terræ motus cognosci possint. Ait enim: *Nauigantes quoq; sentiunt, non dubia coniectura, sine flatu, intumescente fluctu subito, aut quatiente icti. Intremunt verò & in* Apollon. in hist. mirabili. Plin. li. 2. nat. hist. cap. 79. Idem ib. cap. 81.

nauibus posita, æquè quàm in ædificijs, crepitus & prænunciant. Quin & volucres non impunè sedent. Est & in cælo signum, præcedità motu futuro, aut interdiu, aut paulò post occasum sereno, ceu tenuis linea nubis in longum porrecta spatium. Est & in puteis turbidior aqua, nec sine odoris tædio. Talis ergo & Pherecydis Pythagoræ doctoris cõjectatio fuit, aut esse potuit.

§ IX.

Diuinitus accepta notitia terræ motuum.

Aliâ viâ, Sancti vel præsentem alijs, ipsi absentes, vel futurum terræ motũ cognouêre. Nam, vt tres Angeli Sodomitarum excidium Abrahæ detexerunt; ita suprà memorati tres viri ciui Antiocheno & sudario, tanquam missione mappæ, se signũ erupturæ labi dare, & precibus diuinæ virtutis dictæ manum inijci posse ostenderunt. Zosimas quoque Sindenus, Phœniciæ monachus, miraculis clarus, quamuis procul abesset Antiochia, tamen terræ motum Antiochiæ, qui septimo anno Iustini senioris accidit, sciuit, ac in ipso momento, non per turbidam putei aquam, sed Deo reuelante sensit, subitò enim consternatus, gemebundus, tantúmque lachrymarum fundens, vt ipsam

Gen. 18. 17.

Euagr. l. 7. cap. 4.

ipsam terram rigaret, totoq; illo tempore, quo Antiochia terræ motibus concutiebatur, in terram prostratus Deum placauit. Arcesilao autem quærenti: *Quæ huius subitaneæ tristitiæ esset caussa?* respondit: *Ruentis Antiochiæ fragorem aures suas repleuisse.* Arcesilaus, & qui simul aderant, hæc audientes obstupefacti, horam annotarunt: ac postea diligenti inquisitione, rem sic se habere deprehenderunt. Amor amato etiam secretissima pandit. Quare vel ipse Deus ait: *Num cælare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Hac de caussa etiam compluribus alijs eiuscemodi atroces clades terris instãtes, non per cometem tãtùm, sed alijs quoque portentis ostendit. Narrat Paulus Diaconus, sub Anastasio Imp. quendam militem, non procul ab vrbe Neocæsarea, iter facientem, paulò antè, quàm ea terræ motu concuteretur, in aëre suprà eam duos conspexisse milites, & alterum à tergo clamantem: *Conseruate ædes, in quibus, sepulchrum extat Gregorij* (Thaumaturgi) facto autem terrę motu, maximam partem ciuitatis collapsam, & euersam fuisse, illæsa manente Gregorij domo. Et Sigonius quoque refert, Neocæsarea An. 343. vi terræ

Gen. 18. 17.

Paulus Diacon. lib. 15.

Car. Sigon. li. 5.

Imp. occid. motus mari absumpta, Ecclesiã & Episcopum tantum incolumes extitisse. Nimirũ nouit Dominus, qui sint eius; & potest à tritico zizania separare. Quod quia nec peccatores ignorant, semper metuunt, ne terra sub pedibus eorum discedat, & ad omnes passus trepidant, cùm interea sanæ conscientiæ homo semper animo sit constanti & erecto, nec se deijci sinat, etiamsi *fractus illabatur orbis.*

§. X.

Christianorum templis parcens, Infidelium euertens terræ motus.

Quoniam autem vehementer animat, mortalésque inflammat ad Deum colendum diuinæ protectionis experientia, non omittã apponere, quod de alio terræ motu recensetur, qui An 1509. die 14. Septemb. incipiens, decem & octo continuis diebus, murum Constantinopolitanæ vrbis, qua parte mare spectat, cum omnibus adjacentibus domibus disiecit, & fossas ruderibus impleuit, ac terræ æquauit. Arcem, in qua gazophylacium Imperatoris quinque turribus munitissimis custoditur, & insignis domus, in qua leones, tanquam in viuario nutriuntur, destruxit. Cuniculos, qui per montes

montes, ac longa itinera è Danubio aquas in vrbem inuehunt, maximis & laboribus, & impensis fabricatos, concussit. Sinus autẽ maris inter Constantinopolim & Peram violẽtia terræ motus adeò infremuit, vt in vtramq; ciuitatem mare vltra muros aquã inijceret. Domus tributaria, juxta muros Constantinopolis, in mare tota decidit, vt nullum illic appareret vestigium. Maxima item pars turris plumbeæ, in Pera, corruit. In Callipoli munitissima arx penitus rupta est; neq; vlla domus illic integra mansit, totámque Græciam, ad Danubium vsque hic terræ motus longè latéque peruagatus est. Feruntur Constantinopoli tredecim millia hominum interijsse. In tanta ira suæ misericordiæ recordatus Deus ostẽdit, quid, & quos peteret illa clades. Nam, vt, in mari rubro olim, Israëlitis innoxiè transeuntibus, Ægyptij perierunt; ita & hîc inter sacra & profana magnum discrimen est demonstratum. Mirissimum enim fuit, quòd cùm corruerit sepulchrum Machometi patris Baiazeti, maximis extructũ impensis, multæque Turcorum sacræ (quid sacras voco?) profanę ędes, quas suâ linguâ *Moschetas* vocant, collaberentur; Chri-

stianorum tamen templa illæsa manserint; ingensq; illa Sophiæ ædes nihil mali sense, rit prẽter turrim à Turcis, post captã vrbẽ, templo, in fine, ornatus gratia annexam, quæ tota præcipitata perijt. Sed & illo terræ motu calx & cæmentum, quo beatorum imagines, post captiuitatem vrbis, coopertæ fuerant, ita separatim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte noua iam primùm suo splendori essent redditæ. Hæc mira sunt, & tantò miriora, quia neque à Cuspiniano tacentur. Ostendunt autem, timendum quidem Omnipotentem mundi Rectorem, sed non sine fiducia, ab ijs, qui ad eum, velut sacram anchoram recurrũt.

Prou. 14. 26. *In timore enim Domini fiducia fortitudinis,* ait Salomon. Vos ergo, qui non timetis, Dominum offendere, timete Dominum, punientem, & terras sursum atque deorsum vertentem. Efficax est, in metu, peccati frænum. Sed vos, quibus culpa formidabilior est, quàm pœna, & *qui timetis*, more filiorum, *Dominum, sperate in eum;* quia oculi *Domini ad timentes eum;* & *misericordia*

Eccli. 2. 9.

Ib. 15.

eius, à progenie in progenies timentibus eum.

Luc. 1. 50. Cadent muri, & vos stabitis. Corruent tecta, & vos non tangent. Inter Scyllam &

Cha-

Charybdim, inter ipsas mundi ruinas, incolumes euadetis.

§. XI.

Christi nomen foribus præfixum, in terræ motu profuit.

Hoc multi terræ motus demonstrauerunt; sed luculentissimo prodigio ille, qui, An. Christiano 528. à priore Antiocheno terræ motu tertius fuit numeratus. Etenim, vt Euagrius, ac Nicephorus, ac post eos Baronius, testantur, eadem rursus ciuitas grauioribus motibus agitari, direque admodum concuti cœpit. Cùm autem ea res sit, inter maximè formidanda, ijs tamē magis videtur metuenda, qui timorem nō ex auditu, sed experientia hauserunt. Tremente igitur denuo terra, Antiocheni præteritorum malorum recenti memoria penitus consternati, cùm in humanis nullum supereſſet subsidium, ad diuina patrocinia confugerunt: rati eiusdem esse, *percutere & sanare*. Est sæpe necessitas magistra pietatis. Ea itaque quid hominibus ipsâ terrâ magis trepidantibus suaserit, Nicephorus his, in compendio, verbis refert: *Vnusquisq; ciuium Christi nomen præ foribus inscribens, eo modo terræ motum dispulit; cùm Deus re-*

Euagr. li. 4. ca. 6. Niceph. li. 17. c. 30. Baron. tom. 7. An. 528. num. 22.

ligioso cuidam homini oraculo hæc verba foribus inscribere præcepisset: CHRISTVS NOBISCVM, STATE. Ita, cuius sanguine ac meritis totius mundi salus stetit, steterunt & mœnia, & ædificia pulcherrimæ ciuitatis, ac ipse hominum Redemptor, qui, *die tertia*, vt Tertullianus ait, *concussa repente terra, & mole reuelata, quæ obstruxerat sepulchrum, & custodia pauore disiecta*, resurgens de morte triumphauit, clarè ostendit, *datam sibi omnem potestatem in cælo & in terra.* Quæ potestas magnam nobis fiduciam parit. Cùm enim dixerit: *Ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi*, meritò & foribus, & cordibus nostris inscribimus: CHRISTVS NOBISCVM, STATE. Naues, in fluctibus, anchorâ fulciuntur, ac, ne à portu abripiantur, ad rupem religatæ seruantur. Sic, quassata terra, spes nostra Christus, & portus noster esse debet. Quæ pulchrior esse caussa grauiorque potest; quàm vt terræ motibus moueamur ad Christum quærendum, quem pericula à capitibus nostris depulsa clamant, esse totius naturæ Dominum & Gubernatorem? Quo protegente, multi sancti homines, cùm mente essent in cælo, nõ senserunt, quid fieret in terra.

Tertull. in Apot log. c. 21.

Matth. 18 28.

Ibid. v. 20.

terra. Adeò nonnunquam terra contremiscens, non ex ira magis Numinis contremiscit, quàm in testimonium sanctitatis. Maria Victoria Cęlestinarum virginum fundatrix, adeò, inter diuinas preces absorpta erat, vt legatur, in choro, cum ceteris Deo dicatis Virginibus officio diuino præsens nihil omninò sensisse aut animaduertisse, cùm haud exiguo terræ motu, reliquæ sociæ omnes, & ipsi adeò etiam muri choriq; totus concuterentur. Quod vbi sociæ, finita re diuina, inuicem ingenti trepidatione narrarant, Victoria mirata est, quæsiuitque, quando, & quàm diu id accidisset? Adeò nimirum mens & conuersatio illius in cælo fixa fuit, vt nesciret, quid in terra ageretur. Quàm longè leuiore brachio alij diuina tractant, quos vel mus, vel musca potest ab oratione dimouere?

Ferdinād. Meltio. lib. 2. de vita eius. cap. 10.

§. XII.

Sanctis patientibus, terra motum patitur.

Addam adhuc recentius, quod ex vita P. Marcelli Francisci Mastrilli Hispanicè & Gallicè edita compendio refert Philippus Alegambe. Is Mastrillus, non sine prodigio, à lethali vulnere, per S. Franciscum Xauerium sanatus, ad Indiam atque martyrium

Philipp. Alegambe in Indiæ Martyr. Soc.

Iesu. nũ. CCLVIII. tyrium inuitatus, ardentissimis votis eò contendit. *Incredibiles illi difficultates in itinere Dæmon conciuit; admirandis eum prodigijs seruauit honestauitq; Deus. Clam tandem delatus in Iaponiam, fumi ab igne, quem excitârat, sublati indicio comprehensus, terra contremiscente, Nangasachi dirissimè priùs cruciatus, gladio demum percussus est. Primùm diductis cruribus per cõtortum funem suspensus, capite in aquam demerso, retexente se fune violenter rotatus est. Dein scalis supina facie adalligatus, infusa in faciem magna vi aqua penè suffocatus est. Tum candente ferro virilia vstulatus est; sed inuerecundam barbariem detestatus, aquæ cruciamento rursus admotus est. Demum, prælata mortis caussa, quia fidem per terram venisset prædicatum, jumẽto eductus, catenatus, os densato constrictus lupato, capitis partem dexteram rasus, lauam minio probrosè infectus, capite in scrobem genuum tenus depresso, pedibus suspensus in quartum vsque diem, post illa depositus, tertiò acinace obtruncatus est, die 17. Octobr. ac rursum terra validè intremuit;* martyris scilicet testata sanctitatem, & barbarorum immanitatem

Sur. 5. Febr. detestata. Ita Deo, ad defensionem & offensionem seruit hoc elemẽtum. Quod etiam,

quan-

quando D. Agatha olim fuit tormentis agitata, ita contremuit cohorruítque, vt tota ciuitas Catanensium concuteretur, ac duo muri conciderent, qui Quintiani Prætoris amicissimos duos Siluinum & Falconium ruina oppresserunt; & populum omnem in crudelissimi judicis vindictã excitauerunt. Ita terra Diuam tutata heroicis eius virtutibus applausit; quibus etiam, post mortem obitam, ignis (elementorum potentissimum) est obsecutus. Nam velum, seu cortina de sepulchro eius accepta, flammam vbique repulit, cùm incendijs obtenderetur.

§. XII.

Christi aduentum terræ motu, aliisq; prodigijs confirmatum.

Contra Iudæos, docet Tertullianus, *in primis quærendum, an expectetur noua legis lator, & noui testamenti hæres, & nouorum sacrificiorum sacerdos, & nouæ circumcisionis purgator, & æterni sabbati cultor: qui legem veterem compescat, & nouum testamentum statuat, noua sacrificia offerat, & cerimonias antiquas reprimat, & circumcisionem veterem, cum suo sibi sabbato, compescat, & nouum regnum, quod nõ corrumpatur, adnunciet.* Tertull. lib. 6. aduers. Iudæos. c. 6.

ciet. *Nam etiam nouæ legis lator, sabbati, spiritalis cultor, sacrificiorum æternorum antistes, regni æterni æternus dominator, quærendum an iam venerit, necne;* vel venturus adhuc speretur? E Prophetis omnibus constat, venturum fuisse; nobis certum est, venisse, quia tempora, & modus, & lex noua, & Christi regnum vbique porrectum, & omnia congruunt, quæ prophetæ cecinerunt. Iudæi venisse negant, & tanquam hiantes corui adhuc Messiam suum expectant. Vt ergo & illos doceret, legem Mosaicam, veteresq; ritus, & sacrificia, ac ceremonias esse antiquatas, Christo Seruatori authoritatem cælestis Pater, mirabili terræ motu, alijsque prodigijs seuerè confirmauit. Ita enim Iudæi calcitrones erant capistrandi: qui si frænum morderent, si contra stimulum tenderent; saltem exemplum ad nos instruendos erat transiturum.

§. XIV.

Iudæos à templo restaurando terræ motu, alijsq; magnis prodigijs impeditos esse.

Narrant id complures, ego e Nicephori historia recensebo. Iulianus Imperator, qui, ob desertum Dei vnius, & veræ Ecclesiæ cultum, Apostatæ nomen obtinuit, quan-

Niceph. Callist. l. 10. hist.

tus

tus quantus, ex imis vnguibus ad verticem summum ex impietate concretus, Iudaicæ superstitionis in tantum promotor, in quantum persecutor Christianorum, Hebræis potestatem fecerat, vt, ex prædictione Christi dirutũ, Hierosolymis, templum à fundamentis denuò extruerent, quo stante, Iudaismus stare videbatur. Iudæi, potestate obtenta, velut perrupto aggere torrens, effusi, summo studio, in templi structuram incubuerunt, vt pristinum ritum renouarent, atque cum templo sacrificia Mosaicæ legis restaurarent. Hoc in opere duo acciderunt, quæ ad Christi gloriam illustrandam maximè pertinent. Nam & eius vaticinium ipsi Iudæi impleuerunt, & prodigio ingenti demonstratũ est, non esse consilium contra Dominum, quod habeat successum. Siquidem discipulis Christo ostendentibus *ædificationes templi, ipse respondens dixit illis. Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur.* Cœpit ea Prophetia fieri, Tito & Vespasiano Hierosolymam affligente; impleta est, Iudæis hoc opus aggressis. Stabant adhuc rudera quædam, & saxa templi etiamnum in funda-

Eccles. cap. 32. & 33.

Matth. 24. 1.

fundamentis jacebant, intacta, quia infossa. Hoc solùm deerat, vt ne sub terra quidem *lapis super lapidem relinqueretur*. Iudæi ergo, vt solum penitus repurgarent, omnes veteris structuræ reliquias, ex imis fundamentis, effoderunt. Ita prorsus, ipsorummet operâ, dirutum est, quod in integrum reponere voluerunt, conatu improbis consueto, qui semper, Sisyphi more, in irritum cadit, juxta illud: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Atque hoc primum est, quo Christi prædictio & gloria fuit illustrata. Acceſſit & alterũ maius. Eruderata erant iam omnia, fossisq; grandibus factis, architectationis initium in procinctu videbatur esse. Statuto igitur die, magnis gaudijs, magnâ frequentiâ, magna solennitate, conuenerant, ad designati templi locum Iudæi; nimirum, vt primum fundamentũ, cum pompa & tripudio jaceretur. O spes humanæ! quàm sæpe fallitis? ô consilia hominum, qnoties vobis promittitis, quæ nunquam estis consecutura? ô Principes, quoties palatia magnificè ædificatis, in quibus alij, quàm putatis, habitabunt imò, quę interrupta relinqueti? Nunquam audi-

Psal. 126. 1.

audiuistis, qui dixerint: *Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrũ?* Nunquid gigantes illi, Pelion Ossæ imponere, & in cælum conscendere cogitantes, abjugassere equos, & ab opere incepto desistere debuerunt? Idem Iudæis contigit. Etenim, cùm conuolâssent vndique ad primum templi sui lapidem, cum triumpho, jaciendum, lætitia in luctum cessit, Deo receptui canente. Nam ecce, dũ circumstant, dum inhiant, dum manum machinis applicant, existit repentè adeò vehemens terræ motus, vt terribili concussione, lapides ex ipsis fundamentis ejicerentur, ac, velut tormento acti, magnam stragem ederent, Iudæis, qui vel spectatũ venerant, vel ædificium curaturi erant, vndique dissipatis. Quin & publicæ ædes templo viciniores, fluctuante identidem terra, solutæ atque cum impetu collapsæ, quotquot in eis erant, oppressérunt, domicilium in sepulchrum mutantes, antè tumulati, quàm mortui. Qui autem de vestibulis, aut officinis, aut areis effugere voluerunt, eorum quidam semineces jacuêre, Gen. 11. 3.

cuêre; alij cruribus, vel manibus, vel alijs membris, pro eo atque clades ferè quemque comprehendit, repentino casus impetu fuerunt mutilati. Tam graui plagâ icti non sapuerunt. Vix enim desierat moueri terra, cùm & ipsi quiescere desierunt. Tanta vis est pertinaciæ. Igitur, qui reliqui erant, vt, quod tantopere cupiebant, perficerent, simulque, ne Imperatorem architecturam etiam constitutione vrgentem offenderēt, opus rursum aggressi, nihil pensi habuerunt, quid priùs accidisset. Erant nimirum ex eorum censu, de quibus dici

Isa. 44. 18. poterat: *Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo. Non recogitant in mente sua, neq; cognoscunt, neq; sentiunt:* quorum nonnemo ad eam confessionem adactus

Prou. 23. 35. est, vt diceret: *Verberauerunt me, sed non doluí: traxerunt me, & ego non sensi.* O quàm multi reperiuntur tales, qui non habent aures audiendi, quando vel de cathedra, vel de priuata amicitia monentur? immò nec sentiunt, dum vident alios, ob scelleratam vitam, è medio tolli; aut si vel ipsi graui morbo correpti à Deo moneantur. An tales misericordia digni? an non me-

rentur

rentur à terra absorberi? Certè Iudæi tunc, impedimento tam atroci diuinitus objecto, satis apertè intelligere potuerunt, Deum instituto ab eis operi, Superósque indignari. Ast illi, quasi ad se nihil pertinerent diuinę admonitiones, denuo admota manu, conati sunt, quod perficere nequiuerunt. Cùm enim iterum structuram experirentur, alius ignis ex ipsis fundamentis exiliens, alius de cælo decidens, plures, quàm antea, consumpsit. Sunt qui aiant, iam tum, cùm sacrum locum adirent, flammam illis obuiam, id, quod dictum est, peregisse. Ignis porrò de cælo jactati tanta fuit vis, vt *mallei, scalpra, serræ, secures, asciæ, & quæcunq; ad ædificationem commoda operarij comportauerant, celeriter in cinerem redigerentur.* Quod tale ac tantum incendium, die integro est grassatum. Itaque Iudæi, maximo correpti pauore, vel inuiti Christum verum Deum esse sunt professi. Miraculum extorsit veritatem; sed perfidiam non vicit. Tam dura enim est ceruix Iudaica, vt etiam, post hanc plagam, non saperent, sed in veteri errore suo contumaciſſimè perseuerarent. An non terræ hiatu digni erant isti? an non abyssum merebantur,

bantur, qui moueri se non sinebant, vt crederent, Messiam adueniſſe; cùm vel ipſa terra, in teſtimonium eius, moueretur? *Sed & aliud, quod ad hæc acceſsit, miraculum eos ad fidem non perduxit, quod prioribus & manifeſtius fuit, & admirandum magis. Nam proxima nocte, ſua ſponte, veſtes eorum crucis ſignis, radiorum inſtar conformatis, ſunt conſignatæ. Ita omnes veſtitum, tanquam ſtellis variegatum; & lanifica arte atq; ſolertia diſtinctum habuêre. Quo, illuceſcente die, viſo, eluere & detergere crucis notas conati, nihil egêre.* Quemadmodum autem *crucis notæ* ineluibiles fuêre in veſtibus Iudæorum; ita in manibus pedibúſque, & latere Chriſti, vulnerum nunquam delebuntur cicatrices: *Videbunt, in quẽ tranſfixerunt;* quando *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maieſtate.* Quem ſecundum quoque eius Aduentum mortalibus patefacient inſoliti tremores. Cur enim terra non trepidaret, ſi *virtutes cælorum commouebuntur?* Eſt itaque terræ motus, etiam quædam futuri judicij imago, vtilis ad timorem Domini ac Iudicis, in peccatoribus excitandum. Cuius judicij terrorem, vt vel in vmbra delineemus, non pigebit,

Io. 19. 37.

Matth. 24. 30.

Ibid. v. 29.

pigebit huc apponere recentem & luculētam tragœdiam, politiore calamo narratam, quam nec passim, in Germania nostra, scio haberi, & à multis audiui sæpius desiderari, diuinæ iræ prouidentiæque potens exemplum.

CAPVT XIX.

Ex Congeminato Nuntio, de nouo in vniuersa Calabria terræ motu, à Iulio Cæsare Recupito S. Iesu conscripto, & Neapoli edito 1638. quædam notatu digniora.

REm ita contigisse, vt subijciam, ex Auctoribus fide dignis compertum. Dies intercurrebat Martij mensis vicesimus septimus, qui in sabbatum inciderat, nobilem à palmis appellationem sortitum, ne palmæ sine cædibus forent, mox funestandum. Hora data iam erat prima supra vicesimam, sole ad occasum vergente, quasi luctuosum spectaculum auersaturo: cùm terra repente mota Calabriam tum citeriorem, tum vlteriorem, celeberrimi Neapolitani regni Prouincias, quà concussit, quà diruit: Messana vrbe finitima è damno non exempta, Neapoli non è metu.

I.

Terræ motus non vno tenore ſtragem edidit: ſed alicubi ſæuiùs, clementiùs alibi: diuina, credo, dextra moderatrice, & veluti circumducente cladem.

11. *Hanc in primis paſſa Conſentia, Calabriæ citerioris caput, altera regij magiſtratus ſedes, vrbs nobilitate ciuium, & antiquitate percelebris. Magnificentiùs hîc graſſata calamitas, multæ domus dirutæ, quaſſatæ omnes. Duæ caſtri turres planè ſolo æquatæ. Neq; multò minor in palatio regio jactura. Neq; aut templa fuêre immunia, aut tutiora cœnobia. Turris, Chriſtiano ritu, regia munificentia, ad ingentis Tympani loculamentum extructa, Archiepiſcopalis templi ornamentum, ſupra ædem ſacram decubuit, alamq; diſiecit. Duo prætorea Patrum Franciſcanorum cœnobia corruerunt. Collegium Societatis Ieſu occupauit ruina, quam non multò poſt vetuſtas tuliſſet: tribus tamen cubiculis, quæ firmiora erant, adhuc ſtantibus, ſed rimoſis. Quod vitium in alijs etiam apparet ædibus. Habuit hæc ſuum ruina ſpatium, & terræ motus initio lentior mouit incolas, vt in apertas planities, atq; in loca tutiora profugerent. Viginti vici oppreſſi perièrè, numerus in tanta eius vrbis celebritate peregrinus.*

Vni

Vni tamen fuga mortem aut maturauit, aut intulit. Mercator cùm ad officinæ fores neſcio quid negotij perageret, ac terræ motu obſtrepente, in ampliorem ſe plateam quanta maxima poterat celeritate proriperet, in deciduum parietem incidit: ac magnificarum ædiũ ruinis eliſus ſplendidè occubuit, incolumi tectulo, vnde prodierat. III.

Hunc lethi fuga ad lethum impulit: alteri pietas memorandum poſteris exitũ dedit. Barbara Teleſia clari generis fœmina, primo terræ ſtrepitu territa, conuulſæ domus egreſſa limen in tutum ſe eduxerat. Sed mox, vt animum recepit ex metu, mẽtem ſubijt filius inter mortis fauces deſertus, cui per ætatulam nec conſilium, nec vires ſuppetebant ad fugam, per ruinas eò interrita redijt, vnde pauens profugerat. Verùm dum mater puero inconſultiùs conſulit, quàm res poſcebat, improuiſo tecti delapſu in mutuo complexu vterq; perijt: ſuffocata etiam prole, quàm mulier nondum enixa conceperat. Quatuor ſanè in vnico euentu portenta. Barbaram peremit pietas. Vnius quæſita incolumitas tria capita extinxit. Vni mors obtigit ante vitam. Huic vterus euaſit in tumulum. In ſcholis etiam, quas vocant pias, tres aut quatuor pueri occubuêre, qui inter ipſa IV.

ætatis primordia, cùm prima legendi rudimenta discerent, extrema pati didicerunt: inter elementa Grammaticæ, duriore hausti elemento. Patres tamẽ, qui tam pio vacabant operi, omnes integri, illæsiq; Consimilis Dei prouidentia in Patribus nostræ Societatis eluxit. Nam ij omnes, quorum cubicula conciderunt, foras prodierant: eorum, qui intus aderant, cubicula substitêre.

V. Inter hos ille, qui hoc anno in Archiepiscopali templo summa cum laude concionabatur, cùm ad insequentis diei concionem totus incumberet, terræ motu ab ea cura diuulsus, alò cœpit cogitationem, ac pedem auertere. Mirum dictu. quocunq; ille gradum fecisset, illico parietes, tecta, scalæ relictæ à tergo ruebant; quasi tantummodò exspectaretur ad horum ruinam aliena incolumitas.

VI. Magister ex ijs vnus, qui Grammaticam in eo Collegio docebant, terræ motu exaudito, discipulos præiuit ad fugam. Interuallum datum, vt omnes pedem efferrent. Cùm ad ianuam accurrerent, ædificij pars ante fugientiũ oculos corruens fores obstruxit. Territi regredi, ac referre cursum, vnde diffugerant. Sed inter eundum ex altera parte primò superstans cubiculum, mox & schola vacua cecidit. Occlusa

cluſo vndiq; exitu, nullus iam ſupererat tranſfugio locus; perdurante adhuc terræ motu, atq; identidem ingraueſcente: ita vt conſiſtere non poſſent, progredi non auderent. His vndiq; circumſepti periculis, dum ex omni parte fugam adornant, ex omni etiam ruinarum obiectu intercluduntur, animaduertit magiſter ſubjacentem ſcholæ adhuc integræ anguſtiſſimum fornicem: qui, ſubmiſſis ingredientium ceruicibus, quatuor aut quinq; vix caperet. Eò ipſe ſeſe celerrimè contulit: quodq; incredibile videbatur, viginti diſcipulos (nam fortè cæteros ad ſuum quemq; pagum dimiſerat) in eundem angulum ſibi hærentes retruſit. Tectis hinc, inde, aliis ruentibus aliis nutantibus, & iam iam incumbentibus ad ruinam, mentis inopes pueri flere, conclamare, magiſtri opem depoſcere, congeminatis his vocibus, perimus, Pater, perimus. Iam excitatus colliſione caſuq; lapidum puluis vſum oculorum abſtulerat; nec, qua euadi poſſet, vlla ex parte apparebat: cùm fortè audita vox magiſtri alterius eũ, qui deliteſcebat, quaſi extinctum flebiliter appellantis. Ille, in circumfuſa caligine, eò gradum direxit, vnde ſonus accipiebatur: ac per aggeſtos obices & ſaxa vndiq; collabentia, non tam ambulando, quàm reptando, tandem ad plateam erupit, puluerulentus,

lentus, ac semiuiuus. Mox sequaces puros voce, manu, ope eòdem perduxit integros sospites q3: ne vno quidem vel mutilato, vel læso. Hæc ita narraui, vt ab eodem accepi, minutiùs quidem, quia vera & comperta: Dei numine non parum prodente se, vel in paruis.

VII. Nó minor in alteri9 incolumitate admiratio. Nam dum Philosophiæ magistro & schola corruit & cubiculum, ipse vtriq3 calamitati subducitur. Cæterùm cordatè hic, cùm ad ruinosi templi fores terræ motus initia præsensisset, nihil moratus ad plateam euasit, vbi multos reperit lymphatis similes, & iam consternatos in fugam: qui, sacerdote conspecto, noxarum solutionem lamentabili voce, nec sine lachrymis petiêre. Ille alienæ magis memor salutis, quam suæ, singulorum culpa raptim audita (quod in rebus extremis licet) singulos ocyissimè etiam ab omnibus expiauit. Ita, breuissimo temporis spatio, centum circiter confessiones excepit. Quod alij Patres inter fugam pariter præstitêre. Profectò vnus terræ tremor cunctis tremorem incusserat: atq3 inter allisiones lapidum corda saxea scindebantur. Ingerebantur oculis puluereæ è ruinis elatæ nubes, quæ sereno cælo diem obtexerant: ita, vt non iuuare, non videre quemquam liceret. quod in immani alio terræ

terræ motu, sub Traiani Imperio, contigisse testatur Dio. Exaudiebantur dissonæ voces hinc expectare, hinc ire jubentium. Feriebat etiam aures ædium undequaq; cadentium fragor, qui terræ motui adstrepebat: & puerorum vagitus, eiulatus mulierum, virorum clamor timoris index ac doloris omnia latè loca compleuerat.

VIII. Planities, ad quam ciues, quasi dato signo, aduolauêre, paradisi tunc simulacrum quoddam exhibuit, cùm nihil ibi, nisi preces, imploratio numinis, scelerum detestatio, suspiria, lachrymæ, Christianæ deliciæ. Nam cùm eò ciues, vt dictum est, ac Societatis Patres vndiq; confluxissent, à vicesima prima hora ad noctem vsque dimidiam noxis confessione eluendis vacatum. Viginti quatuor terræ motus identidem numerati, quasi ferali sonitu diem iræ furiales horæ distinguerent. Ita nox inter terræ fremitus, pauoremq; mortalium transacta lamentis, clamoribus, precibus. Vbi illuxit, stragem dies ostendit.

IX. Commouit omnium animos miserabilis patriæ vrbis aspectus, in qua viduata iam ciuibus nihil aspicerent præter fragmenta lapidum, & dirutas aut semirutas ædium potiùs vmbras, quam ædes. Accesserat ad doloris cumulum fames, dirissima inopum carnificina. Nam ex vi-

cinis oppidis plurimi, qui bonorum omnium jactu-
ram fecerant, confugere coacti ad vrbem,
seu verius ad campos, ad quos asportata vrbs
videbatur. His religiosorum Patrum indu-
stria, ditiorum liberalitate, commeatus ad vi-
ctum suppeditati: ne conficeret incolumitas,
quibus ruina pepercerant.

X. Hæc fermè mihi de vrbe Consentia lucu-
lentissimi testes, qui interfuêre, narrârunt. Sed
nescio quo pacto terræ motus in vrbe quodam-
modo se gessit vrbanius, larium magis exitio,
quàm hominum: in oppida vires totas effudit.
Altilia, Delsitum, Apilianum, Figlinũ, Mot-
tæ duæ, Dominici duo, S. Petrus, S. Stephanus,
S. Hippolytus, S. Benedictus, Collaria, Pedaciũ,
Petra ficta, Spezzanum duplex, Mangonum,
Paternum, Zompanum, Carpenzanum, Ro-
blanum citius periêre, quàm narro. Cæteri vr-
bis pagi, qui octoginta quinq; in ijsdem collibus
numerabantur, magna ex parte diruti, tan-
tummodo non deleti. Ingens in his mortalium
strages, malo velociore, quàm fuga. Murgan-
tia penitus cladem accepit plane consternata
tota, maxima cum internecione ciuium. Illæso
quidem Episcopo, sed ad tantam egestatem re-
dacto, vt tres tantùm nummuli superessent.
Durissimè omnium cum Sciliano actum, vbi
censa

censa incolarum capita supra quinq; millia cũ laribus partim oppressa, partim absorpta, in immanem terra subitò debiscente voraginem.

Nulla tamen res magis saluti fuit, quàm XI.
in tetra procella cæli serenitas. Hæc multos ex vrbibus oppidisq; ad suburbia ac villas allexerat: quo colonos omnes ferialis diei minimè feriatus labor impulerat. Campis tamen clades impar, par metus. Turbatum quoq; ac trepidatum in agris. Conspexêre, qui aderant, herbas repente, arbores, sylvas integras circumduci; quasi iam ex his extructa nauigia marinis fluctibus æstuarent. Turres, quæ ruralibus casis impositæ, atq; inter plantas per interualla, dubium an consitæ, an conditæ, colles mira varietate distinxerant, ita funditus cecidêre, vt ne vestigium quidem extet posteris indicaturum, vnde turres assurgerẽt. Terra quippe non diducta in latera, sed rectà sursum, deorsum assiliebat, ita ædificia cõuellens, vt in seipsa subsiderent. Quocirca, sub terræ motûs initia, quidam Consentiæ è nostri Collegij fenestra, herbas vidit, & arbores, subsultantes, quasi choreas saltibus agerent, faustum ad speciem exordium in funestissimam tragœdiam desiturum.

Vt deuentum non iam ad vrbes & oppida, XII.
sed

sed ad reliquias vmbraticas oppidorum, atq; vrbium, lapidum tumuli commonstrauêre cladem. Tum verò, metu in misericordiam verso, sublatus ad cælum clamor lares, patriam, parentes, liberos, cõiuges lamentantiũ. Tum ad effodiendas ruinas incubuêre. Quisq; architectum, quisq; fabrum murarium, quisq; manipulum agebat. Refossa humo, multorum corpora educta adeò lacera, vt vix vlla pristinæ formæ imago appareret. Alia modicè elisa, oris habitu, post recens fatum, inter vitam ac mortem ancipiti. Calentibus adhuc membris relictus in vultu stupor, & quidam acer ad assurgendum conatus, sed irritus. Extracti nonnulli spirantes, inter supremos singultus, luce accepta, quam mox amitterent, vt, paruo interuallo, bis perirent. Non paucis etiam tempestiue subuentum, quos ruinæ non tam obtinuerant, quàm obtexerant. Ibi reperti superuxêre periculo, plerisq; aliqua corporis parte mutilati, pauci integri. Illorum planè miseranda conditio, qui tunc omni ope deserti, nec subita morte defuncti, aliquamdiu inter ruinas vixere, vt eò atrociùs interirent, quò lentiùs. Quænam porrò mens illis fuit, cùm mole lapidum obruti, nec extincti, in terræ visceribus tumulati, ante fatum, nocte oculis circumfu-

cumfusa, nec liberè inter angustias meante spiritu, susq3, deq3, & à latere circumsepti, neq3 aditum haberent, quo sibi opem ferrent, nec quo deponerent?

Admirabile id, quod ab oculato teste accepi, repertã prope Nicastra, inter ruinarũ monimenta, mulierem, dubium an metu exanimatam, an fame: infantulum verò in eiusdem vlnis viuum, oppressis labellis ad vbera, & hausto vitæ periculo è mortua. Incredibile id meritò videri posset, nisi recentissimo exemplo attestaretur antiquitas. Nam post ingentẽ Antiochiæ terræ motum, sub Traiano, neminem, inquit Dio, viuum inuenire potuerunt, præter puerum, qui matris mortuæ sugebat vbera. Aliam præterea refert seruatam, quæ suo se lacte pauerat, ipsa sibi nutrix & infans. Traditur quoq3 de alijs in casu consimili, incisa dentibus venâ, aliquamdiu suo se sanguine sustentâsse: cùm resorberent, quem fuderant. XIII.

Illud tamen præterire non possum commemorare dignissimum, quod non nemo ex ijs vmbris, flammæ maleficio veriùs, quàm beneficio euasit in lucem. Quidam, ruente æde sacra, trabibus fortè superstantibus, in fornicato aliquo intercolumnio incolumis seruabatur. Sed profectò judicia Dei abyssus multa. Nam XIV.

cum

cum ij, qui lapidum aggeres perſcrutabantur, cadauera, quæ commodè poſſent, efferrent; reliqua concremarent, ne eo halitu è motu terræ lues aëri gigneretur, tabulata, ac ſtramenta igne concepto, & flamma latè fuſa, ſedem corripuêre, cum qua is ea jactatione deſederat. Infelix incendio abſumptus: & quodammodo ſibimet aduerſante natura, quem terra demerſerat, ignis extinxit.

XV. Huic, de quo diximus, ignis exitio, alteri aqua ſaluti fuit. Ferunt paſtorem, patefacta eo terræ motu voragine, illico voratum cum grege: ſed cum eodem tempore (fidem liberent, qui oppignerarunt: equidem plura transcribo, quàm aſſero) torrentem ex hiatu terræ ſummitteret, eodem impetu reductum ad auras cum pecore, quod terra rapuit, aqua reddidit, aër recepit. Conſimile de Garzia Toleto Neapolitanæ arcis Præfecto à maioribus noſtris accepimus. quem aliquando claſſe vectum prior vnda è puppi ad mare proripuit: poſterior è mari ad puppim reduxit, ex congeminata ſæuitia incolumem. Ita non diſpari euentu de duplicato veneno, quod vim prioris inhibuit, Auſonius ſic lepidè cecinit:

Et cum fata volunt, bina venena juuant.

Neque

Neque in terræ motibus insolens, nouas aquarum erumpere scaturigines. Nam in monte Coryco, post terræ concussum, nouas fontium exilysse scatebras, Theophrastº testatur. Quod etiam in bello Mithridatico prope Apameam Phrygiæ vrbem euenisse traditur à Conimbr. in Met. tom. 11. c. 8. Nunc quoq; hunc terræ motum sequutos, nouos extitisse amnes prope Lametiam, incertus rumor vulgauerat, omnia in maius tollente fama, sed facilè idem fluuius ruinarum obicibus aliò deriuatus, noui speciem præbuit.

XVII.

Iam locus admonet, vt à citeriore ad vlteriorem Calabriam gradum tandem hæc narratio faciat. Huius caput Catacium, altera magistratus regij sedes, vrbs & celebritate ciuium, & quod Gallorum obsidionem pane sola dispulerit, fidelissimæ appellatione pernobilis. terræ motibus plerumq; obnoxia, ac sæpius hoc defuncta periculo: nunc grauem in ædibus passa perniciem, leuem in ciuibus. Quinque tantùm ex hoc terræ assultu capita desiderantur. Cæterùm multæ domus prostratæ, concussæ reliquæ: adeò vt hic quoq; vacuis tectis, ligneas in campis ædiculas effinxerit ingeniosa necessitas. Adhuc post duos ferè menses elapsos, dum hæc scribo, degunt plerique extra

extra lares, alij extra vrbem, ante patriæ aspectum velut exilio mulctati. Hic quoq; supplicationes decretæ, quemadmodum de Consentia diximus: itúmq; ad lachrymas, ad precationes, ad vota.

XVII. Maior in reliqua prouincia strages, quàm vt apud exteros repertura sit fidem. Nicastrũ, quod paulò antè in Calabria ostentabatur, nũc vbi fuerit, quæritur. Hæc vrbs funditus euersa cum ciuibus exitum habuit vbique terrarum. Intererant in Franciscanorum templo horarijs precibus mulieres promiscuè, ac vtri fermè sexcenti, musicos inter concentus: cùm resonante aliter terra, templum, turres, tecta, muri, vrbs denique tota corruit, primò exiliens, tum decumbens, demum in se sepulta. Consepulta magna pars ciuium. tria millia perhibent. Non plura in bello funera, cùm magna clades infligitur. Viros etiam, ac finitimarum vrbi oppida idem turbo corripuit. Pertimi quandam eorum Epistolam, qui diuino beneficio euasere; vnus sub fenestræ, alter sub portæ fornice, tertius capite in foramen ingesto: omnes, reliquo collabente ædificio. Quidam præterea, cùm per arenam ambularet arcis subiectam, hancq; suspiceret pronam iam, ac præcipitem, pueris duobus, qui fortè tum sub-

erant,

erant, acceptis in brachia, tantum planè spatij habuit ad suffugium, quantum moræ datum est ad ruinam, & ne saxorum fragminibus pateret, occuluit se, pueros q; sub saxo. Episcopus, quasi nutu diuino præsagiret euentum, animi causa egressus ad prædium, suo capiti consulebat. Prærepti quoque ab exitio aly. Hi non metu, non periculo territi, obmurmurante adhuc tellure, irrupêre in ruinas. Sed, dum vita functos quæritant, incurrunt in vivos. Accipiebantur ex cauo tenuissimæ voces veluti lamentantium. Quamobrem sollicita sonos aure captare: & sicubi gemitus audiretur, illic solum ferro proscindere. Pars opus vrget imperio, pars consilio, pars ligone. Tandem perruptis obicibus, ad caueas factus est aditus. Pauci ad auras extracti semimortui, qui tumulati fuerant semiuiui. Duo præterea inde traduntur non prætereunda silentio, sed posterorum memoriæ consignanda. Alterum, in ipsis ædium fundamentis inuentos passim globos cinereos, quasi vrbs non tam terræ motu hausta, quàm incendio abysset in cineres. Alterum memoratu dignum, Lametum fluuium prope Nicastrum, visum rubricatis aquis, veluti sanguine, currere. Inter cæteros, qui egesta humo è ruinis viuentes eruti, eductiq; sunt, exi-

mia Laura Aquinas, Principis Castilionis, Nicastro etiam imperitantis vxor, nobilitate clara, pietate clarior, vtero grauis: vt in vnius salute duo capita seruarentur. Fato tunc erepta, infracto animo, effracto crure, malum in tam ingenti clade leuissimum. Non eadem Principi fortuna fuit. Nam cùm in gestatoriâ sella, Iubilei caussa, sacras ædes obiret, decumbentibus vndiq; tectis, obrutus, nec sella, nec cadaueris per plures dies vllo extante vestigio. Maxima profectò in tanto infortunio felicitas, quòd mors illi obuenerit ritè confesso, percepta etiam Eucharistiâ. Idem plerisq; contigit, quos ea occasione sacramẽtis munitos mors subita deprehendit. Cæterùm Episcopi omnes seruati: ne in hoc rerum articulo ouibus pastores deessent. Hos, obsecundante Numine, intactos clades præterijt, latè in vrbes ac populos debacchata.

XVIII. Mileti vrbs pæne deleta: Domus Episcopalis corruit, Episcopo viæ limen egresso, & ruinæ prærepto. Non multò felicior Medama, grauem quoq; in tectis passa perniciem. Rhegij terræ motus minax, sed mitis, solo fragore contentus. Nouo tamen terræ motu, ferè post mensem elapsum, sæuiùs integrato, tantus ciues terror inuasit, vt, deserta vrbe, vix consilij com-

potes

potes multò grauiora præsentibus expectarent. Indicta celeriter supplicatio. Francisci Xauerij, noui eius vrbis patroni statua circumducta: quam comitati ciues ferè omnes saccis, crucibus, flagris instructi. Manabat è tergo sanguis, ex oculis lachrimæ: & glomeratis in vnum vocibus misericordiam implorantium repercussæ valles, ac litora respondebant. Nec silendum, quod inde nunciant recentissimæ litteræ. Pagi Rhegini in tres distributi regiones accolæ ad eiusdem Francisci ædem sacrâ turmatim ibant, terræ motum deprecaturi: cùm vna pars viæ tædio substitit, duabus reliquis persequutis iter, quod cœperant. Dispar consilium, dispar etiam quæ damnauit, quà probauit euentus. Nocte proxima terræ motus atrox eorum tantùm ædes inuasit, qui re infecta redierant: ab ijs, qui Xauerij templum inuiserant, ne auditus quidem. Hæc ex vrbe Rhegio.

Idem Tropianæ terror, idem periculum, idem sensus animorum, supplicationes, cruciatus, preces. In consimili discrimine sors non dispar Sacrorum, S. Christinæ, Hipponij; nisi quod huius oppidi pagi tres cecidêre. Socianum planè indemne: nec dubium, quin D. Dominici beneficio. Napitiæ incolumis tulit incolumitatem prodigium. Ferunt terræ motu impenden- XIX.

te, visum è vicino littore ad duo passuum millia mare decedere: arescentibus repente vadis, quæ modò superfusa vnda occupauerant. Eo spectaculo paganos malum imminens odoratos, destitutis confestim laribus, ad syluas, montesq; immigrâsse: insolito aquæ motu terræ motum prænuntiante.

XX. Luctuosissimus omnium antiquæ Lametiæ, nunc S. Eufemiæ exitus. Qui pagus, commune nauigantium hospitium, vnde rates soluere, quò solebant appellere, ita cum accolis repente disparuit, vt vix, aut ne vix quidem saxula manserint, monimenta, siue recentioris ruinæ, siue anterioris fortunæ. Lachrymabilem eius solitudinem narrauit, qui spectauit nostræ Societatis Sacerdos, natione Germanus, germanæ, id est, probatissimæ fidei.

XXI. Hi è Calabria tum citeriore, tum vlteriore nuncij. Non his tamen se continuit finibus tam vasta calamitas, sed traiecto freto Messanam tenuit, septem tantùm exanimati. Interquos mulier, ruente per interualla templo, vix tum soluta culpis, vita & corpore soluitur. Confessario tamen intacto, cui seruado duæ trabes, cùm ruerent, obliquauêre se in fornicem: ne mors illi inferretur in vitæ munere. Tres quoq; pueri, dum inconsultè trepidant, vnusq; alter festi-

festinando fugam moratur, omnes prænolauêre ad superos, acerbissima ætate : maturante fatum immaturitate consilij. Cæterùm in fugam effusi. Messanam terræ, Panormam aquæ motus jactauit. Neapolim terræ motus non tam afflixit, quàm attigit, velut ex longo itinere debilitatus, ac fractus ; ita sensim, vt non paucorum sensus atque aures effugerit. Sub idem tempus, in vicino Abellæ oppido ingens arborum strages viventorum: ne tunc erumpentes è terra halitus innoxij volitarent. Campania reliqua intacta, ne felicis nomen amitteret. Lucania finitimo malo correpta. Nam paucorum dierum interuallo Marateæ adeò terræ motus inualuit, vt vbiq; conspicerentur parietes discissi, dissitiq; inter se : mox tamen eodem impetu coaluêre.

Cæterùm, quo terræ non peruasit motus, metus irrupit. Astra terrorem incussêre ijs, quibus terra non potuit. excitata quippe his cladibus eorum industria, qui siderum cursum scitè norunt inspicere. Astrologos appellant, genus hominum inane & ventosum, duces promissis onerans, vulgus terroribus, in vtroque mendax : Ambigitur, an inter hoc recensendus Petrus Paulus Sassonius, natione Calaber, munere medicus, qui hac serpente clade, cœpit XXII.

magis horrẽda præcinere. Terræ motum imminere sæuiorem non vni prouinciæ, aut regno, sed toti fere orbi terrarũ. Mare littoribus aut conscensis, aut effractis ad duo passuũ millia exundaturum, maritimarũ euersione vrbium. Grandines eodem tẽpore quingẽ librarum pondere ruituras è cælo, quibus animantia ac tecta subruerentur. Et, ne quod fingi posset aliqua ex parte perfugium, flammas erumpentes è montibus cætera vastaturas. Iudicium imminere mortalibus, non quidem supremum, sed supremi quasi prænuncium, ac prodromum. Excepta hæc primò credulis auribus ab imperita plebecula, tum traducta etiam ad proceres, non sine suspicione veri. Eidem conciliabat rumor, quòd is tum Vesuuianum incendium, tum terræ motum hunc recentissimum longè antè prædixerit. Appellabantur probatissimi testes, idq; a multis etiam cordatissimis creditum, cùm illud tantùm in controuersiam vocarent, an id obseruatione astrorum, an ope Dæmonis, an numinis afflatu rescinerit, quippe ille diuinam sibi sapientiam astare jactabat. Quouis modo id prænosset, exitum pertimescẽdum putabant. Res eò deducta est, vt in tota fermè Calabria incolæ secessionem, ac fugam meditarentur: quasi ibidem deberet repetita cæla-

calamitas recrudescere. Quanta etiam hîc in vrbe regia facta sit eo nuncio consternatio animorum, credi vix potest; præteriti vaticinij fama fidem faciente mendacio. Irridebantur quidem ea præsagia à paucis, metuebantur tamen à non paucis: plurimi, vt dicam leuissimè, non contemnenda censebant. Recolebatur ab Historicorum peritis, ætate Francisci Petrarchæ, consimile vaticinium, tanto populorum terrore, vt Ioanna adolescentula regno potita, nudis pedibus, ædes sacras obierit: tanta etiã euentus vaticinio respondentis fide, vt prænunciato die horribilem terra boatum ediderit: mare Neapoli exundârit, voratisq; in portu nauigijs ædiculas litorales demerserit, magna mortalium strage: dies quoq; noctem effuderit, extincto sub ortum sole; cælo, terraq; mundi interitum conclamantibus. Grauiora nunc timebantur, recentissimo Calabriæ exemplo. Hæc passim in triuijs, in angulis, in foro, in aulis sermone omnium serebantur: territis semel animis ad metuenda deteriora pronis. Damnabatur censorio supercilio ab Aristarchis credulitas; ab alijs, par huic vitium, securitas. Itaq; ad montana loca diffugere nonnulli cœperant, alij decreuerant: exundatione maris maiorem incutiente metum, quàm montis

flamma, cui assueuerant. Trepidatum praterea in toto regno, quò celerrimè rumor manauerat, sed profectò tam vasta mendacia mole ruunt sua. Captus ille jussu regij magistratus, ac Neapolim perductus. vbi vocatus ad quæstionem damnatus est ad triremes: vt in lignea arca se clauderet, qui diluuium prænonebat, mare remis sollicitaturus, vt exundet, juxta præsagium. Ductus publicè per plateas, inter confertissimam multitudinem exceptus sibilis, probris, pugnis, calcibus, vulneribus a turba antea metuente, postea indignante metum: ita vt magno satellitio septus vix vulgi manus, ac furorem effugerit. Nec deerant, qui vatem eum suspendio destinarent; quasi laqueo mendacium strangulaturi. Cæterùm quòd is præteritum terræ motum prædixerit, pernegant aliqui: cùm plerique id generis hominum post eventum diuinent. Sed si res ad veritatis trutinam expendatur, pro comperto id habitum apud multos, qui suo testimonio aliorum fidem extorquent. Equidem ita censeo, ex Almanaco, vt appellant, Benincasæ, in quo terræ motus hoc anno prænunciatur, a Sassonio Calabriam, in qua degebat quod terræ motibus esset obnoxia designatam, postea euentu animosiorem redditum, temerè adjecisse maiora, perfecto fortas-

fortasse præsagio eodem: in quo mensis Maij dies quintus periculosus edicitur. Hæc de metu ex causa planè inani, ac pænè ridicula.

Sed grauiora non deerant, quæ timorem injiciebant non leuem D. Ianuarij sanguinem, vrbis huius thesaurum nullo capitis occursu exhibuisse se sponte mollem, ac liquidum claris auctoribus traditur. Quod est, vt sæculorum experientia docuit, in ipsomet prodigio prodigiosum, nec sine calamitatum indicio. Nã vt de cæteris sileam, cùm aliquando inter Paulum Quartum Romanorum Pontificem, & Philippum Secundum Hispaniarum Regem atrox bellum arderet, Duce Aluæ Neapolitano Prorege cum exercitu aduolante ad vrbem, atque obsidionem minante, tam diu hic sanguis contra naturæ leges, extra venas se liquidum præbuit, quamdiu bellantium animi præbuêre se duros. Tum eodem die atque hora concreuit, quo pax firmata, atq; obedientia Pontifici reddita. Verùm cùm Ianuarius non Neapolitanæ tantùm vrbis, sed totius etiam sit regni patronus, sanguis nunc vltro eliquatus ad præsentem Calabriæ cladem referri potest, quæ nondum planè detonuit. Additæ quoque vaticinationes aliæ, in magnis cladibus magna etiam ementiendi licentia. Dæmonem huma- XXIII.

na specie per varias Calabriæ vrbes, ac pagos veluti concionabundum vagari, ac supremum mundi diem denunciare, parente mendacij, tam abstrusæ veritatis præcone. Energumenum præterea Exorcismis coactum aperuisse crimina, quibus tanta clades infligitur, eaq; publico chirographo consignâsse: adiectis minis, nisi resipiscant, grauiora imminere. Rhegij Deiparæ imaginem exudare visam, sponte tumescente vultu; quasi clementiæ parens tantis cladibus illachrimasset.

XXIV. Narrantur etiam inter tot diuinæ iræ argumenta, alia quædam eximiæ beneuolentiæ pignora. Redonatam cælo è ruinis, post tres, & eò amplius exactos à terræ motu dies, cum filijs duobus mulierem Octauij Parisij sororem, hanc exanimem, illos spirantes, vegetósq; nullo nec doloris, nec famis indicio. Admirabundi, qui aderant, scisciari quanam vi in terræ cauernis, ac veluti inter sepulchrales tenebras conditi tot diebus sine cibo, potuq; traductis, euasissent tam integri, valentesq;. Affirmant illi quotidie iuuenem eleganti aspectu, atque aureo amictu fulgentem apportasse fercula, panes vermiculos farinaceos minutatim concisos, pisces, omnia bene condîta; frigidam etiã ad potum: quibus recreati ac refecti dies ibi, noctesq;

noctesq; nullo cruciatu, nulla fame transegerint. Susp exêre omnes diuinæ clementiæ munera: nec dubitatum, quin hæc eius Angeli ministerio contigerint, qui alterutrum ex ijs custodiendum susceperat. Nec reticendum, intra quadrageſimales dies, non niſi eos cibos allatos, quibus juxta Eccleſiæ præſcripta veſci liceret: Angelis ipſis, contra Hæreticorum perfidiam, ſolemnis jeiunij jura nouo miraculo conteſtantibus.

Enimuerò ſuperioribus annis, terræ motus occœpêre in Calabria, jactato Catario, non ſine adium injuria, luxato Girifalco, non ſine voragine. Non multò poſt deflexêre in Apuliam, vrbe S. Seueri, & oppidis dirutis non ignobilibus. Paucis poſt annis trāſmisêre Neapolim, imitati Veſuuianum incendium euerſis Herculano, & Pompeijs, vexata Neapoli, perturbata Campania, perterrefacta Italia, metu etiam vltra periculum. Poſtremò atrociores remigrauêre in Calabriam, iam non pagum aut vrbem, ſed integras Prouincias depopulati, nondum exaturata clade. Adhuc ibidem impunè bacchantur, quicquid primo furori integrum demoliturj. Inde corripuêre Lucaniā; tranauêre Tarentum: iamq; in ora Salentina vrbem Neritum terræ ingenti motu jactatam, poſtremis XXV.

nuncijs

nuncijs accepimꝰ. Quota regni pars luctu vacat? Clades nobis creatur ex clade. Incendiũ terræ motu, terræ motus incendio ſeritur, exitiali quadam fœcunditate. Pleraque regna Mars vexat, noſtrum pax: & cùm externis viribus non pateat, in exitium ſuum armatur. Dedimus tragœdiam orbi terrarum, deflendam lachrymis ſæculorum: omni malo vexati, nullo perdomiti. Triginta circiter millia hoc terræ motu interempta. Tanta internecione
XIX mortalium diuinæ iræ libatum. Non plura, juſta acie, iniquo Marte, vnico bello, pluribus prælijs, cecidiſſent. Non hoc extinctorum, quẽ recenſui, numero eos complectar, quos ex terræ motu vel ſaucios, vel bonis omnibus ſpoliatos aut vulnus, aut ærumna confecit: prætiritis etiam ijs, quos diſtracta in campos domo, contractus morbus ſuſtulit. Minor tamen fuit hominum ſtrages, quàm pro vrbium atq; oppidorum ruina. In Veſuuiano incendio quinque millia capitum periêre, duobus oppidis euerſis, pago vno, vel altero. Nunc dejecta Conſentia, quaſſatum Catarium, Prouinciarum metropolis, abſumptum Nicaſtrum, Calabriæ ornamentum, ac gemmula; deleta Murgantia, afflictum Miletum, Terina ſemiruta. Meſſana, Roſcianum, Beſidiæ, Tropiana, Medama

nos

non sine querela. Rhegium, Locri, Tarentum, Macatea, Neritum periculo affinia. Neapolis si minus ruina, certè oppressa metu. Has decem & septem vrbes terræ motus inuasit; multas ex parte, quandam funditus diruit: & mœnia inter tot sæculorum obsidiones intacta, vnico afflatu expugnauit. His adjce oppida, pagosq́; qui partim ingentem perniciem, partim integram ruinam perpessi supputantur septuaginta, & eò amplius. Ex his facilè inferre licet, terræ motum hunc collocandum esse inter maximos. Etenim Plinius diligentissimus antiquitatis scrutator, maximus, inquit lib. 2. cap. 84. terræ mortalium memoria extitit motus, Tiberij Cæsaris principatu; duodecim vrbibus Asiæ vna nocte prostratis. Nunc verò dejectæ, ac detritæ vrbes nõ minus, quàm duodecim; si addas oppida, vrbes æquantia. Pagi, villæ, turres siue rurales, siue litorales extra numerum. Equidem non inficior terræ motum, quo sub Tiberij fascibus, Christo morienti tellus indoluit, jure a Plinio omnis memoriæ maximum recenseri, non clade, sed mole. Quippe non vnius, aut alterius regni conclusus finibus totum concussit orbem terrarum. Inter eos verò terræ motus, qui intra naturæ leges, extra miraculum positi naturales causas

agno-

agnoſcunt, hunc, de quo ſcribimus, vix ab alio quopiam ſuperari crediderim, immanitate, amplitudine, diuturnitate. Immanitas perſpicuè oſtenditur teſtimonio Senecæ, qui terræ, inquit, Ep. 4. vix vnquam tam grauis aut pernitioſus motus fuit, vt tota oppida euerteret. Nunc euerſæ tres vrbes, plura oppida, pagi plurimi: duæ Prouinciæ deuaſtatæ. Nec quidquam defuit, quod atrocitati ſeruiret. Mons diffractus Conſentiæ: maris deceſſio in Napitia: procella Panormi, terræ hiatus in Sciliano: aquæ ſuperfuſæ agro Lametino: fumei globi erumpentes è Vibone, flammæ exardeſcentes in Veſuuio: cineres effuſi Nicaſtris, amnis ſanguineus propè Nicaſtra.

XXVI. *Amplitudinem proximi terræmotus metiri poſſumus locorum ſpatijs, quæ longè, lateq; complexus obtinuit. Gemina Calabria occupata, Prouinciæ præterea tentatæ tres, ora Salentina, Lucania, Campania. Meſſanam perſtrinxit. Infeſtatæ Senæ, vrbs Hetruriæ florentiſſima. Terræ, inquit Seneca* lib. 6. nat. quæſt. cap. 25. *non vnquam per ducenta milliaria motus extenditur. Hîc ab extrema Calabriæ ora vſq; Neapolim plus quam trecenta paſſuũ milliaria tenuit.*

XXVII. *Amplitudini par diuturnitas. Enimuero*

duobus

duobus iam exactis mensibus, adhuc terræ motum, per interualla sæuire quotidianæ literæ perferunt. Ineunte Iunio congeminatus primo similis terræ motus: nisi quòd huic parem diruendi materiam ruinæ ipsæ subtraxerant. Sub ortum solis, primo radiorum appulsu excitati spiritus, euocatiq; ad suprema cœpêre denuo terram impetere, ac veluti admotis machinis arietare. Hora imminebat quarta supra decimam, cùm incalescente iam sole, quasi tunc quoq; iræ calescerent, halitus maiori impetu soli duritiem adorti, terræ motum edidêre in vniuersa Calabria adeò ingentem, vt iterũ omnia latè loca Neapolim vsque peruaserit: quanquam id sparsim raptimq; deferuescente per interualla sæuitie. Catarium imprimis, Consentiamq; pessumdedit, odio in metropoles infestiore. Catarij, quod supererat, Episcopalis templi; Consentiæ, quod steterat regiæ arcis dejecit. Vtrobique ædes aliquæ concussæ labant, quantum conjectura assequi possumus, primo aggressu labefactandæ. Besidiæ, & Patyras modicè prius attactæ detrimentum feruntur nunc passæ non modicũ. Sanctæ Seuerinæ mons in enormem hiatum abscessit. Petilia & Casabona planè deturbata, atq; euersa. Oppida his minora, viciq; insolescente malo non numeran-

tur

tur in clade. Iam instaurato vbiq; metu, denuò deserta tecta, remeatumq; ad campos Nuncium etiam è citeriore Calabria, in agro Nucerino pluisse grandinibus tantæ molis, vt duarum librarum pondus explerent. quibus animantes non paucæ sub Dio exanimatæ, quasi lapidatum esset de cælo. Grandines quoq; visas subuirides, veluti spem facerent melioris fortunæ. Quanquam si rationes expendimus, spes in metum euadit: neq; alia spes affulget, nisi de qua poëta. Æneid. 4.

Hunc ego si potui tantùm sperare dolorem.

CAPVT XX.

Vtilissima, in terræ motibus, rerum caducarum contemnendarum mortalibus exhiberi monimẽta.

1. POterimus & nos, enimuerò & debebimus eiuscemodi, longèque atrociorem expectare tempestatem, quam Ioël, his verbis prædixit: *A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius; quia fortia, & faciens*

Ioël. 2. 10.

cientia verbũ eius: magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eũ? Nunc ergo dicit Dominus: Cõuertimini ad me, in toto corde vestro, in jeiunio, & in fletu, & in plãctu: dum tempus est conuersionis; erit, cùm ira Dei non poterit ampliùs mitigari. Si enim, in hac vita, Georgi⁹ Abbas, vidit aliquando Christum à tot millibus Sanctorum, denique nec ab ipsa sua Matre potuisse mitigari, quantò minus poterit mitigari, in *die iræ*? Hi maximi sunt fructus, qui è terræ motib⁹ vel factis, vel meditatè cogitatis oriuntur; vt scilicet per eos intelligamus. 1. Peccati grauitatẽ; 2. Dei peccato irascentis æquissimam indignitatem. 3. Eiusdem, in ipsa ira, erga suos, bonitatem. 4. Christi authoritatem, ac potestatẽ. 5. Vltimi judicij formidandã faciem. 6. Pœnitentiæ necessitatem. 7. Terrarũ, quas tantopere amamus, calamitatem; ac proinde, vt à terra morientium ad terram viuentiũ; à creaturis ad Creatorẽ cõuertamur. *Vberibus matres absinthia tetra medentes* illinere solent, vt adultiores liberos fastidio absterreant. Illinit & terris Deus suas amaritudines, vt cælũ quæramus. Quid enim, stat terra? sed nõ ita, vt non possit cõcuti atq; moueri. E-

Moscus Euirat. in Prat. spir. cap. 50.

riguntur palatia, sed sæpe vno momento deijciuntur. Surgunt in altũ turres? tantò profundiùs cadunt. Florẽt, gaudent, jubilant pagi, arces, vrbes? Sed ecce, vno terræ hiatu hauriuntur, sepeliuntur, in cinerem rediguntur. Sic opes, sic honores, sic voluptates, sic ipsi homines euanescũt. Ergo, *filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Paradisum peccato primi parẽtis amisistis, in terris; pater mendacij vos decipit, si quis iam vobis, hîc Paradisum promittit.

Psal. 4. 3.

§. II.

Paradisus mendax, mundi imago.

In Persidis regno, tyrannus quidam, Alaodinus dictus, vt memorat Paulus Venetus, Muletam regionem occupauit, multósque sicarios, quos Assasinos vocant, hoc astu sibi adiunxit. In valle quadam amœnissima, & præruptis cincta montibus, paradisum omni deliciarum genere, qualem suis Machometes promittebat, instruxit. In faucibus, per quas solus patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne cui accedendi potestas esset, præterquam conscijs. Affirmabat interim, se claues Machometici paradisi habere, & potione sopo-

Paul. Venet. lib. 1. cap. 28. Orient. hist.

soporifera clam oblata, dormientes in eũ locum deferẽdos curabat. Experrecti cùm omnibus delicijs affatim fruerentur, reuera, se in paradiso esse credebant. At præstigiator ille, capta opportunitate, medicato poculo sopitos rursus extra paradisum efferebat: eos ad omnia, quæ imperaret patranda, paratissimos postea habebat; quippe de paradiso, si Principi obedirent, securissimos. Hac arte non paucos Christianorum Principum insidijs circumuentos, oppressit. Tandem An. M. CC. LXII. Allaris rex Tartarorum senem hunc in paradiso, triennali obsidione, ad deditionem, fame compulit; locum aboleri, & asseclas omnes interimi jussit. Talem paradisum fingit, & proponit multis, in terra, Stygius Alastor. Sed reuera, *velut somnium auolans non inuenietur, transiet, sicut visio nocturna.* Et tamen hoc somno tam multos fallit; vt ad nutum habeat obedientes. Ita terram illis & terrena deprædicat, vt non tantùm *adhæreat pauimento anima* eorum, sed vt in ea se præcipites etiam perdere nõ dubitent, more M. Curtij, cum equo in cauernam insilientis, ibi, vbi in ingentem sinum, Romæ terræ labes consederat.

Iob. 20, 8.

Psal. 118.

§. III.

Terra, pro Dea, ſtultè adorata.

Quid enim non faciunt homines, pro terra, quam paradiſum eſſe, ſibi imaginantur? pro terra litigant, duellant, digladiantur, bellantur; fidem, omnia ſacra, Deum ipſum abjurant, cacodæmonem adorant. Immò tanti illis eſt terra, vt præ ea cælum nolint: vt terram ipſam, tanquam Deam habeant, colantque. Ita enim Artaxerxes Perſarum rex, pro vxoris ſalute, Terræ votum faciens, ſe illam, attacta humo, ſolenni prece, adoraturum promiſit. Quin, teſte Tacito, *Germanorum populi, Reudigni, & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudotes, & Suardones, & Nuithones, in commune* HERTHVM. *id eſt, Terram matrem colunt, eamq; interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Eſt in Inſula Oceani Caſtum nemus: dicatum in eo vehiculum veſte contectum, attingere vni Sacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali Deam intelligit, vectamq; bubus feminis, multa cum veneratione, proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca, quæcunq; aduentu hoſpitioq; dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt clauſum omne ferrum, pax & quies tunc tantùm nota, tunc tantùm amata:*

Alex. l. 3. cap. 22. poſt Plutarch.

Tacit. de morib. Geranor.

ta: donec idem Sacerdos satiatam conuersatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum & vestes, &, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaq; ignorantia, quid sit illud, quod tantùm perituri vident. Hæc veteres Germani fecêre. Ridemus veteres, & imitamur. Stultos Persas vocamus, nec nos ipsi, in tetra adoranda, sumus sapientiores. Terrã adorat, quisquis pro focis plus contendit, quàm pro aris. Terram adorat, quisquis sibi ipse manus osculatur. Terram adorat, quicunque aurum, argentum, æs proprium & alienum in summis curis habet.

§. IV.

In terræ motu, terræ miseriam ac instabilitatem vel à Seneca considerari.

Et quid est terra? quid hæc omnia in terris? pro quibus sudamus, laboramus, nauigamus, cælum ipsum Orco commutamus? nos ipsos perdimus? & vendimus æternam felicitatem? Caduca, fluxa, vana omnia. *Quid enim cuiquã satis tutum videri potest, si mũdus ipse cõcutitur, & partes eius sodidissimæ labant?* ait homo Ethnicus; *si quod* Senec. li.

6. nat. qq. cap. 1.

vnum immobile est in illo, fixumq3, vt cuncta in se intenta sustineat, fluctuat: si quod proprium habet terra, perdidit, stare: vbi tandem residēt metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quò solicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Cōsternatio omnium est, vbi tecta crepuère, & ruina signū dedit: tunc præceps quisq3 se proripit, & penates suos deserit, ac se publico credit. Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? si hoc quod nos tuetur ac sustinet, supra quod vrbes sitæ sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit ac titubat? Quid tibi esse non dico auxilij, sed solatij potest, vbi timor fugam perdidit? Quid est, inquam, satis munitum? Quid ad tutelam alterius ac sui firmum? Hostem muro repellam? præruptæ altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate aditûs morabuntur. A tempestate nos vindicat portus. Nimborum vim effusam, & sine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non sequitur incendium: aduersus tonitrua & minas cæli, subterraneæ domus, & defossi in altum specus remedia sunt. Ignis ille cælestis non transuerberat terram, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentia mutare sedes licet. Nullum malum

sine

sine effugio est. Nunquam fulmina populos perusserunt. Pestilens cælum exhausit vrbes, non abstulit: Hoc malum latissimè patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium. Non enim domos solùm, aut familias, aut vrbes singulas haurit, sed gentes totas regionésque subuertit: & modò ruinis operit, modò in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse; sed supra nobilissimas vrbes sine vllo vestigio prioris habitus, solum extenditur. Nec desunt, qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum sedibus suis eunt. Et è viuorum numero viui auferuntur, tanquam non omne fatum ad eundem terminum veniat. Hoc habet inter cætera justitiæ suæ natura præcipuum, quòd cum ad exitum ventum est, omnes in æquo sumus. Nihil itaq; interest, vtrum me lapis vnus elidat, an monte toto premar; vtrum supra me domûs vnius onus veniat, & sub exiguo eius tumulo ac puluere exspirem, an totus caput meum terrarum orbis abscondat: in luce hunc & in aperto spiritum reddam, an in vasto terrarum dehiscentium sinu: solus in illud profundum, an cum magno comitatu populorum concidentium ferar. Nihil interest mea, quantus circa mortem meam tumultus sit: ipsa vbi-

que tantundem est. Proinde magnum sumamus animum aduersus istam cladem, quæ nec euitari, nec prouideri potest. Desinamus audire istos, qui Campaniæ renunciauêre, quique post hunc casum emigrauerunt, negantq́, se vnquam ipsam regionem accessuros. quis enim illis promitteret melioribus fundamentis hoc aut illud solum stare? Omnia eiusdem sortis sunt, & si nondum mota, tamen mobilia: hunc fortasse, in quo securiùs consistis locum, hac nox, aut hic ante noctem dies scindet. Vnde scies, an melior eorum locorum conditio sit, in quibus iam vires suas fortuna consumpsit, & quæ in futurum ruinâ sua fulta sunt? Erramus enim, si vllam terrarum partem esse exceptam immunemq́ ab hoc periculo credimus. Omnes sub eadem jacent lege. Nihil ita, vt immobile esset, natura concepit. Alia temporibus alijs cadunt. Et quemadmodum in vrbibus magnis nunc hæc domus, nunc illa suspenditur: ita in hoc orbe terrarum nunc hæc pars facit vitiũ, nunc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim vrbes simul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam, quæcunque est ista vis mali, quæ incurrit; nunc Campaniam læsit. Circuit fatum, & si quid diu prætervit, repetit. Quædam rariùs solicitat, sæpius

pius quædam. Nihil immune esse & innoxium sinit. Non homines tantùm, qui breuis & caduca res nascimur, vrbes oræq; terrarum & littora, & ipsum mare in seruitutem fati venit. Nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunæ, & felicitatem, cuius ex omnibus rebus humanis velocissima est leuitas, habituram in aliquo pondus ac moram credimus. Et perpetua sibi omnia promittentibus in mentem non venit, id ipsum, supra quod stamus, stabile non esse. Neq; enim Campaniæ istud aut Achaiæ, sed omnis soli vitium est, male cohærere, & ex causis pluribus resolui, & summam manere, partibus ruere. Quid ago? solatium aduersus pericula dare promiseram: ecce vndique timenda denuncio. Nego quidquam esse quietis æternæ: quod & perire non possit, & perdere. Ego verò hoc ipsum solatij loco pono, & quidem valentissimi: quandoquidem sine remedio timor stultus est. ratio terrorẽ prudentibus excutit: imperitis fit magna ex desperatione securitas. Hoc itaq; generi humano dictum puta, quod illis subitâ captiuitate inter ignes & hostem stupentibus dictum est;

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Si vultis nihil timere, cogitate, omnia esse

timenda. Circumspicite, quàm leuibus causis discutiamur. Hucusque Seneca.

§. V

Sanctis, cælo aspecto, terram sordescere.

Ælian. lib. 8. c. 15. de animal.

Hoc vtili absinthio terra sapientibus amarescit, & dulcescit cælum. Apud Indos tractus est, cui nomen *Phalacra*, quasi Latinè *Caluus*: eoque ita appellatur, quòd, qui herbam in eo nascentem degustârit, & pilos & cornua amittat. Itaque elephanti, nisi cogantur, non accedunt ad locum illũ: immò verò prope cùm accesserint, perinde ac homines prudentissimi, ab omni illius loci gramine refugientes, pedem referunt. Ad hunc modum, quibus terra est domicilium voluptatis, & qui delitias eius, tanquam herbas degustant, & cæsariem, & cornua, hoc est, ornamentum & robur animorum perdunt. Prudentes igitur, elephantorum ritu, quia non tam amœnitates, quàm vanitatem rerum terrenarum, tanquam pestifera gramina, & virulentas Circes herbas, considerant, facilè hæc caduca contemnunt, animumq; ad maiora traducunt. Vident enim, fallacia esse, quæ hîc blandiuntur. Experiuntur, non agitari tantùm ventis aërem, fluere aquas, volare

volare ignes, sed neque in ipsa terra solidam esse stabilitatem: cælum solum & cæleſtia perennare. Quamobrem, de S. N. Ignatio author vitæ illius hæc scribit: *Audiuimus sæpè illum, extrema etiam senectute, cùm in cælum, quà liber circumspectus erat, oculos sustulisset, eosq; aliquantisper fixos habuisset, obortis, præ lætitia, lachrimis, dicentem:* HEV QVAM SORDET TERRA, CVM CÆLVM ASPICIO! Sic docuit Eucherius, *raptandos nos in futurorum cupiditatem, si cogitemus,* QVAM FVLGEBIT MAGNIFICA PERPETVIS FORMA REBVS, CVM SIT NVNC TAM SPECIOSA PERITVRIS? Sic monuit D. Chrysostomus, quantumuis ampla & splendida regũ palatia auro multo & gemmis fulgentia, nihil à ludicris puerorum ædificijs, à nidis ex luto festucisque compactis, à formicarum operibus differre censenda, si cælum suspexerimus. Sic jubet S. Ephrem nos inter terram ac cælum instituere comparationem, & cognoscere, quàm omnia, in terris, tandem cadant, sicut frumentum, quod, suo tempore maturum metitur; in cælo autem, & sol, & luna, & omnes astrorum chori, à primo creationis suæ die, lumen incorruptum

Petr. Ribad. lib. 1. c. 2. vitæ.

Eucher. in paræn. ad Valerianum.

S. Chrysost. serm. 2. ad Coloss. & serm. 15. in 1. ad Timoth. & hom. de vanit. vitæ.

ptum ſeruent, quo ipſo quandam illius regionis indicant perpetuitatem. Sic D. Ambroſius, magnitudine & pulchritudine Solis perpenſa, digito monſtrari ſcribit, ex ipſa ſiderum formoſitate, magnitudine, duratione, Conditoris pulchritudinem, immenſitatem, & æternitatem, cuiuis creatæ venuſtati, ac moli, & æuo incomparabiliter anteponendam Si enim, quæ fixa ſunt & ſtabilia, caducis; ſi magna paruis, ſi vera vanis, ſi fugitiuis æterna bona cenſentur meliora, quàm facilè eſt, inter hæc inferiora, & illa ſuperiora diſcernere? inter lutum & aurum, inter vitra & gemmas facere electionem?

S. Ambroſ. l. 1. Hexaëm. cap. 1.

§. VI.

Caduca, in mundo omnia, cælo perdurante.

Blandiuntur flores? nullus vltra menſem ſuum perdurat. Arrident ſiluæ? exciduntur, aut ventis ſternuntur, aut conflagrant, aut ſenio areſcunt. Allicit elegans vultus? Nihil formâ fugacius, adeò vt Phauorinus pronunciet: poſt paucos annos, in viuente etiamnũ Alcibiade, quondam pulcherrimo, ab ijs ipſis, qui eius formam demirati aliàs fuerant, Alcibiadem quæſitum fuiſſe. Virent prata? flaueſcunt arua?

Phauorin. apud Stobęum ſerm. 66.

arua? florent vineæ? prata inundans fluuius, arua imber, vineas grando destruit. Defendunt te ædes, arces, vrbes? potentem faciunt arma; diuitem rura, felicem clara pignora, & penè immortalem multi nepotes? hos omnes mors auferet; rura accîdent alluuiones; arma hostis. Denique nulla tam est firma domus, nulla arx tam celsa, nulla tam potens ciuitas, quam terræ motus non possit solo æquare. Hæc vbi conspexeris, aliò oculos conuerte, & disces dicere: *Heu quàm sordet terra*, cùm cælum aspicio! Quò nos manu ducens D. Chrysostomus, *Vides cælum hoc*, inquit, *quàm pulchrum, quàm amplum, quàm magnificum sit, quemadmodum vario stellarum ordine exornetur, & splendeat, quantum edurare potuerit temporis? Iam enim quinq; millia annorum, atq; etiam plus seruatur, & constat, nec tamen, longo temporis spatio effectum est, vt senescat, sed ad modum corporis adolescentis robusti floret, vigetq; ætate; & quàm principio sortitum est pulchritudinem, eandem integerrimam seruat, nulla ex parte factum deterius, tanto spatio temporis.* Hæc sedes beatorum nullo motu, nullo attritu, nulla tempestate destruetur. Tanto igitur optabilior est, quanto diuturnior. §. VII.

S. Chrysost. hom. 2. contr. Anomæos.

§. VII.

A terrenis gaudijs ac fugitiuis, æterna esse æstimanda.

Spectaculum vnius diei, aliquot horarũ conuiuium, symphonia breui tempore aures permulcens, magnum quid esse putatur: maius putaretur, si per duos dies, si per mensem, si per annum, duraret. Vni⁹ anni consulatus quanti est à Romanis factus? longè pluris dictatura per quinquennium continuata; aut regnum imperiumue, tota vita, productum. Quanti ergo facienda est illa Diuorum sedes, ille honor, ille triumphus & gloria, qui finem nescit? Si enim filij huius lucis, exiguis istis, & ferè momentaneis bonis, sæpe ita capiuntur, vt se capere non possint; quo desiderio exardescere debemus, si bona summa, infinita, sempiterna nobis præparata videamus? In terris, vix acquirimus diuitias, & rursus amittimus; vix attingimus dignitates, & deponimus; vix gustamus voluptates, & auellimur. In cælo possidebimus opes, honores, delicias, non decem, centum, vel mille annis, sed æternas, sed sæculis nunquam desituris; quorum suauitas non sensim, & per successum, sed tota simul percipie-

cipietur, immensa quadam accumulatione, infinitorum bonorum, in infinitum atque æternum, simul ac velut vna collectione fruendorum.

§. VIII.

Omne gaudium terræ finis vile, cæli æternitas pretiosum facit.

Disce hinc, ô quisquis es, seu juuenis, seu senex; diues & pauper; nobilis & ignobilis, agnoscere terræ vilitatem, & rerum terrenarum fluxarumq; vanitatem: disce pretium cæli & cælestium dignitatem æstimare, mundóq; tandem contempto, dicere: *Heu quàm sordet terra, cùm cælum aspicio!* Qui enim tanta, in terris, mala, & tantilla, tamque caduca bona esse videt; in cælo autem omnia stabilia, fixa, æterna, summa, & summè bona reperiri intellexit, vel fatuus est, & excors, vel ista illis anteponit. Immò illa omnia nullius esse momenti judicat, si cum istis comparentur. Quidquid enim transit, postquam transijt, perinde est, ac si nunquam extitisset. Posside centum jugera, mille agros, imò mille regna; posside Crœsi opes; habe Xerxis potentiam, & omnem Persarum apparatum; omnem Sardanapali luxum; acquire quid-

quidquid est honorum & titulorum; quid quid gloriæ & dignitatum; nata in delitijs, volutare in voluptatibus, etiam longa ætate; fruere denique cælo in terris; si tamen postea hæc amittas, si jugera, si regna à te auferantur; si opes alius tollat; si potentiam eripiat; si titulos extinguat; si de gradu dignitatis deijciat; si sensus & valetudo destructa voluptates excludat, quid ex omnibus illis vtilitatis, quid delectationis es percepturus? transierunt. desierunt. non existunt ampliùs. commodi nihil, mœroris multùm reliquerunt. Imò tristissima memoriâ recordaberis, te bonis gaudijsque illis omnibus esse spoliatum. Quæ recordatio tanto te magis affliget ac exagitabit, quanto bona illa amissa tibi visa fuerunt maiora ac meliora, quantoque chariora extiterunt. Quò enim dulcior est alicuius rei possessio, eò acerbior fit eius amissio. Eapropter, si ceteræ caussæ omnes deesset, hæc sola sufficeret, ad rerum instabilium amorem abijciendum; quia scilicet necessariò deserendæ sunt, & non sine ingenti dolore deseruntur. At diuina, cælestia, at æterna, nullo tempore, nullo casu amittuntur; neque amitti queunt. Quamob-

rem-

rem sunt rebus his caducis infinities meliora atque optabiliora, vel hoc solo etiam capite, quia durabiliora.

§. IX.

Gaudiorum terrenorum vanitas ad æternùm duratura nos gaudia inuitat.

Huic durationi accedit magnitudo bonorum, quæ inibi obtinget. Quantis enim spatijs cælum illud latè circumductum tertarum angustias superat; tanta excedit immensitate gaudium beatorum, huius mundi illecebras. Res, quæ hîc pariunt delectationem, non simul, sed sensim, & succesſiuè, nec sine interruptione, & plurimarum molestiarum admixtione, sua cõmoda adferunt; quorum cùm alterũ succedit, prius euanescit. At, in cælo, totum illud æternũ bonum, electis promissum, electorũ est, & ab electis in æternum totum simul possidetur. Nam *quamuis non fuerimus ab æterno, tamen possidentes Deum, fruemur in eo etiam æternitate; quatenus infinitis retro sæculis extitit, mente nos retrorsum, & antrorsum extendentes; sicut & tota immensitate fruemur, in immensum illud pelagus nos immergentes, vnus enim erimus spiritus cum Deo. Sensum igitur & gustum habebimus diuinorum, sicut* Leonard. Lessi. li. 4. de diuin. Perf. c. 4.

& ipse Deus habebit, etsi dispari gradu. Quis itaque ex hac terra morientium ad illam *terram viuentium* non aspiret? Immò quis diuinam hîc prouidentiam non agnoscat, amet, prædicet, quæ si aliam nullam causam haberet (cùm tamē habeat plurimas) tamen ob hanc solam benignissimè terras constringeret, concuteret, tot mortibus & miserijs repleret, vt eam nauseare, ac detestare disceremus; atq; ad meliorem, ex hoc exilio potiùs, quàm natali solo, patriam appetendam incitemur.

§. X.

A considerato terræ puncto, ipsos etiam Ethnicos, ad cælestem amplitudinē inuitatos.

Cur hoc non faceremus Christiani? Ethnici fecerunt. Quorum vnum iuuat testem adducere, ne videamur neruos nimium intendere, dum terrenas & delicatas mentes, ad rerum vanarum, mundique huius contemptum, & desideria cælestium inuitamus. Ita igitur Romanus sapiens loquitur. *Virtus, quam affectamus, magnifica est. non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cælestium, dignumq; efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatū habet*

Senec. l. 1. Nat. qq. in proœm.

habet plenumq; bonum sortis humanæ, cùm calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ sinum venit. Tunc juuat inter sidera ipsa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram: non illud tantùm dico quod egessit & signandum monetæ dedit, sed & illud, quod in occulto seruat posterorum auaritiæ. Nec potest antè contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles siluas, & deriuata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, & terrarum orbem supernè despiciens, angustum, & magnâ ex parte opertum mari, etiam quà exstat latè squalidum, & aut vstum, aut rigentem, sibi ipse ait: Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur? O quam ridiculi sunt mortalium termini! Vltra Istrum Dacus non exeat: Strymo Thracas includat: Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana disterminet: Rhenus Germaniæ modum faciat: Pirenæus medium inter Gallias & Hispanias jugum extollat; inter Ægyptum & Æthiopias harenarum inculta vastitas jaceat. Si quis formicis det intellectum hominis, nónne & illæ vnam aream in multas prouincias diuident? Cùm te in illa verè magna sustuleris; quotiens

videbis exercitus subrectis ire vexillis, & quasi magnum aliquid agatur, equitem modò vlteriora explorantem, modò à lateribus affusum, libebit dicere:

It nigrum campis agmen.

Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. Quid illis & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est istud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis: minima, etiam cum illis vtrimque Oceanus occurrit. Sursum ingētia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expeditus leuisque ac contentus modico emicuit. Cùm illa tetigit, alitur, crescit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis suæ, quòd illum diuina delectant: nec vt alienis interest, sed vt suis. Securè spectat occasus siderum atq; ortus, & tam diuersas concordantium vias. Obseruat vbi quaq; stella primum terris lumen ostendat, vbi culmen eius summum, qua cursus sit, quousque descendat. Curiosus spectator excutit singula, & quærit. Quidni quærat? Scit illa ad se pertinere. Tunc contemnit domicilij prioris angustias. Quantum enim est, quod ab vltimis litto-

toribus

toribus Hispaniæ vsque ad Indos jacet? Paucissimorum dierum spatium, si nauem suus ventus impleuit. At illa regio cælestis per triginta annos velocissimo sideri viam præstat, nusquam resistenti, sed æqualiter cito. Illic demum discit, quod diu quæsiuit: illic incipit DEVM *nosse; cui,* vt Arnobius loquitur, *punctum terra est, & sub nutu omnia constituta.* Arnob. lib. 7. adu. Gēt.

§. XI.

Omnia, in mundo, vtilia esse, etsi nos vtilitatem nesciamus.

Quod si igitur, è re maximè formidanda, qualis est terræ motus, quædam existunt vtilitates, quid de ipsa terra atque elementis ceteris debet cogitari? quàm vtibiles, &, in rem nostram, erunt reliquæ creaturæ? quarum quidem vires & præstantes effectus plurimos vel experientia, vel industria humana indagauit, haud est tamen ambigendum, plurimas quoq; earum nos virtutes latere, caussasque maximas, in diuinis consilijs, & Dei diphthera, reconditas, à nobis ignorari. Quod vel ipsum admirabili Numinis prouidentiæ perbene cēset D. Chrysostomus ascribendum, cuius sapientissima dispositione factum est, vt neque omnia nesciremus, ne deessent nobis S. Chrysost. hom. 10. ad pop.

bis tam industrij Architecti laudandi opera & argumenta; neque omnia sciremus' ne scientijs inflati superbiremus. E cuius S. Patris doctrina, discimus, si quid legamus, audiamus, aut videamus vel esse, vel fieri, in mundo, cuius nobis vel vsus, vel causa incognita in mentem non veniat; cogitandum tamen esse, nihil à natura, nedum à Deo, fieri frustra, sed vsum maximum, causamq; optimam eiusce rei creandæ, vel permittendæ fuisse. *Quoniam mirabilia opera Altißimi solius, & gloriosa, & abscõsa, & inuisa opera illius*: vt, in omni rerum varietate, merito opifex earum suspiciendus, amandus & celebrandus sit, nequi de nobilissimo cuiusq; fine & vsu sit à quoquam dubitãdum. Quemadmodum enim, qui tabernam Pharmacopolæ intrans, innumeras hîc suo ordine pyxides, illic testas; alibi capsas, alibi vitra, & ampullas, in suis forulis, longa serie stantes conspicit; itémque aridos flores, siccatas herbas, fibras radicum, mensuras, pondera, vasa, & omnis generis instrumenta; quibus alia decoquuntur, alia refrigerantur, alia percolantur; alia, quæ in colo subsederunt, contrita læuigantur; alia in junceis fiscellis,

Eccli. 11. 4.

lis, vel sparteis saccis exprimuntur; alia forficulis incisa incernuntur cribro, alia tunduntur & teruntur pistillo; sicut, inquam, qui hæc conspicit, etsi ignoret, ad quem ea rerum & negotiorum varietas vsum seruiat, haud tamen judicat, eam temerè esse ab herbario, aut medicamentario illuc comportatam; sed potiùs omnia, quæ videt, vtilia esse censet, ad hominum sanitatem conseruandam, aut restaurandam: ita, qui in hunc mundum ingressus, reperit in eo ignes & aquas, incendia & diluuia; ventos & imbres; procellas & tempestates; videtque alios in camino tribulationis probari, & velut decoqui; alios per naufragia, in ipso Oceano, refrigerari; alios confractis membris, velut in mortario contundi; licet caussam, ob quam id fiat, non perspiciat; non tamen debet existimare, Deo caussam nullam esse; sed ignorantiã suam diuinæ sapientiæ submittat, & cum S. Augustino dicat: *Etsi nos non intelligamus, quare quidque fiat, demus hoc prouidentiæ ipsius, quia non fit sine caussa; & non blasphemabimus. Cùm enim cœperimus disputare de operibus Dei, quare hoc, & quare illud; &, Non debuit sic facere, malè* S. Augustin. in Psal. 149.

fecit hoc; Vbi est laus Dei? Omnia sic considera, quomodo placeas Deo, & laudes artificem. Quòd si fortè intrares in officinam fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem, nescientem quid quare sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicet? Non sine causſa folles, hoc loco, positi sunt; artifex nouit quare, etsi ego non noui. In officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere, in hoc mundo, DEVM?

§. XII.

Varij, qui creaturas corrigere, aut Dei æmulatores esse voluerunt.

At nemo est, qui audeat? Enimuerò supra iam vidimus id ausum fuisse regem Alphonsum. Neque is primus fuit, neque postremus. Nam quia, juxta Comicum axioma, *decēt secundas fortunas superbia*, etiā ante Alphonsum alij quidam Principes, tā vecordi fastu, opera Dei corrigere voluerunt. Xerxes ille Persarum vertex, qui inter omnes orbis Principes facilè primas vi sus est obtinuisse, voluit etiam stultissimæ superbiæ magnum ridiculumq; exemplum esse. *Cùm enim intellexisset, Hellespontum ex*

Supra cap. 4. num. 2.

Herodot. l. 7.

ex Asia in Europam coniungi, indignè ferens, jussit trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum demitti. Audiui etiam, ait Herodotus, *mississe, qui stigmata Hellesponto inurerent, certè mandauit, vt colaphos Hellesponto incuterent: dicẽtes hæc barbara ac vesana verba: O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quòd eum læsisti, qui de te nihil mali meritus erat. Te tamen rex Xerxes, velis, nolisue, transmittet, meritóq; nemo hominum tibi sacrificat, vt doloso pariter, & amaro flumini.* Idem Plutarchus testatus est. Quin & ad montem Atho eiusmodi epistolam misit. *Atho diuine, cælum tangens vertice, noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles, alioqui te excisum in mare deturbabo.* Ad has stultitiæ minas perducit superbia. Quin & habet imitatatores. Qua de caussa Pompeius M. Lucullum *Xerxem togatum* vocabat, ob iectas mari moles, & mare, subfossis montibus, in terras receptum. C. Caligulam Cæsarem Seneca scribit, cælo iratum, quòd obstreperet Pantomimis (quos imitabatur studiosiùs, quàm spectabat) quodque comessatio sua fulminibus terreretur, ad pugnam vocauit Iouem, & quidẽ sine missione,

Plutarch. lib. de ira cohibenda.

Senec. l. 1. de Ira. c. vlt. itẽ Dio & Sueton. in eius vita.

sione, Homericũ istum versum exclamans: ἢ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγω σε: *aut tu me tolle, aut ego te.* At quid mirum, si Iouem prouocauit, qui se ipsum vt Iouem fingeret, ex sorore Iunonem feci; manibus Victoriæ se coronatum somniauit; Lunamque coniugem suam jactans. Vitellium interrogare non erubuit, *An Deam secum conuersantem videret?* Cui ille falsa adulatione respondit: *Minimè, Domine, tantummodo enim vobis Dijs licet inter vos videre.* Ita de eo Xiphilinus refert, qui etiam ait, eum, vt per omnia Ioui similem se ferret, etiam machinis quibusdam effeciſſe, vt flamma inter nubes coruscasse, & cælum tonitru contremuisse videretur. Cotys quoq; rex Thraciæ, voluptaria vita, adeò demens factus est, vt Mineruæ se coniugio dignum ratus, instructo nuptiali epulo thalamoque, eius aduentum expectaret, moræque pertæsus satellitem mitteret, qui videret, an Minerua iam in thalamum veniſſet; quem, cùm retuliſſet, *neminem ibi esse*, sagittis confodit. Idem fecit secundo. Tertius duorum exitio cautior factus, mendacio euasit, respondit enim reuersus, *eum à Dea cupidè expectari.* Sic ille in cubiculum secedens,

Athenæus lib. 12.

qualis

qualis ipse fuit Deus, talem Deam inuenit, id est, nullam, vanus vanitate pastus. Sed & recentiora sunt exempla. Nam & Attila, post deuictos hostes Ætium & Thrasimundum, dixisse fertur: *Nunc stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse vniuersi orbis:* quin eò arrogantiæ processit, vt suo titulo *flagellum Dei* adijci, itaque & in litteras referri, & nominari se mandârit. Vnus hîc insanijt. Lopesius Gomara de Mexicanis regibus memorat, eos, cùm consecrarentur, more gentis, jurare debuisse in hęc verba: *Effecturos se, vt Sol cursum splendoremq; suum teneret, nubes pluerent, riui currerent, & terra produceret omne genus frugum.* Quasi Dij essent, aut à Iosue Soli ac Lunæ imperare didicissent. In diuinis quoque litteris Señacherib se Deo potentiorem jactauit; & Balthasar filius Nabuchodonosor, mali corui malum ouum, aduersus dominatorem cæli & terræ eleuatus est. Nicanor quoque Iudæos antè vendidit, quàm eos in campo videret. Herodes Agrippa, veste regia indutus pópulum acclamantem; *Dei voces, & non hominis*, cum lubentia audiuit. Et quanti fuerunt, qui vsque ad cælum ascendere, via non recta tenât-

Nicolaus Olaus in eius vita. cap. 9.

4. Reg. 19. 16.

Dan. 5.

2. Macha. 8. 34.

Act. 12. 22.

Gen. 11. 4. Gen. 3. 5.

tentârunt ? ipsi primi parentes, *sicut Dij* esse voluerunt. Quæ superbia ita nunc est hominibus hæreditaria, vt ab infantia jugum omne fugiant, dominatum affectent, seruis, equis, canibus, frigori, æstui, siccitati, pluuijs, cælo & terris, ignibus & aquis irascantur. Denique multis nihil fit rectè; quia, sicut podagrici, rebus omnibus, & ipsis adeò etiam plumis offenduntur; vellentque omnia, non ad Dei, sed ad suum nutum administrari. Sapienter igitur Deus, vel hac de caussa, multa aliter sinit euenire, vt vel hinc sapiant, agnoscantque alium supra se mundi Gubernatorem. Ita Canutus rex Anglorum repressit adulatorem; qui cùm *omnia ad vultum & nutum regis conuerti diceret: Rex sedile suum in littore maris, statui jussit, cùm ascenderet. Ascendenti mari dixit: Tu meæ ditionis es, & terra, in qua sedeo, mea est, nec fuit, qui meo resisteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes, nec membra dominatoris tui madefacias. Mare verò, de more, conscendens pedes regis, sine reuerentia madefecit. Ille igitur resiliens: sciant, inquit, omnes habitantes orbem, vanam esse, & friuolam regum potentiam, nec regis quem-*

H. Huntindonensis Cambdenus in Britannia. pag. 191.

piam

piam nomine dignum, præter eum, cuius nutui cælum, terra, mare, legibus obediunt æternis: nec vnquam postea coronam capiti imposuit. Multi, si & hæc, & quæ hucusque de terra marique dicta sunt, perpenderent sedulò, non coronas tantùm, sed etiam cristas demitterent, dicerentque: *Domine Deus virtutum, quis similis tibi?* Ps. 88. 10. *potens es, Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris.*

Cum facultate Superiorum.



INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

CAPVT I.

Diuinam bonitatem pariter iustam, & iustitiam, etiam cùm punit, simul bonam esse. Pag. 1

§. 1. *Bonitatis & iustitiæ, in operibus Dei, arcta coniunctio.* ibidem.

§. 2. *Nullam rempublicam, sine concordia, nec concordiam, sine iustitia consistere.* 3.

§. 3. *Iustitiam atq; religionem, sine motus motum sine Dei ira, non custodiri.* ibid.

§. 4. *Iræ diuinæ æquitatem ab alijs perniciosè ignorari; ab alijs vtiliter agnosci.* 4.

§. 5. *Spe & metu simul mortales esse in officio continendos.* 6.

§. 6. *Quam malè Marcion, & Marcionita negauerit, Deo conuenire vt reos plectat?* 8.

§. 7. *Diuinæ iustitiæ pœnam vtilem esse, non tantùm ferenti, sed etiam facienti iniuriam; seu reo; qui punitur.* 9.

§. 8. *Castigationes diuinas, tanquam ab amante, non persequente Deo, suscipiendas esse.* 10.

CAPVT II.

Pleraque, quæ vulgò mala dicuntur, bona esse

esse; aut in bonum vsum posse adhiberi. Pag. 12.

§. 1. *Cùm decuerit, Deum rerum naturis vim non inferre, multa inde necessariò existere, quæ mala putantur.* 12.

§. 2. *Ea ipsa, quæ naturæ mala censentur, bonis in bonum prouenire.* 13.

§. 3. *Bona malis nocere, mala bonis prodesse, atq; hoc pacto bona fieri.* 14.

§. 4. *A mundo excæcatos secundùm faciem judicare, non secundùm veritatem.* 16.

§. 5. *Socratis exterior vultus, & interior virtus, cum Silenis comparatur.* 17.

§. 6. *Cur Socratem Alcibiades cum Silenis comparârit? eámque comparationem in multas alias res competere.* 19.

§. 7. *Flagella & cruces visu horrendas, & malas sensu, in recessu, bonas atque vtiles esse.* 20.

§. 8. *Cur Deus, cùm bonus sit, mala esse in mundo, sinat?* 21.

§. 9. *Quæ malis, sua culpa, mala contingunt, ea, in diuinis oculis, tanquam ex justitia orta, esse bona.* 23.

§. 10. *Quomodo mala bonis bona sint?* 25.

§. 11. *Ab hominum impatientia cælum & terram, & omnia mundi elementa accusari*

sari; &, hac accusatione, mundi Conditorem ipsum perstringi; qui tamen tam bonus est, vt doceat nos, & de peccatis bonum elicere. 27.

§. 12. *Summarium quoddam rerũ in mundo occurrentium, de quibus homines querũtur.* 29.

CAPVT III.

Dei opera judiciaq; etiam in fulminibus, & igne, & aëre, & reliquis mundi iratis elementis, esse laudanda. Pag. 31.

§. 1. *Momorum contra mundi partes querela.* ibid.

§. 2. *Magnam in Deum è creatione ignis, & fulminis, gloriam redundare.* 32.

§. 3. *Permittente, ob justas caussas, Deo, malum sæpe dæmonem esse fulminum fabricatorem, etiã in ipsa templa cadentium.* 36.

§. 4. *Fulmina Ioui & Imperatoribus appicta, vero Deo longè rectiùs conuenire.* 39.

§. 5. *Deum fulmina ostendere sæpius, quam mittere.* 40.

§. 6. *Cur fulmina dicantur ignis Dei?* 41.

§. 7. *Pontiani martyrio ostenditur, ignem Deo parere, & Dei amicis parcere.* 44.

§. 8. *Ignem Dei amicis vel parcentem, vel nocentem, Dei nomen ac gloriam propagare.* 46.

§. 9. *Ignem quoque fulmineum sæpe magis esse ad splendorem, & authoritatem, quàm in damnum cadere.* 47.

§. 10. *Fulgor maiestatis in fulmine non ladente consideratus.* 49.

§. 11. *Ignis innocentibus idem, qui auro; nocentibus idem, qui stipulæ, quam facilè consumit.* 51.

§. 12. *Tibicinis & aliorum obscœna leuitas fulmine punita.* 53.

§. 13. *Impurus & saltator sacerdos, fulmine prostratus.* 55.

§. 14. *Monachus fulmine contra militis iniuriam defensus.* 58.

§. 15. *Ignem quoq; & incendia parcere innocentibus, in viduæ simplicis exemplo, ostenditur.* 59.

CAPVT IV.

Æquitas, bonitasque diuina, in tempestatibus & mundi elementis, Pharaoni, Alphonso X. alijsque luculentè ostensa. Pag. 61.

§. 1. *Ignis è terra erumpentis & fulminū vera caussa, fabulosæ opposita.* ibid.

§. 2. *Alphonsi Deum corrigentis arrogans & amens superbia.* 63.

§. 3. *Angeli, regem per militem admonen-*

tis vigilans cura. 66.
§. 4. Militis fidelitas, regis contumacia, Numinis longanimitas. 67.
§. 5. Altera vice pulsans, & moneri superbum regẽ jubens Deus, denuò repellitur. 68.
§. 6. Fulminum, & tempestatis motu, tandem Alphonsus ad pœnitentiã adigitur. 70.
§. 7. Fulminum vis, Deo seruientium tribus exemplis, declaratur. 72.
§. 8. Pœnitentia compescit tempestatem, à qua fuerat, & ipsa Alphonso regi obiecta. 74.
§i 9. Igne de cælo cadente punitorum complura exempla. 76.
§. 10. Cur aliquando fulmina & tempestates sæuiant in innocentes? 77.
§. 11. Cur tempestates aliquando parcant nocentibus? 79.
§. 12. Sanctorum meritis, ab igne intacta manere, quæ alioqui flamma vorax absumeret. 81.
§. 13. Fulminum naturales & spirituales vtilitates. 83.
§. 14. Aliæ fulminis spirituales vtilitates. 85.
§. 15. Ceaddæ, in tempestatibus meditatio. Et timoris etiam seruilis vtilitas. 87.

CAPVT

CAPVT V.

Ventos, nubes, pluuias, grandines, lucem, & tenebras, & quidquid in aëre mali speciem habet, ab hominibus habere; ac Dei potentiam & æquitatem prædicare. Pag. 92.

§. 1. *Aëris accusatores, & commendatores.* ibid.

§. 2. *Aëris, per imbrem, beneficia.* 93.

§. 3. *Iosephi Anchietæ, & Marci Senensis de pluuia responsum.* 95.

§. 4. *Ventorum vis, & varietas.* 97.

§. 5. *Ventorum vi, contra Pharaonem, allatæ locustæ.* 98.

§. 6. *Ventus quid fecerit in mari rubro siccando?* 100.

§. 7. *Ventorum Dominus est solus Deus.* 101.

§. 8. *An, & cur Deus etiam Magis, in ventos permittat potestatem?* 103.

§. 9. *Et nimium, & nullum ventum nocere posse.* 105.

§. 10. *Tempestatum potentes fœminæ punitæ & puniendæ.* 106.

§. 11. *Ipsos sæpe homines ventorum ac tempestatum, & tenebrarum esse procuratores.* 108.

§. 12. *Tenebris homines, in multis rebus*

etiam bonis iuuari. 109
§. 13. *Tenebris illuminatum S. Dionysium Areopagitam.* 111.
§. 14. *Quàm horrendæ fuerint tenebræ, quibus Ægyptij fuêre puniti?* 114.
§. 15. *Quàm mirabile fuerit, inter Ægyptiorum tenebras, Israëlitis lucem non defuisse?* 118.
§. 16. *Luce abutentes, Dei luce indignos esse.* 120.
§. 17. *Tenebræ Ægyptiorum, tenebris peccatorum pares & dignæ.* 122.
§. 18. *Quàm horribiles futuræ sint tenebræ infernales?* 124.
§. 19. *Molestiæ tenebrarum, in aëre, desiderium lucis æternæ accendunt.* 127.

CAPVT VI.

Beneficia Dei, ab Aquis, ob quæ meritissimò eum sancti laudauerunt; & impatientes laudare deberent. Pag. 129.
§. 1. *Artificum, & instrumentorum varietas, & vsus.* ibidem.
§. 2. *Elementorum terræ & aquæ consortium mirè artificiosum, & vtile.* 131.
§. 3. *Aquarũ æstimatio apud Romanos.* 134.
§. 4. *Aquæ commendatio, est hostilis aquæ subductio.* 136.

§. 5. *Aqua bis à Moyse data, duplicis fontis à Christo nascente & moriente dati, figura.* 138.
§. 6. *Alij fontes à Christo donati, Romæ, in Ægypto, in Emmaus.* 141
§. 7. *Aquæ aliquoties in vinum versæ gloria.* 144.
§. 8. *Aqua Baptismo & Christi ipsius contactu consecrata.* 146.
§. 9. *Varius, in rebus sacris, aquæ vsus spiritualis.* 148.
§. 10. *Sitis miraculosa aquarum largitione à sanctis restincta.* 150.
§. 11. *Martyrium aquis consecuti sancti.* 153.
§. 12. *Variæ artes, in aquis aut per aquas factitatæ.* 154.
§. 13. *Magni ac multi aquarum laudatores.* 158.

CAPVT VII.

In ipsis etiam Aquarum damnis, periculisque, Deum & iustum & laudabilem esse. 160.
§. 1. *Aquarum vituperatores esse, qui ab aquis damna sunt passi.* pag. eadem.
§. 2. *Nocumenta ab aquis illata, & significata.* 164
§. 3. *Plerumque in hominibus magis, quàm*

in aquis, cauſam eſſe valetudinis offenſæ. 166.

§. 4. *Aquarum vitia, ſi non vtilia, ſaltem emendabilia eſſe.* 168.

§. 5. *Inundationes extraordinariæ aquarũ oſtendunt, quantum ſit beneficium ordinaria cohibitio aquarum ne inundent.* 172.

§. 6. *Quantum admirati ſint S. S. Patres terminos aquarum à Deo poſitos ne tranſirent fines ſuos?* 174.

§. 7. *Poteſtas etiam ſanctis quibuſdam data, ad aquas certis limitibus coërcendas.* 177.

§. 8. *Sancti etiam ſuper fluctus ambulantes, aut pallio, vice nauis, vtentes.* 180.

§. 9. *Aquarum eluuiones, etiam in aliorum vtilitatem à ſanctis cohibitæ.* 184.

§. 10. *S. Hilarionis, per ſignum Crucis, contra exundans mare poteſtas.* 186.

§. 11. *S. Sabini epiſtola Pado flumini ſcripta, quàm fuerit potens?* 187.

CAPVT VIII.

Aquas mortalibus nocentes, eſſe Dei juſtiſſimè punientis inſtrumenta, ac ſæpe etiam velut iudicia, quibus mali à bonis diſcriminantur, ſed cum iudicio, & non ſine delectu agnoſcenda. Pag. 189.

§. 1. *Aquarum exorbitantium pericula, damna,*

damna, vituperia. *ibidem.*
§. 2. *Homines ipsos primam esse causam, vt aquis exorbitantibus puniantur.* 191.
§. 3. *Generalis diluuij causa, & effectus.* 192.
§. 4. *Quàm grauiter Ægyptiorum contumacia & impietas, aquis sit punita?* 195.
§. 5. *Detestabilis Ægyptiorum potus.* 198.
§. 6. *Causæ, ob quas Ægyptij, aquis in sanguinem versis, sunt puniti.* 199.
§. 7. *Eadem aqua, eodem tempore, Ægyptijs & Israëlitis non eadem.* 201.
§. 8. *Alia iudicia Dei per aquas hominibus ostensa.* 202.
§. 9. *Aquas dari, vel negari à Deo, vt discamus inimicis benefacere, sapere, orare.* 204.
§. 10. *Aquas aliys pro speculo, Gedeoni ac Hispanis, & Gallis pro iudice fuisse.* 205
§. 11. *Aqua periurij vindex, vt malis mala, sic bona bonis.* 208.
§. 12. *Iudicia per aquam feruentem prohibita esse.* 209
§. 13. *Quibus formulis, aut legibus, iudicium superstitiosum, per aquas, fuerit olim permissum?* 210.
§. 14. *Quibus de causis iudicium per aquas sit illicitum?* 215.

§. 15. *Miracula, vel quasi miracula, sicri subinde etiam à non sanctis. Et quid inter verum & apparens miraculũ interſit?* 215.

§. 16. *Dæmones artibus occultis velut miraculis fallacias ſtruere.* 218.

§. 17. *S. Gangulphi vxoris adulterium per aquæ iudicium deprehendentis mirandum, non imitandum, exemplum.* 220.

§. 18. *Feruenti aqua fides defenſa, hæreſis vſta, miraculo item mirando, non imitando.* 222.

§. 19. *Sagarum in aquis natantium, iudiciariam exploratione non modò illicitam, ſed etiam contra rationem eſſe.* 225.

§. 20. *Temerariam innocentiæ probandæ conſuetudinem paſſim inualuiſſe.* 228.

CAPVT IX.

Non poſſe ab hominibus Deum aquis punientem accuſari, cùm aquis ipſi & alios, & ſe ipſos plectant. Pag. 229.

§. 1. *Aquas eſſe iuſtitiæ & miſericordiæ diuinæ inſtrumentum.* ibidem.

§. 2. *Homines aqua punientes, & aquis puniri indignantes, quàm iniquè Deum tractent?* 231.

§. 3. *Arionis in mare iactati fabula.* 232.

§. 4. *Auaritiæ ſeipſam punientis ſpeculum,* 18

in ijs, qui Arionem in fluctus eiecerunt. 234.

§. 5. *Aquis per vim aut dolum interfecti.* 236.

§. 6. *Variæ fœminæ, quæ, præ insania, vel alios, vel se ipsas aquis peremerunt.* 238.

§. 7. *Viri quoque luctu insanientes, qui se aquis suffocauerunt.* 240.

§. 8. *Alij viri aquis sua sponte hausti.* 243.

§. 9. *Superbi cuiusdam & luxu diffluentis Clerici miserabilis interitus.* 244.

§. 10. *Extrema desperantium dementia cauenda.* 250.

§. 11. *Deo longè decentiùs conuenire, vt aquis plectat reos, quàm hominibus.* 252.

§. 12. *Serui, aquarum metu, in mendacio deprehensi fabula.* 253.

§. 13. *Antonini persecutio, aquarum inundatione, & alijs cladibus, punita.* 256.

CAPVT X.

Deum vt aquarum terrarúmque Dominum, potestatem, iustitiam, prouidentiámque suam ostendere, miserando Emmanuelis Sosæ naufragio, & sæculi marísque similitudine declaratur. 258.

§. 1. *Absolutißimum Dei in omnes res dominium.* ibidem.

§. 2. *Emmanuelis Sosæ tempestas, naufragium, & tragœdia dignus interitus.* 260.
§. 3. *Cur Deus, maris dominus, quosdam sinat tempestatibus iactari?* 274.
§. 4. *Mare esse vitæ humanæ imagine.* 278.
§. 5. *Quomodo S. Augustinus hunc mundũ cum mari comparârit?* 279.
§. 6. *Ecclesia naui similis, quò; & quomodo debeat tendere?* 281.

CAPVT XI.

Terræ hominis gratia creatæ, situs, quies, rotunditas, inæqualitas, venustas, & feracitas, laude & admiratione digna. Pag. 282.
§. 1. *In terra, communi omnium matre, alios inuenire quæ vituperent, alios, quæ laudent.* ibidem.
§. 2. *Terræ boni laudatores.* 285.
§. 3. *Terræ vani cultores.* 287.
§. 4. *Terræ situs, & immobilitas, contra quorundam vertiginem firmata.* 289.
§. 5. *An, & vnde terra emineat super aquas?* 294.
§. 6. *Cur aquæ terram non obruant?* 296.
§. 7. *Aquas terris non esse altiores.* 298.
§. 8. *Quomodo aquæ dici possint in vnum locum collectæ?* 300.

§. 9. *Terrarum & aquarum elegans diuisio, sphæris expressa.* 301.
§. 10. *Amœnus terræ aspectus.* 302.
§. 11. *Theodoreti, è terræ aspectu in Deum ascensio.* 305.
§. 12. *Terræ fertilitas.* 306.
§. 13. *Eiusdem terræ, statim postquam ab initio creata est, quanta, & vnde fuerit fertilitas?* 309.

CAPVT XII.

Paradisi terrestris præstantia & voluptas. Pag. 312.
§. 1. *Paradisi eminentia & locus.* pag. ead.
§. 2. *Adami scientia è nominibus, quæ rebus indidit, agnoscenda.* 313.
§. 3. *Rerum creatarum, quàm delectabilis cognitio?* 316.
§. 4. *Cæli aspectus & pulchritudo.* 317.
§. 5. *Solis nobilissima formositas.* 321.
§. 6. *Amœnitas terræ ab Adamo aspectæ in Paradiso.* 323
§. 7. *Adami, in Paradiso, negotium flores.* 326.
§. 8. *Arborum, & siluularum deliciæ.* 328.
§. 9. *An, & cur, in Paradiso etiam non fructiferæ arbores fuerint?* 330.
§. 10. *Arbori vitæ naturalem vim fuisse conser-*

conseruandi hominis. 332.
§. 11. *In Adamo, duplex Dei similitudo.* 335.
§. 12. *Cur Deus suam homini similitudinem impresserit?* 336.

CAPVT XIII.

An, & quo pacto Terra, Plantæ, Bestiæque, ante, & post peccatum Adami, subiectæ, vel mutatæ, hominique infestæ factæ sint? 340.
§. 1. *Peccato terræ maledictio inducta.* ibid.
§. 2. *Paradisi in terram miseriæ, mutatio, fabula expressa.* 342.
§. 3. *Quantum arbor scientiæ boni & mali nocuerit homini? & vnde sic dicta sit?* 344.
§. 4. *Esu mortifero, homo sibi ipse mortis causſa fuit.* 345.
§. 5. *An spinæ fuerint, ante hominis peccatum?* 345.
§. 6. *Ab homine, hominis malum ortũ.* 349.
§. 7. *Hominem, etiam post peccatum, plantis, bestijsq; esse superiorem.* 351.
§. 8. *Hominis in bestias dominium apparet, ex Euæ serpentem non horrente.* 352.
§. 9. *Serpentis cum Eua collocuti forma & pulchritudo.* 357.
§. 10. *Cur Deus permiserit Euam tantùm à Diabo-*

à Diabolo specie serpentis tentari? 355.
§. 11. *Ius homini in bestias & dominium, post peccatum, ita quidem mansisse, vt tamen non manserit eadem securitas.* 357.

CAPVT XIV.

Quantum homini, etiam post peccatum Adami, in omnis generis bestias, dominium, quantaque potestas relicta sit? Pag. 359.
§. 1. *Sanctis quibusdam contra serpentes, dracones, & leones potestas diuinitus data.* ibidem.
§. 2. *In leones, lupos, vrsos, & crocodilos vis à Deo, non ab astris concessa.* 363.
§. 3. *Mira vis in volucres sanctis diuinitus concessa.* 364.
§. 4. *Potestas Diuorum in aquatilia.* 365.
§. 5. *Hominis alioquin inermis & nudi, in animalia etiam naturalis potestas.* 366.
§. 6. *Dominiũ hominis in Elephantes.* 371.
§. 7. *Ceruorum docilitas.* 376.
§. 8. *Luporum, vrsorum, tigridum, leonumq; mira cicuratio.* 378.
§. 9. *Variarum belluarum in curribus trahendis vsus.* 382.
§. 10. *Nec ante oculos pennatorum frustra rete spargi.* 384.

§. 11.

§. 11. *Aues ad cantum & sermonem instructæ.* 385.

§. 12. *Bestiarum ad venatum, ad litteras deferendas, ad concordiam mirabilis disciplina.* 389.

§. 13. *Aquilarum succursus & disciplinæ capacitas.* 391.

§. 14. *Serpentes hominibus innoxij & subiecti.* 394.

§. 15. *Serpentum & draconum stupenda cicuratio.* 395.

§. 16. *Piscium quoq; esse aliquam disciplinam.* 398.

CAPVT XV.

Iniustam esse, contra bestias querelam; iustam autem Dei contra homines bestijs inobedientiores, ac proinde merito puniendos. Pag. 401.

§. 1. *Impatientia hominum iniuste de bestijs querentium.* ibidem

§. 2. *Homines canibus ingratiores, leonibus sæuiores, iniustè contra bestias queri.* 401

§. 3 *Hominum inobedientiam, ab obedientia bestiarum in ruborem dari.* 402

§. 4. *Exemplo bestiarum, ductorẽ & legem sequendos, non ducendos.* 403

§. 5. *Hominum peccata à bestijs puniri.* 404

olim à muscis Pharaonem. 412.
§. 6. A serpentibus & leonibus puniti. 414.
§. 7. Ursi malè educatos pueros punientes. 416.
§. 8. Amentia eorum, qui contra bestias quèruntur. 418.
§. 9. Leonibus, in pœnam, & gloriam hominis vti Deum. 421.
§. 10. Dominium hominis in animalia ita imminutum esse, vt maximis minima molesta sint. 423.
§. 11. Cur minima animalia potius hominibus sinat esse molesta Deus? 426.
§. 12. Ranarum quanta fuerit in Ægypto plaga? 428.
§. 13. A ranis homines ciuitatibus expulsi. 430.
§. 14. Qualibus muscis Ægyptij fuerint exagitati? 431.
§. 15. Ob muscarum metum Ethnicos muscarum Deos exagitasse. 433.
§. 16. Apum in furem furor. 434.
§. 17. Apum in vrbibus defendendis potentia. 435.
§. 18. Crabronibus & vespis, quos fugârit Deus? 437.
§. 19. De muscis S. Narcissi sacrilegos punien-

punientibus. 438.
§. 20. *Non mirandum, homines à bestijs vexari, cùm ipsi irritent Deum.* 441.

CAPVT XVI.

Quàm bonam Deus suis, & in Ægypto, & in Palæstina, terram assignârit seruis? Pag. 443.

§. 1. *Cur, in bona terra, mala bonis misceantur? Pag.* eadem.
§. 2. *Charis de bona terra prospici.* 445.
§. 3. *Terræ sanctæ bonitas & amplitudo.* 446.
§. 4. *Fertilitas terræ sanctæ diuinis litteris tradita.* 448.
§. 5. *Fertilitas terræ sanctæ à Iosepho descripta.* 450.
§. 6. *Fertilitas terræ sanctæ ab Aristea prædicata.* 452.
§. 7. *Fertilitas terræ sanctæ à Brocharda narrata.* 455.
§. 8. *E terra sancta, eiectos hostes Dei, vt amici Dei eam haberent; quam & ipsam meliorem vel deteriorem habuerunt, prout ipsi meliores vel deteriores fuerunt.* 455.
§. 9. *Meritò Deum vel dare, vel negare terræ fructus.* 459.
§. 10. *Terra sancta & benedicta potissimùm à sanguine olim Christi.* 461.

§. 11.

§. 11. *Quanti homines pij terram sanctam fecerint, Christi contactu benedictam?* 464.

§. 12. *Terram benedictam non solum Christi, sed etiam Matris eius figuram extitisse.* 466.

CAPVT XVII.

Etiam alias terras bonis, & laborem non fugientibus, bonas esse. Pag. 468.

§. 1, *Sapientissimè factum esse, vt non omnia sint in vno loco.* ibid.

§. 2. *Terram malam multis vtilem & gratam, bonam noxiam fuisse.* 469.

§. 3. *Bonos è mala terra bonam, malos etiam è bona malam facere.* 472.

§. 4. *Quid labor in terra colenda efficiat, fabula historiysque docetur.* 474.

§. 5. *Prodigiosus fructus, in labore C. Furij Cressini ostensus.* 476.

§. 6. *Fœcunditas terræ laboribus prouocanda.* 477.

§. 7. *Desidiosis meritò deberi terram desidiosam.* 478.

§. 8. *Ob tot terræ beneficia, gratitudinem nostram exigi.* 481.

CAPVT XVIII.

Varij modi variæque causſæ, ob quas ter-

ræ elementum indolem mutat, & veri
ſuapte natura immobile tremit.
Pag. 482.

§. 1. *Terram varijs modis, ob hominum
peccata, reddi inutilem.* 483.

§. 2. *Terra luce, & fœcunditate orbata.*
485.

§. 3. *Terra ardoribus exuſta, Deo puniente.*
487.

§. 4. *Terræ motus & hiatus à Deo in ira.*
488.

§. 5. *Terræ motu puniti etiam illi, qui ſua
terra contenti non fuerunt.* 491.

§. 6. *Terræ aliò migrantes, vel tremen
etiam proſunt.* 493.

§. 7. *Hæreſis Ariana cauſſa terræ tremen-
tus; cuius firmandæ modus in exemplo do-
cetur.* 495.

§. 8. *Naturalis prædictio terræ motuum.*
497.

§. 9. *Diuinitus accepta notitia terræ mo-
tuum.* 498.

§. 10. *Chriſtianorum templis parcens, Inſi-
delium euertens terræ motus.* 500.

§. 11. *Chriſti nomen foribus præfixum, ter-
terræ motum proſuit.* 503.

§. 12. *Sanctis patientibus, terra motum pa-
titur.* 505.

§. 5

§. 13. *Christi aduentum terræ motu, aliisq; prodigijs confirmatum.* 507.

§. 14. *Iudæos à templo restaurando terræ motu, aliisq; magnis prodigijs impeditos esse.* 508.

CAPVT XIX.

Ex congeminato Nuntio, de nouo, in vniuersa Calabria, terræ motu, à Iulio Cæsare recupito S. IESV conscripto, & Neapoli edito 1638. quædam notatu digniora. 515.

CAPVT XX.

Vtilissima, in terræ motibus, rerum caducarum contemnendarum mortalibus exhiberi monimenta. 544.

§. 1. *Quænam è terræ motibus documenta sumi possint.* Pag. 544.

§. 2. *Paradisus mendax, Mundi imago.* 546.

§. 3. *Terra, pro Dea, stultè adorata.* 548.

§. 4. *In terræ motu, terræ miseriam ac instabilitatem vel à Seneca considerari.* 549.

§. 5. *Sanctis, cælo aspecto, terram sordescere.* 554.

§. 6. *Caduca in Mundo, omnia, cælo perdurante.* 556.

§. 7. *A terrenis gaudijs ac fugitiuis, æterna*

esse æstimanda. 558.
§. 8. Omne gaudium terræ finis vile, cæli æternitas pretiosum facit. 559.
§. 9. Gaudiorum terrenorum varietas, ad æternùm duratura nos gaudia inuitat. 559.
§. 10. A considerato cæli puncto, ipsos etiam Ethnicos, ad cælestem amplitudinem inuitatos. 562.
§. 11. Omnia in mundo, vtilia esse, etsi nos vtilitatem nesciamus. 565.
§. 12. Varij, qui creaturas corrigere, aut Dei amulatores esse voluerunt. 568.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Prior numerus Caput, posterior Paragraphum significat.

A Baris Scytha, cum sagitta, volans. 5. 19.
Abduam amnem siccus calcat Ioan. Episc. 7. 8.
Abiron terra haustus. 18. 4.
Ablauius magia accusator. 5. 9.
Abraham ex Vr eductus. 3. 8. Sodoma exitium prascit. 18. 9.
Absorpti terrâ, qui? 18. 4.
Abusus aquarum noxius 7. 3. Creaturarum, Deum irritat. 16. 1.
Acronianum lacum calcat S. Conradus. 7. 8.
Adami scientia. 12. 2. Voluptas ib. n. 3. seq. in animalia potestas. 13. 11. & 14. 1. seqq.
Adoratores terra. 11. 3.
Aduersa odio Dei non adscribenda. 1. 8.
Aduersarium Deum habere, quam miserum? 15. 20.
Adultera fonte prodita. 8. 17.
Aegeti in mare saltentis casus. 9. 7.
Aegyptiorum tenebra. 5. 14. ingratitudo pro aqua. 6. 13. plaga. 15. 12. seqq.
Aëris varia commoda & incommoda. 5. 1. seqq.
Aes fulmine consumtum. 3. 10.
Aesculapij sub serpentis schemate impostura. 14. 15.
Aesopus turrim in aëre quomodo voluerit adificare? 14. 13.
Aethna inferni imago. 4. 14.
Animalia Noë quàm obedientia? 14. 4.
S. Agathapatiente, terra tremit. 18. 12.
Aglaia socia Iouis. 2. 9.
Agnes saga quo modo deprehensa? 5. 10.
Agrorum culturam qui docuerint? 17. 4.
Aiax cuius elephanti nomen? 14. 6.
Alanorũ tenebra quantæ? 5. 18.
Alapa innocenti data, quomodo punita? 1. 7.
Alberti V. Bauari leo. 14. 8.
Alcibiades Socratem Sileno comparans. 2. 5.
Alcinoë cur se in mare iactarit? 9. 6.
Alexander Calignonus refutatus. 11. 4.
B. Aloysij Gonzaga de ventis oraculum. 5. 7.
Alphonsi Regis punita & emẽdata ingens superbia. 4. 2.
Amaramentis symbolum. 7. 2.
Amicis suis quid promittat Christus? 2. 7.

Amœnitas terræ sanctæ. 16. 5. seqq.
Amor Dei fulmini similis. 4. 14
Amphiaraus terra haustus. 18. 4.
Anaximander terræ motum prædixit. 18. 8.
Andragathius aquis se suffocans. 9. 8.
Androdi gratus leo 14. 8.
Animalium obedientia. 13. 11. Vtilitas 14. 5. damna 15. 1.
Angelorum fulgor. 3. 10. celeritas claritasq; fulmine expressa. 4. 14. cura erga Alphonsum regem. 4. 3. erga pueros sub terra pascendos. 19. 24. ira & fulmen contra Sodomitas. 4. 9.
Anguilla armillis ornata. 14. 16
Anienis fluuij nomen vnde? 9. 8.
Anna Beli filia Aquis. 9. 6. de Mindien flāmis peremptæ. 5. 10
Annulis quid insculpēdū. 10. 4.
Anostus qualis locus, & Mundo similis. 13. 2. (18. 11.
Antiochia terræ motu cōcussa.
Antonini Pij nummus cur fulmen gerat? 3. 4.
Apum vis in furem. 15. 16. in hostes 15. 17.
Apollinis idolum fulmine ictū. 4. 8.
Apollophanes, per eclipsin, Christum agnoscere iussus. 5. 13.
Apostatæ Iuliani contra Christianos impiū mandatū. 1. 7.
Apostolorum vis in serpentes. 14. 1. Aquæ è terra recessus. 11. 5. pretiū & cōmoda. 6. 2. seq. Vtilitas. 6. 12. laudes ib. n. 13. damna & detestatio. 7. 1. & 8. 1. seq. similitudo cum humana vita. 10. 4. benedictæ origo & vsus. 6. 9. Signum terræ motus. 18. 8. Cutilia nomen. 4. 1. medicina pro rabidis. 6. 12. defensio in vrbibus 8 2. impetratio per orationem. 8. 9. oblatio, vel ablatio. 8. 8. speculū. ib. vsus pro oleo 6. 10. in vinū conuersio 6. 7. contactu Christi consecratio. 6. 8. cum vino in Missa permistio. 6. 9. in sacramentū vsus. ib. significatio in bonis & malis 9. 1. item in tribulatione. 7. 2. vitia curata 4 pœna in reos. 9. 2. in Aegyptios 8. 4. seq. in periuros 8. 11. probatio in suspectos 8. 11. in martyres robur. 6. 10. artes. 6. 11. suffocati. 6. 11.
Aquila in nummis, quid? 3. 4. armigera Iouis, cur? ib. n. 5. hominum gestatrices 14. 12. seq. Iosephi Anchietæ vinculum. 11. 3.

Aratores qui Imperatores 17. 4
Arbor è baculo Thaumaturgi. 7. 9. *lachrymare cogens, & latari.* 13. 2. & *n.* 4. *infructifera an in Paradiso?* 12. 9. *Vitæ. ib. n.* 10. & *iuuentutis.* 13. 2. *scientia boni & mali. ib. n.* 3.
Archelaus de agris colendis scripsit. 17. 4.
Ardor solis, quàm obsit terris. 18. 1.
Ara ignis quibus sacratior? 3. 2. *impositus ab aquila infans.* 14. 13.
Argentum fulmine absumptũ illasa pyxide. 3. 10.
Argis aquæ defectus quo modo sit compensatus? 7. 3.
Argyropilus Imp. Vxoris fraude occisus. 9. 5.
Arianorũ hæresin terra tremens horret. 18. 36.
Arida terra quo modo apparuerit? 11. 5. *seqq.*
Arionis fabula. 9. 3.
Aristobulus ludens aquis ab Herode submersus. 9. 5.
Armigera Iouis cur aquila. 3. 9.
Arrogantia Sathanica Alphonsi 4. 2.
Arsinoes templum è magnete concameratum. 11. 4.
Aries quæ aquis exercentur. 6. 12.
Arx à leonibus defensa. 15. 8.
Asini corio quis Ventos cohibuerit? 5. 8.
Aspiciens laborantem, ruptura acquirit. 17. 5.
Assidua gratitudo. 14. 15.
Astranum dent vim feras domandi? 14. 2.
Astrologus se suffocans. 9. 8. *terræ motum vanè vaticinans.* 19 22.
Athos mons stultè iubetur à Xerxe bonos lapides dare. 20. 12.
Attala aquas coercens. 7. 10.
Attalus de agris dacus. 17. 4.
Attica terra fertilitas. 11. 12.
Attila superbia in titulis nouis. 20. 12.
Atrei conuiuio sol obscuratus. 18. 1.
Auaro opes auget diabolus. Cur? 4. 11.
Auaritiæ detestatio. 9. 4.
Aucupiorum schola. 14. 32.
Audeantne pisces? 14. 16.
Aues disciplinæ capaces. 14. 11. *Senatui vtiles & litteris deferendis.* 14. 12. *hominibus familiares.* 14. 13.
Aufeia aqua, qua? 6. 3.
Augustus vinum petentes, ad aquam remittit. 6. 3. *filij pædagogum punit.* 9. 11.
Aulicorum inuidia. 5. 9.

Aurelianus infans ab aquila ara impositus. 14. 13.
Aures obdurata ad pia monita. 4. 5.
Auriferaces fluuij. 11. 12.
Auriga pietas remunerata. 18. 4.
Anseris fluuius à quo dictus? 7. 9.
Austria cur ventosa? 5. 4.
Baal sacrificuli ab Elia victi. 4. 7.
Babylas martyr fulmine defensus. 4 8.
Babylonica turris umbra in fabula gigantum. 4. 1.
Baccho fons vini falsò attributus. 6. 7.
Baculo fontes fossi. 6. 10. *fluuius coercitus.* 7. 7. & *n.* 9. *arbor facta.* *ibid.*
Baiulæ hominum bestiæ. 14. 2.
Balæna S. Maclouio obediens. 14. 4.
Balsami hortus 6. 6. *prouentus aliò migrans ob peccata.* 18. 2.
Balthasaris superbia. 20. 12.
Baptismo Christi fontes sacrati. 6. 8. *dati.* 8. 10. *Eunuchus Candacis, Processus & Martinianus, & Paschalis illustrati.* *ibid.*
Barrigæ strategema. 15. 17.
Basolus oratione fontem impetrat. 6. 10.
Beelzebub quale idolũ? 15. 15.
Belgium exundatione afflictũ. 7 2.
Bellerophontis artificiosus volatus. 5. 19.
Belluarum variarum curationes. 14. 9.
Benedicta terra figura passuri Christi benedictionẽ allaturi. 16. 10.
Beneficium pluuiarum. 5. 2.
Bestiæ igne non vrentes, 3. 2. *obedientes.* 15. 3. *punientes ib. n.* 5. *minimæ non curatæ.* 15. 10.
Bituminis in muris & mediis nucibus vsus. 4. 2.
S. Blasius è lacu illæsus exit. 7. 8.
Boleslaus idololatra innocenti VVenceslao prælatus. 18. 4.
Bona è malis facere Deũ. 2. 3. *malis nocere.* 2. 3. *non semper bonis dari.* 17. 3. *aliquando tamen* 16. 2. *bona tamẽ mala nulla esse.* 2. 10. *malos ijsdem misceri,* 16. 1.
Brachium tibicinis fulmine cur ablatum? 3. 12. & *à canibus nigris.* *ibid.*
Brutus terram osculans. 11. 1. *Columbis, pronunciys datus* 14. 12.

CAEli iucunda contemplatio. 12. 4. emtio aquis facta. 6. 12 praestantia à SS. considerata. 20. 5.
Calabria quàm terribili terra motu concussa? 18. 14.
Calcare serpentes sine damno, est Sanctorum. 14 1.
Caligula Iouem prouocantis & aemulantis insana superbia. 20. 12.
Calumnia Antonini in Christianos. 9. 13.
Camilla per aquarum summa currens. 7. 8.
Campania abundantia vitiorum mater. 17. 2.
Cancer S. Francisco Xauerio crucem referens. 14. 4.
Canes currui trahendo iuncti. 14. 9.
Canina musca quid? 15. 14.
Canis rabidus fluuio curatus. 6. 12. gratus. 15. 2. niger brachium tibicinis rapit. 3. 12.
Canonici mali pessima mors, vti & mores, 9. 9.
Canuti regis Anglorum sapiens modestia. 20. 12.
Capitolium fulmine ictum. 3. 3.
Caracalla leo, & monitor. 14. 3.
Caroli V. nummus qualis? 3. 4. Siciliae regis milites puniti. 15. 19.
Castratus fulmine impurum sacerdos. 3. 13.
Castrum formicarum quid? vbi? 15. 19.
S. Catharinae fons olet. 6. 10.
Cato de re rustica cum quibus scripserit? 17. 4.
Caupones iustitiam docet ignis 1. 15.
Catulus cerui Graecè doctus. 14. 7.
Ceadda in tempestatibus cur orârit? 4. 15.
Cecinna quo modo hirundinibus sit vsus? 14 12.
Celeritas motus Angelici fulmini comparata. 4. 14.
S. Celsus in mare proiectus illaesus exit. 7. 8.
Ceraunia mirabilis lapis. 4. 13.
Cerous Graecè loquentes intelligens. 14. 7. Syluae cicur. ib. cum lupis innoxius, vbi? 14. 12.
Cereuisia vendita iustitia igne declarata. 3. 15.
Cestri pisces mansuefacti. 14. 16
Chanaam terra quàm bona? 16. 1.
Chorea punita à Deo. 3. 12. seq. ducta ab elephante. 14. 6.
Christi fontes, in Bethlehem: AEgypto, Emmaus. 6. 5. potestas in ventos, 10. 3. auathoritas fide confirmata. 18. 13.

18. 13. *præsentia terræ motui obsistit.* 18. 11. *mors terræ motum facit.* 18. 6. *ira implacabilis aliquando.* ib.
Christiani Iudæorum arte, in incendijs extinguendis male vsi. 4. 12. *tenebris protecti.* 5. 12. *in serpentes quàm validi?* 14. 15.
Cimmeriorum tenebræ quantæ? 5. 18.
Cincinnatus dictator in agro factus. 17. 4.
Ciuis frugalis, vel pernitiosus. 17. 4.
Clades ex aquis 7. 1.
Claritas Christi & Angeli, fulgure expressa. 4. 14.
Clementia Dei iudicātis. 14. 1. *Principum quā decens.* 3. 4.
S. Clementis in mari sepulchrum. 6. 11.
Cleomenes quo modo lenas puniuerit? 9. 11.
Ceruorum mira. 14. 7. & 9.
Colonienſe fulmen. 3. 3.
Coloſſi fulgentes. 3. 4.
Columba lignea volatus. 11. 4. *Oculi quales?* 9. 1.
Columnæ marmoreæ fulmine formatæ. 4. 13.
Coma cicatricem tegens. 3. 9.
Commercia hominum & regionum. 17 1.
Concentus muſicæ & Reip. qualis? 1. 2.
Concordia mira beſtiarū 14. 12.
Confeſſarius è terræ motu incolumis. 19. 18.
S. Conradus ſuper lacu Acroniano ambulans. 7. 8.
Conſtantini M. in magnam odium. 5. 9.
Conſtantinopolis terræ motu agitata. 18. 10.
Contenebra vrbs à formicis deleta. 15. 19.
Contumaciū digna pœna. 3. 1.
Conuiua admirabiles. 14. 12.
Cor Alphonſi B. V. templo miſſum. 4. 8.
S. Corbinianus fontis dator. 6. 10. *Vrſi domitor.* 14. 2.
Core terra hauſtus. 18 4.
Corona aurea circa lampadē. 3. 2. *quàm ponderoſa, per aquas exploratum?* 6. 1. *à capite remota, ex modeſtia Canuti regis.* 20. 12.
Cornuta Moyſis facies, quæ? 3. 4.
Coruſcationes capitis, ſignum maieſtatis. 3. 9. *ſeq.*
Corvus ſalutans. 14. 11. *Elias* (10. 12. 14. 3.
Cotys rex inſanè ſuperbiens. 14. 3.
Crabronibus puniens Deus. 15. 14. *liberans.* ibid.
Creatorem cur à Deo diſtinxerit Marcion? 1. 6.
Creaturis aliquid deeſſe blaſphemat

phemat Alphonsus. 4. 2. *Deus* Vltor *in* Vindictam. 4. 7. & *n* 9. *item* 15. 5.
Crucis signo Hilarion mare compescit. 7. 10 *incendium extinctum,* 4. 12.
Crescens haereticus calumniator. 9. 13.
Cribro aqua hausta. 7. 5.
Crocodilus pro nave. 14. 2.
Culicum molestia. 15. 10.
Cultui divino metus prodest. 1. 3.
Cupido in aëre Volans. 11. 4.
Custos dormientis cervus. 14. 7
Cutilia aqua qualis? 4. 1.
Cybires fons Vino *scaturit.* 6. 7.

Daemones à templi destructione impediunt Sancti. 3. 13.
Daniel leonum domitor. 14. 1. *inter quos quanto miraculo servatus sit?* 15 9.
Dathan terra haustus. 18. 4.
David leonis domitor. 14. 1.
Dea habita Terra, à quibus? 20. 3.
Deus diligens iudex. 1. 6. *per elementa punit.* 18. 1. *monet, ante poenam.* 3. 5. *puniens benefacit.* 1. 8. *potest è malis bona facere.* 2. 8. *quàm iustus, dum nos Paradiso exclusit?* 5. 3. *quàm potens in Ventis?* 5. 4. *Non debet impedire cursum naturae?* 2. 1. *seqq. fulmine dominium, potentiam, maiestatem suam explicat.* 3. 4. *promissiones & leges quas habeat?* 2. 6. *à quibus putatus sit non punire.* 1. 6. *à Creatore distinctus, per Marcionis blasphemiam.* 1. 6.
Delphini amor erga Musicam 9. 3.
Derceto, cur se occiderit? 9. 6.
Deserta terra, quàm misera? 18. 1.
Desidiosi cibo indigni. 17. 5.
Desperatorum tentatio & medicina. 1. 5. *amentia.* 9. 10.
Deucalionis diluvium. 8. 3.
Diabolus, cur, & quo modo, per serpentes locutus? 13. 8. *seq. quantam vim habeat in serpentes?* 14 5. *item in Ventos?* 5. 8. *seq. item in fulmina?* 3. 3. *cur innocentibus noceat, nocentibus parcat?* 4. 10. *Iobo profuit.* 3. 2. *cur dictus Beelzebub?* 15. 15.
Diaeta aegrotantium animarum, qua? 1. 6.
Dianae cervus. 14 7. *mirus lucus* ib. *n.* 12.

Dice

Dice quid? 9. 1.
Dies mortis, cur incerta? 1. 5. *Parasceues, dies terræ motu terribilis.* 18. 6. *obscuratus à Tartaris.* 5. 11.
Dignitas hominis. 12. 11. *seq.*
Diluuium peccato inductum. 3. 8 *pœnitentiam docuit ib. simile mundo.* 10. 6.
S. Dionysius ex eclipsi Christi passionem agnouit. 5. 13. *à S. Paulo conuersus. ibid.*
Dioteenosia quid? 6. 7.
Disciplina elephantum. 14. 6. *auium. ibid. n.* 11.
Discrimina proborum & improborum, per aquas. 8. 7.
Diuisio aquarum prima, quomodo facta? 11. 5. *& seqq. per quos sanctos transeuntes facta?* 7. 7.
Dolia duo Iouis. 2. 9. *Serpentibus plena imposito Hexagone.* 14. 14.
Dominium Dei in omnia 10. 1. *& n.* 13. *hominis in bestias peccato diminutum.* 15. 10. *non ablatum.* 13. 7. *& n.* 11.
Domitiani pisces, quàm cicures? 14. 16.
S. Donatus fontem viatoribus aperit. 6. 10.
Draco gazophylacij custos occisus. 14. 1. *alius à S. Philippo Apost. à S. Narcisso, & Magno ibid. hominibus familiaris.* 14. 15.
Drahomira hausta terra. 18. 4
Dunstanus fontis dator. 6. 10.
Duo vox an scorpiones cohibeat? 14. 5.
Duritia magnatum ad monitiones. 4. 5.
Dydimus draconum calcator. 14. 1.

Ecclesia nauicula simile. 10. 5. *seq.*
Ecclipsi illuminatus S. Dionysius. 5. 13.
Effossi è terra homines. 19. 11. *seqq.*
Elephantorum subiectio, usus, gratitudo. 14. 6. *cautela.* 20. 5.
Elias igne cœlesti sacrificium, milites & duces vincit. 4. 7. *pluuia subductionem minatur.* 5. 2. *coruo, vt pramo, vtitur.* 14. 2.
Elisæus fontem sale sanans. 7. 4. *irrisores pueros ab vrsis deuoratos, mundo proponit.* 15. 7.
Elphegius exul incendio vindicatus & reuocatus. 4. 12. 14. 8.
Elpidis leo. 10. 2.
Emmanuelis Sosæ miserandum naufragium. 6. 6.
Emmauntis fons à Christo salutaris.

Empedocles ventos cohibet coriis asinorum. 5. 8.
Enceladus gigas fulminatus. 4. 9.
Epicurus Deum non punire putauit. 1. 6.
Episcopus à terra motu incolumis. 8. 9.
Epula VVenceslao funesta. 18 4.
Equus Bellerophontis in aëre pendens. 11. 4.
Eremita ad regem Alfonsum oratio 4. 6. *seq.*
Eretrienses cur pulsi? 4. 1.
Eua cur nõ horruerit cum serpente loqui? 13. 8.
Eucharistiam dæmones asportare non possunt. 3 13.
Euenus se ipsum aquis necans 9. 7.
Eunuchi Candacis baptismus. 6. 8.
Eurosyne socia Iouis. 2. 9.
Eustorgius lupum subiugauit. 14. 2.
Euzoius fraternè corrigens alapam accipit. 1. 7.
Exercitus Dei contra Pharaonem quàm mirabilis? 5. 5.
ignitus in cælo Italos corrigit. 4. 15.
Experientia docet, mala prodesse. 2. 3.
Exteriora vilia. 2. 5. *fallacia.* 2. 6.
SS. Exulum. Oettinganorum fons. 6. 10.
Exundationes, qui detestati? 7. 1.

Fabula Typhœi, vnde? 4. 1.
muscæ patientis. 9. 11.
serui mentientis. ib. n. 12.
rusticis filijs laborem persuadentis. 17. 4.
Faces quibus prælatæ? 3. 2. *lætitiæ signum,* ibid.
Facies Moysis & Angeli fulgida. 3. 4.
Famina qua sibi ipsis necem conciuerint? 9. 6.
Fœtus, vtero illaso, fulminatus. 4. 14.
Fontinus fluuium virga scindens. 7. 7.
Fanum fulmine euersum. 3. 6.
Ferrum candens innoxiũ. 3. 8.
Fertilitas terræ. 11. 12. *seq.* & *terræ S.* 16. 4. *seqq.*
Feruentis aqua probatio vetita. 8. 12. *seqq.*
Ferri candentis illicita probatio. 8. 12.
Fictilibus inclusi serpentes bello vtiles. 14. 15.
Fidelitas terræ. 17. 5.
Fides aqua feruenti probata. 8. 17.
Figura terræ qua? 11. 19.
Finni frigore gaudentes. 5. 1.
Florũ iucundus aspectus 12. 6.

Flami-

Flumina diuinitus secta. 7. 7. mendacij pœna. 9. 11. Voluptatis. 13. 2.
Fontes à SS. dati. 6. 10. salutiferi. 6 18. sterilitatem hominibus & agris inducentes. 7. 4. & ijdem salutares postea, ib. preciosi. 6 4 obstructi. ib. à Moyse, à Christo, ab alijs SS. concessi 6. 5. puteu compensati. 7. 3. Salnatoris. 5. 5. in Vnū Versi. 6. 7. à baptizatis sacrati, vel miraculosi. ib. n. 8. in Vsum baptismi fluentes tantùm tempore Paschæ. 8. 10. Siloe quàm mirabiles? 8. 8. Sabbathici ib. adulterium detegentes. 8. 17.
Formica populi signū, & omē. 14. 15. quam Vrbem deleuerint? 15. 19.
S. Franciscus fontē impetrat. 6. 10. Xauerius, in terræ motu, vtiliter inuocatus. 19. 18.
S. Fridolin. Rhenū diuisit. 7. 7.
Frigidanus fluuium precibus domat. 7. 9.
Frigore gaudētes Lappi & Finni. 5. 1. eius vtilitates. ib.
Fructuū iucunda varietas. 12. 7. Vbertas iustis promissa, impijs negata. 16. 8 seq.
Frustra quo modo iaciatur rete ante oculos pennatorum. 14. 10.
Fuga prosunt tenebræ. 5. 11.
Fulgor cuius rei signū? 3. 9. seq.
Fulgor Saulum cæcando illuminat. 4. 1. Angeli motum exprimit. 4. 14.
Fulmen Iobo in patientiā. 3. 2. Vrbibus in perniciem ib. n. 3. hyeme cadens ibid. signum maiestatis. ib. n. 4. Iouis cui appictū? ib. quomodo generetur? 3. 6. & 4. 13. Dei index. ibid. Mithridati omen regni 3. 9. illæsos tangit, alios q; miros effectus producit. ib. & 4. 13. tibicinem leuem ferit. 3. 12. alios item vigiles obscœnos, sacerdoti parcit. Maiestatē Dei significat. ib. sacerdotem alū punit. ib. n. 13. gigantes necat. 4. 1. timorem vtilē parit. 4. 6. in milites & hostes fertur. ib. n. 7. in Iulianum, & alios ib. n. 8. & seqq. Lutherum Monachum facit. 4. 13. superbū terret. ib. & 4. 15. simile amoris diuino. ib. n. 14. & alijs rebus. ib. n. 15.
Fulminatrix legio Vnde dicta? 4. 9.
Fur ab apibus proditus. 15. 15.
Furij Cretini pulchra defensio, in suspicione magiæ. 17. 4.
Furor in propriā vitam furiosi. S. Cassiodori. 9. 6.

S. Gangulphus uxoris facinus, per aquam, probat. 8. 17.
Ganymedis ficti baiula aquila. 14. 13.
Gazophylacium à dracone custoditum. 14. 1.
Gedeonis milites aquâ probati. 8. 10.
Gehenna metus, remedium contra peccatum. S. Hieronymum ad eremum pepulit. Martyres confortauit. 4. 15.
Georgorum quanta tenebra? 5. 18.
Gerasa fons uino fluit. 6. 7.
B. Gerasimi leo quàm gratus? 14. 8.
S. Germanus res à se tactas ab incendio immunes seruat. 4. 12.
Gerundâ captâ, à muscis mactati milites. 15. 19.
Gigantes fulmine tacti. 4. 1.
Gnosticorum crimina. 9. 13.
Goliath à pulice oppugnatus. 15. 10.
Gomorrha destructio ignis 4. 1.
Gorgias quid tactarit? 2. 5.
Græcè doctus cerum. 14. 7.
Grando à Moyse in Pharaonem. 4. 1. grando ingens à diabolo immissa parcit Sacrario. 4. 11.
Gratitudo pro aquis. 6. 13. prò beneficijs. 17. 5. eam quàm meritò exigat Deus? 16. 9.
S. Gregorius Thaumaturgus Lycum sistit. 7. 9. eius sepulchrum à terrâ motu incolume. 18. 9.
Gymneta boni saculatores. (13. 7.
Haeresis, causa terræ motuum. 18. 7.
Haereticus aqua probatus & punitus. 8. 17.
Haretici crudeles puniti. 9. 13.
Haimo dux in uenatione sitiens & adiutus. 6. 10.
Hannibal effeminatus luxuria. 17. 2.
Hanno primus leonis mansuefactor. 14. 8.
Haraldus rex conuersus ignis miraculo. 3. 8.
Haustus Suecicus Vnde? 7. 1.
Helenus onagro imperat. 14. 2.
Heli patientia Vtilis. 2. 9.
Hellespontus stultè à Xerxe uerberatus. 20. 17.
Henricus sacerdos fulmine periit ob iciunium non seruatum. 3. 13.
Heraclidis cum dracone familiaritas. 14. 15.
Hercules Hylam plorans. 6. 15.
Herodes aquis submergit Aristobulum. 9. 5. Agrippa superbus. 20. 12.

Heroes

Heroes à pulice inuasi. 15. 10.
Hexagon in dolio serpentū illusus. 14. 14.
Hierichuntis fons curatus. 7. 4
Hiero de agris colendis scripsit 17. 4.
Hieronis corona aurea. 6. 12.
Hieronis coloni ob quæ incommoda ex insula pulsi? 4. 1.
D. Hieronymus metu gehennæ solitudinem adijt. 4. 14.
S. Hilarion cruce mare coercet. 7. 10.
Hirundines pro nuntijs. 14. 12.
Hispanorum & Gallorum de Paschate lis quomodo per aquam dirempta? 8. 11.
Homerus de prouidentia Dei male locutus. 2. 9.
Homeri versus acephalos qui notent? 11. 1.
Homines à paruis bestijs cur molestentur? 15. 9. *seqq.*
Honor terræ sanctæ exhibitus. 16. 11. *Honorem suum mutauit homo.* 13. 1. & 3.
Hortensis gratia. 12. 7.
Hospitij merces apud Hierichuntinos. 7. 4.
Hospitium repudiatum, postea petenti negatum. 5. 3.
Hostiam adorare profuit aurigæ. 18. 4.
Hyeme fulmen cadens. 3. 3.
S. Hypatius gazophylacium draconе liberat. 14. 4.

Iacobus Piceus pallio nauigans. 7. 8.
Iacobi Christophori Blareri lupus mirus? 14. 8.
Iaculatores quomodo boni euadant. 13. 7.
S. Ianuarij sanguis ebulliens quid significarit? 19. 23.
Ibis ab Aegyptijs cur culta? 15. 14.
Idololatria Aegypti punita. 8. 6.
Ieiunij die sacerdos cauponarius fulmine ictus. 3. 13.
Ieroboam situli aurei an is aëre suspensi? 11. 4.
Igne incensa terra. 18. 3. *peremptī qui martyres?* 3. 8. *punitī Sodomitæ.* 4. 9. & *eorum imitatores,* ib. *vindicat Deus* 3. 6. *maiestas exprimitur.* 3. 2. & *infernus.* 4. 1. *Sodoma perditur* ib. *infernus repræsentatur.* 4. 14. *idē iustitiæ amanti Deus parcit.* 3. 15. *Martyres facit.* 3. 11. *quos suis nocentes punit.* ibid. *Potens nocentibus: parcens innocentibus.* 3. 6. *seqq facit martyres.* ib. n. 10. *Eius Gratulates.* 3. 2. *Eo cur Iudæi in Sabbato non vtī?* ib. *mi bestiæ.*
Ignitī serpentes quales? 15. 5.
Ilicæ cur è scopulo se miserint 9. 6.

Illasi in aquis. 7. 8.
Imago Dei qualis, Vbi? cur? 12. 11. *seq.*
Imbriũ pincernã Deum quis vocarit. 5. 2.
Immobilis terra. 11. 4.
Impassibilitas fulminis lapidi similis. 4. 14.
Impatientes lyra male temperata similes. 6. 1. *motus & querela.* 1. 8.
Impatientia hominum contra bestias. 15. 3. *seq.*
Imperatores aratores qui? 17. 4. *qui ignẽ habuerint sibi prælatum.* *ib.*
Impij solum pœna iusta bonum in se ostendunt. 2. 9.
Imprecationes illicitæ. 8. 20.
Improuisa mors, mala mors 4. 10.
Impudentia Iuliani contra aram mingentis. 1. 7.
Impurus sacerdos fulmine castratus. 3 [illegible]. 13.
Incantationes quomodo à serpentibus audiantur. 14. 5.
Incendium à S. Germano tactis rebus parcit. 4. 12. *à Marcellino obiecto domitum, ib à cruce extinctũ per Leonem IV. ib. Incendij exstinguendi ars Iudaica.* 4. 12. *melior Sanctorũ, & Elphegi. ib.*
Incerta cur dies mortis? 1. 5.
Infans mortua matris vbera sugens. 19. 13. *ab aquila in arã translatus.* 14. 13. *Infantes aquis suffocati.* 7. 1. *Infantes qua oppresserunt, quo modo olim probata?* 8. 17. *seq.*
Inferni imago ignes. 4. 1. *quæ horribiles tenebræ?* 5. 17.
Infimo loco cur terra? 11. 4.
Ingeniũ bonũ malis nocet. 2. 3.
Ingenio domari bestias omnes. 14. 5.
Ingratitudo Thesei quo modo punita. 9. 7.
Ingratus, Dei beneficijs indignus. 16. 9.
Inhabitabilis insula ob ignes & alia incommoda 4. 1.
Inimicitia inter serpentem & mulierem quo modo posita. 13. 10.
Innocentibus ignis parcit. 3. 6. *seq. Eis cur noceant fulmina & tempestates.* 4. 10.
Ino cur se præcipitarit? 9. 6.
Inobedientia hominum à bestijs pudefacta. 15. 3. *à leonibus punita.* 15. 6.
Instabilia omnia esse in terris. 20. 4.
Instrumenta musica, patientiæ symbolum. 6. 1.
Insula ob ignes & alia incommoda inhabitabilis. 4. 1.

Insula translata. 18. 6.
Intelligentia quanta elephãtum? .14. 6.
Intemperantium pœna. 7. 3.
Interiora meliora, in quibus? 2. 6.
Interiora pretiosa. 2. 5.
Inuidia calumnia Sopatro structa. 5. 9.
Inundationum mœsta facies. 7. 5.
S. Ioannis Baptistæ peruigilium violatum fulmine vindicatur. 3. 13.
Ioannes Capistranus pallio pro naui vsus. 7. 8.
S. Ioannes euangelista venenũ bibit sine damno. 4. 1.
Iob in omni fortuna Deum laudans. 1. 1.
Iobi patientia ad fulmen. 3. 2. *et Satan profuit.* ib.
Ioco submersꝰ Aristobulꝰ. 9. 5.
Iodocus baculo fontem excitat. 6. 10.
Ionas in aquas præcipitatus. 9. 2. *piscis vector.* 14. 4.
Iordanis consecratus in Christo baptizato. 6. 8. *eum transiens Iosue,* 7. 7, & *Maria Aegyptiaca, ib.* n 8.
Iosephi Anchietæ aquila. 14. 3. *is Pluuia magister,* 5. 3. *in mari siccus sedit.* 7. 7.
Iosue Iordanem transiẽs. 7. 7.
Iouem prouocat & se esse fingit Caligula. 20. 12. *Iouis duo dolia.* 2. 9. *eius socia, ib.*
Iphigenia igne defensa. 3. 6.
Irasci Deo nõ cõuenit, cur? 1. 3.
Isaias fontem Siloã impetrat. 8. 8. (vinũ vertitur. 6. 7.
Isfridi episc. merito aqua in vinũ vertitur. 6. 7.
S. Isidorus colonus fontis dator. 6. 10. (ceratus. 11. 2.
Iubæ regis iuuenis à leone laceratus. 11. 2.
Iuda desperatio amens. 9. 10.
Iudæi cur in sabbato ignem non vsi? 3. 2. *Eorum cassus labor in restaurando templo.* 18. 13. *eorũ ars inefficax scitudâ incendia exstinguendi.* 4. 12.
Iudicis Philippi sedulitas. 1. 6.
Iudicia Dei non sunt præcipitata sicut hominum. 3. 4.
Iudicia mundi, mala bona, & bona mala. 2. 3. *seq. Iudicia per aquas inter bonos & malos.* 7. 8. *seq. Iudicij diuini cogitatio remedium peccati.* 4. 15.
Ingurtha cur nocte libenter pugnârit? 5. 12.
Iuliani præfecti scelus, grauis pœna. 1. 7.
Iuliani apostatæ superbia fulmine domita. 4. 8.
C. Iulius Cæsar fulgens capite. 3. 10.
Iunonis lucus mirus. 14. 12. *Lup-*

Iuppiter fictus ab aquila portatus. 14. 13. *Cur cum fulmine pictus.* 3. 4.
Iustitiæ laus. 9. 1. *iustitia diuina in aquis.* 8. 6. *iustitia Dei misericordiæ coniuncta cur?* 1. 1. *iustitia cereuisiam vendentis igne cõprobata.* 3. 15. (9. 6.
Iuturna cur se suffocarit aqs.
Iuuenis à leone lacerat⁹. 15. 2.

Kindaculla mons quam altus & præstans. 12. 1.

Laboris commendatio & vtilitas. 17. 4. *seqq. fructus.* 17. 3. *per fabulam, ib. n.* 4. *Laborandum esse hominibus.* 17. 2. *Labor inanis Iudæorum.* 18. 13.
Lachryma Magdalenæ quàm salutares. 6. 6.
Lachrymas gignẽs arbor. 13. 2.
Lætitiæ signum faces prælatæ. 3. 2. (*tur.* 8. 10.
Lambentes aquam probantur.
Lampadarius quid Imperatoris. 3. 2.
Lancea fõtes in pectore Christi aperiens. 6. 5.
Lapides bonos mons dare iubetur à Xerxe. 20. 12.
Lappi frigore gaudentes. 5. 1.
Latrones à Diacono fugati. 14. 15.
Latus Christi fontis origo. 6. 5.
Lauacrum Christi. 6. 6.
Laurentius Laurentianum puteo suffocatus. 9. 8.
Leges aquarum quæ? 11. 7.
Lenas quomodo puniuerit Cleomenes. 9. 11.
Leo IV. incendium cruce extinguit. 4. 12.
Leo inter scorta perijt. 18. 4.
Leonis inaudita inter vindictã clementia. 15. 2. *Leones inobedientiã punientes.* 15. 6 *succurrentes, ib.* 8. *in instigantes conuersi. ib. & seqq. Martyribus prosunt.* 15. 9.
Leonũ domitores, Samson, Dauid. 14. 1. *Leonem quâ primò manſuefecerit.* 14. 8. *Mirè familiarẽ habuit Caracalla, ib. gratitudo, ib.*
Lex iustitiæ instrumentũ. 9. 1.
Ligno aqua curata. 7. 4.
Litterarũ baiulæ aues. 4. 12.
Loca B. Virgini sacra, salutaria. 16. 17.
Loco vno quomodo aquæ. 11. 7.
Loco infimo cur sit terra? 11. 4.
Locũ mutantes insulæ. 18. 6.
Locustæ à quo malo aductæ in Aegyptum. 55. *cur? ib.*
Lot ab igne eductus. 3. 8.
Lucerna aquis pro oleo fotæ. 6. 10. *sanati. ib.*
Luci in quibus bellua inter se pacifica. 14. 12.
Lucij Aelij filia superbè vestita fulminata. 4. 13.

Luctus in tenebris & pulla veste. 18. 2,
Lucullus montes suffodiens & pellens. 20. 12. bestijs in urbe oppugnanda impeditus. 15. 17.
Ludmilla mors unde? 18. 4.
Ludouicus qua probatione aqua & ignis usus sit. 8. 15.
Luna Dei laudem excitat. 3. 2 Dei maiestatem significat. 3. 2.
Luna cum Caligula stultum coniugium. 20. 17.
Lupi cum ceruis pacem colentes ubi? 14. 12.
Luporum domitores qui? 14. 2.
Lupus Episcopi Basileensis. 14. 8.
Lusores oppressi ruina. 3. 10.
Lutetia exundatione uexata. 7. 2.
Lux Israëlitarum inter AEgypti tenebras quàm mirabilis? 5. 15. eius abusus, ib. 11. 16. eius desiderium. ib. 11. 19.
Luxurians terra homines luxuriantes facit. 17. 2.
Lycerus opera AEsopi usus ad turrim in aëre. 14. 13.
Lycus fluuius à Gregorio Thaumaturgo frenatus. 7. 9.
Lyra & patientia & impatientiæ Symbolum. 6. 1.

Macarius ex fulmine Deum agnoscit. 3. 9.
Machabæi pugnantes fulmine adiuti. 4. 7.
Machometes infusione aquæ necans. 7. 1. eius sepulchrũ an in aëre pendeat? 11. 4. Machometicus paradisus. 20. 2.
S. Maclouio obediens balæna. 14. 4.
S. Magdalena in aëre elenata. 5. 14.
Magicis artibus uenti procurati uel cohibiti. 5. 8. & seq. tempestates excitatæ, ib. n. 10.
Magister discipulos liberat ruina. 19. 6. Verberans animatur. 1. 8.
Magnes quadrigam suspendens. 11. 4. item Arsinoes simulacrum, & equũ Bellerophontis. ib.
Magnitudo terræ. 16. 3.
Mago de agris colendis scripsit. 17. 4.
Magos non facere uera miracula. 8. 11. & seq.
Maiestas Dei per fulgura & fulmina. 3. 11.
Maiestatis symbolũ cur ignis? 3. 2.
Mala mundi ad quid prosint. 2. 8.

2. 8. *Mala bonis etiam dari.* 17. 3. *Mala natura in elementis.* 2. 12.
Maledictio terræ à peccato. 13. 1. & *n.* 6.
Maleficas aquis non probandas. 8. 19. *cur natent?* *ib. seq.*
Malis bona nocere. 2. 3. *cur bene?* 16. 1. *meritò malè esse.* 2. 10. *Malis boni latãtur.* 2. 2. *Malos malis dignos.* 2. 9.
Manipuli locus in brachio sacerdotis à fulmine non tactus. 3. 13.
Mansuescere variis artibus elephantos. 14. 6.
Manus ante sacra lauanda, cur & vnde? 6. 9.
Marathonij campi celebritas. 16. 11.
Marcellinus podagricus incẽdium extinguit. 4. 12.
Marcello Francisco Mastrillo patiente fit terræ motus. 18. 12.
Marchia vbi, & quid ibi cõtigerit. 3. 12.
Marcia aqua, qua. 6. 3.
Marcia fulmine tacta incolumis partu occiso. 3. 10.
Marcion cur Deum à creatore distinxerit. 1. 6.
Marcionita putabat Deo non conuenire vt puniat. 1. 6.
Marci Agrippæ aqua ductus pro vino. 6. 3.
Marcus Senensis hospitiũ repudiantem hospitio lepidè excludit. 5. 3.
Mare cur tempestuosum. 10. 3. *imago vitæ humanæ ib. n.* 4. *an vbiq; conunctũ.* 11. 8. *Vento quomodo ablatũ?* 5. 6. *id hominibus non subesse, sed Deo.* 20. 17.
Maria Victoria orans terræ motum non sentit. 8. 11.
B. Maria à psittaco salutata. 14. 11. *per terram benedictam significata.* 16. 12.
Maria Ægyptiaca super Iordane ambulans. 7. 8.
Marini dij qui? quàm malè inuocentur? 10. 3.
Martia grauida illæsa fœtus fulminatus. 4. 14.
Martinꝰ Luther fulminis terrore Monachus factus. 4. 13.
Marthis regis cornicula. 14. 12.
Martyr aquæ haustu animatus. 6. 10.
Martyres igne ob Christum combusti quàm celebres. 3. 8. *in aquis facti.* 6. 11. *quidam metu gehẽnæ fortiores facti in tormentis.* 4. 15.

Martyribus leones parcunt. 15. 9.
Martyrium mirũ Pontiani. 3. 7
Martyrius prunas pallio gestans. 3. 8.
Matas piscis stupendè cicur. 14. 16.
Mater magna terra, 11. 3. *mater terra Pandora.* 11. 13. *mater magna leonibus Vecta.* 14. 9.
Mater filio succurrens in ruina vnà opprimitur. 19. 4. *alia mortua lactat filium.* 16. n. 13.
D. Matthæus Iphigeniam cõuertens. 3. 6.
Maurilius fulmine fanum euertit. 3. 6.
S. Maurus super aquas ambulans. 7. 8.
Maxentij aues. 14. 3.
Maximiliani II. nummus cũ fulmine. 3. 4.
S. Medardi apes furem persecutæ. 15. 16.
Media via eundum. 11. 1.
Medicina quanta à B. Virg. 16. 12.
Medicinæ loco arbor. 13. 2. & n. 4.
Medico vulneranti gratia agenda. 1. 8.
Meditatio in tempestate, & de fulmine. 4. 15.
Megarenses leonibus vsi, à leonibus puniti. 15. 8.
Melchechemel Nilo exundante se defendens. 8. 2.
Melle manans terra. 16. 4.
Mendacium serui deprehensum. 9. 11.
Mercurius considerans cælũ. 2. 12.
Messiã venisse probatur. 18. 13.
Metallorũ feracitas vbi. 11. 12.
Metu Deus peccatores monet. 3. 5.
Metus mundo necessarius. 1. 3. *eius fructus. ib. n.* 4. & 5. *quando periculosus. ib.*
Metus Aegyptiorum. 5. 14.
Mexicani reges quàm stultè iurârint. 20. 12.
Miles pius & regis monitor. 4. 3. *seq.*
Milites fulmine extincti. 4. 7. *sacrilegi à muscis puniti.* 15. 19.
Militũ in aëre apparitio. 8. 9. *temperantia Deo grata.* 8. 8.
Miltiadis victoria celebris. 16. 11.
Minerua aqua pro speculo. 8. 18.
Minerua fictum coniugium. 20. 12.
Minari priùs Deum, quàm ferire. 3. 5.
Miodes cur cultus. 15. 15.
Miracula etiam non sancti perpe-

perpetrant. 8. 15. *sed per eum damonum non vera fieri miracula.* ib.
Misericordia Dei iustitiæ cõiuncta, cur. 1. 1. *seqq.*
Missa gratia balana quiescit. 14. 4.
Mithra faces ad quid? 3. 2.
Mithridates infans bis fulmine tactus. 3. 9. *eum dormientem custodit cerua.* 14. 7.
Mixtura in simplici Deo qua? 1. 1.
Molestiam volunt pati homines Deo molesti. 15. 20.
Moly herba, qualis. an contra mortem? 12. 10.
Mores pessimi cuiusdam canonici. 9. 9.
Mors pessima pessimi canonici, 9. 9. *Per peccatum intrauit.* 13. 4. *Subitanea quibus prosit, quibus noceat.* 4. 10. *Mortis dies cur incerta.* 1. 5. (18. 4.
Motus commoti animi signũ.
Motus terræ quos hauserit, ib.
Motus aqua terræ motũ indicat. 18 8. *Motus calorum quàm mirabilis.* 11. 4.
Moueri terram qui & quàm malè finxerint. 11. 4.
Moyses Iordanem transiens. 7. 7. *Ligno aquã curans.* 7. 4. *eius in serpentem potestas.* 14. 1 *Et in rubo ardente cur apparuerit Deus.* 3. 9.
Mundus aquis & diluuio similis. 10. 4. *seqq.*
Mundi consideratio Dei speculum. 2. 12. *Iucunda contemplatio.* 12. 3. *seqq. Promissiones & leges.* 2. 6. *Similitudo anostus.* 13. 2.
Murana Crassi gemmis ornata, cicur. 14. 16.
Murmurationes iniusta contra Deum. 15. 1.
Musca quàm indocile animal? 15. 10. *quàm dira & qua apud Aegyptios? ib. n.* 14. *Musca submersa fabula.* 9. 11. *Muscarũ dij qui.* 15. 15. *Musca quales Pharaonem puniuerint.* 15. 5. *Muscis Deus punit sacrilegos.* 15. 19.
Narcissi musca qua. 15. 19
Narcisso aqua pro speculo. 5. 10.
Natando oblectatus & occisus Aristobulus. 9. 5.
S. Nazarius mare calcat illæsus. 7. 8.
Natura motum non decet à Deo impediri. 2. 1. *Vnde natura mala ortum habeant.* ib.
Naturalis hominum vis in

animantes. 14. 5.
Naufragia passi. 7. 1.
Naufragium miserabile Emmanuelis Sosa. 10. 2.
Naucula similis Ecclesia. 10. 5. Naus vento deficiente stat. 5. 9. Naues Xerxis quadringenta vento euersa. 5. 4.
Neapolitana arx à leonibus defensa. 10. 8.
Nectenabo imperat fieri in aëre turrim. 14. 13.
Neronis formica signum mortis. 14. 15. mensa fulmine tacta. 4. 9. nummi fulmen in thoro. 3. 4.
Nicanoris superbia. 20. 12.
Nilo effosso se defendit Melchechemel. 8. 2.
Nisibin crabrones defendunt. 15. 18.
Nocentibus ignis nocet. 3. 6. seqq.
Noctis vtilitates. 5. 11. seqq.
Noe animalia obediētia. 14. 4.
Nomē agnoscunt pisces. 14. 16.
Nomina rebus quomodo indita ab Adamo. 12. 2.
Nouissimorū meditatio occasione venti, vel tempestatis suscepta à Ceadda. 4. 15.
Noxia animalia iustè permittit. 15. 1.
Noxia omnia facere possunt homines. 5. 11.
Nubis resoluta damnum. 7. 1.
Nubium in aëre suspensio mira. 7. 5.
Nummi Antonini Pij Norsnij, Caroli V. fulmen cur in thoro habeant. 3. 4.
Nuntiorum vice sunt aues. 14. 12.
Nuptiæ à saga dissipatæ. 5. 10.

OBedientiæ exemplum in Pado ostensum. 7. 10.
Occidere seipsum quanta amentia. 9. 6. qui id fecerint. ib.
Ocrea fulmine lacerata. 3. 11.
Oculi columbæ quales. 9. 1. ex pœna cæci. 1. 4. oculorum vis qualis in leone. 44. 8.
Odio Dei non adscribenda aduersa. 1. 8.
Oleum fontis S. Catharinæ. 6. 10. aqua suppletur. ib.
Oleo Christianorum, lucernas infidelium accendi vetitum. 5. 16.
Oliuæ ramus fulmini additus, quid? 3. 4.
Olympius Arianus sub fulmine cinefactus. 4. 9.
Omen à serpente. 14. 15.
Onager Heleno obedit. 14. 2.
Opera Dei nemo corrigere potest. 4. 2.
Opera tenebrarum quadam bona

bona. 5. 12.
Operarij quã necessarij. 17. 4.
Ophiogenes à serpentibus tuti. 14. 14.
Orans in mari non madescit Anchieta. 7. 3.
Orbis, Dei vindex & iustorum. 3. 11.
Orion super vndas ambulans. 7. 8.
Os blasphemum stercora egerit. 1. 7.
Oscula terra vtilia. 11. 1.
Otij vituperatio & damna 17. 4. seqq
Oues cum pastore absumpta & reddita. 19. 15.

PAcem significans sanguis S. Ianuarij. 19. 23.
Padum illasi super pallio qui transierint. 7. 8.
Padagogum filij quo modo puniert Augustus. 9. 11.
Palamedes aquis suffocatus. 9. 5.
Pallio leones capti. 14. 8.
Pallium pro naui quibus. 7. 8.
igne illasum. 3. 8.
Pandora quid. 11. 13. & c. 12. 3.
Panthera cæcur. 14. 8.
Paradisus vbi? 12. 11. quid significet, ib. fictus. 20. 2.
erat etiã terra sancta. 16. 8.
Paradisi similitudo anostus. 13. 2.
Parascenes die aqua sancta in vinum versa. 6. 7.
Parentum luctus filij malè educati. 15. 7.
Parua animalia quantum possint. 15. 10 seq.
Pascha olei compensati miraculo honoratur. 6. 10. item aqua miraculo. 8. 10. & per fontem. 8. 10. item aqua miraculosa. 6. 8.
Passer Seueri abbatis. 14. 3.
Pastor cum ouibus absorptus & redditus è terra. 19. 15.
Patiẽtia mira Dei. 4. 2. seqq. in musica docetur. 9. 11. eius symbolum instrumenta musica. 6. 1. patientia & impatientia symbolũ lyra. 6. 1.
Patriâ à ranis qui pulsi 15. 13.
Patroclus elephas laudis cupidus. 14. 6.
S. Paulus conuertit S. Dionysium. 5. 13. eius in serpẽtes potestas. 14. 15. in viperam virtus. 14. 1.
Peccata tenebris similia. 5. 17. calũ claudũt & pluuias. 5. 2. causa maledicta terra. 13. 1. & n. 6. Peccatis quomodo Deus & homines bene vtuntur. 2. 11. Peccato diluuium inductum 8. 3. pœna terra afflictio. 16. 8.

Peccator est causa pœnæ suæ. 8. 2. *eorum improuida securitas.* 4. 15. *peccatorum à reis immunitas quæ.* 14. 10.
Pedes Christus abluens fonti Emmaus subtrahit. 6. 6.
Pediculis puniti. 15. 5. *eorum miseria.* 15. 10.
Penetrabilitas fulmine expressa. 4. 14.
Percussa instrumenta Musica sonant. 6. 1. *ita & homines.* ib.
Peregrinationes ad terram sanctam. 16. 11.
Periuris aqua nocens. 8. 11.
Perpendiculorum inconstantia an vera. 11. 4.
Pertinacia superbi Alphonsi. 4. 4. *eius exemplum.* 18. 14.
Peruani fulmine icti, vti & Sodomita. 4. 9.
Peruigilium S. Ioannis Baptista non seruatũ à sacerdote punitur fulmine. 3. 13.
Pestis ex aquarum inundatione. 7. 1.
S. Petrus fontem impetrat ad baptismum. 6. 8. *seq. eius turris euersa vento & erecta.* 5. 7. *super aquam ambulans, & alij.* 7. 8.
Petrus Aragonum rex bello petitus. 15. 19.
Petrum Leonis se suffocans. 9. 8
Petrus Martini miles egregius & pius. 4. 3. *seq.*
Petrus Richardus vsurarius damonem propitium habet. 4. 11.
Phalacra qualis locus. 20. 5.
Pharao cur à parua bestiola vexatus. 15. 11. *à qualibus muscis punitus.* 15. 5. *eius magi an vera miracula fecerint?* 8. 15. *seq. eũ qui exercitu humiliarit Deus.* 5. 5.
Pherecides ex aqua terræmotum prædixit. 18. 7.
S. Philippus apostolum draconem occidit. 14. 1.
Philippi Patris Herodis in iudicando sedulitas. 1. 6. *Francorũ regis milites punitis.* 11. 19.
Philometor de agris colendis docuit. 17. 4.
Phraotæ regis salutatio factibus peracta. 3. 2.
Phronime aquis suffocata. 7. 1. & 7. 5.
Piger agrum negligit. 17. 3.
Pigritia turpitudo & damna. 17. 5.
Pincernam imbrium quis vocarit Deum. 5. 2.
Piscis staterem S. Petro affert. 11. 4. *Tobiæ parcit,* ib. *& Ionæ,* ib. *Nauta vere functus.* 14. 16. *Piscet aqui-*

re, disciplina capaces esse. 14. 16. hominibus obedientes. 14. 4.
Piscium in Aegypto copia. 8. 4.
Pithecusis insulis qua nocent. 4. 1.
S. Placidus puer ex Vndis extractus. 7. 8.
Planta cur in momento producta. 11. 13.
Pluuia data vel negata per veneficia & maleficia. 5. 2. impetranda precibus in potestate est sanctorum, ib. n. 3.
Podagricus Marcellinus incendium exstinguit. 4. 12.
Pœna quale bonum. 2. 9. Stilus Iuliano. 1. 7. eam cali non agnoscunt, sed boni. 1. 4.
Pœnitentia diluuio inducta. 8. 3. imperfecta. 1. 7. Alphonsi regis. 4. 8.
Pontianus adolescens prunas illæsus calcat. 3. 7.
Popo Haraldus ignis miraculo conuertitur. 3. 8.
Porci Gerasenorum submersi. 8. 19.
Potentia Dei Gentis patefit. 5. 4. & n. 5. seqq
Potestas Dei in aquis cohibendis. 7. 5. 6. seq. Diaboli ligata ad nutum Dei, 5. 8. Hominis in bestias. 13. 11.
Prado fulmine prohibitus equum rapere. 3. 14.
Præsentia Christi terræ motui obstat. 18. 11.
Precibus pluuia impetranda. 5. 2. qui aquas domuerint. 7. 7. seqq.
Priapum cur coluerint Elei. 15. 15.
Principes quam deceat clementia. 3. 4. seq.
Probationes aquarum etiã à sanctis adhibitæ. 8. 16. seqq.
Probatio per aquas. 8. 8 seqq.
Procliuas per aquam pondus auri quomodo deprehenderit. 6. 12.
Prodigijs fides confirmata. 18. 13.
Prodigia veneficorum Vnde, & cur. 8. 16.
Promissiones Dei & mundi. 2. 6. seqq.
Psittacus salutans. 14. 11. eius disciplina. ib.
Psylli à serpentibus seruri. 14. 14.
Prunas illæsus calcat Pontianus. 3. 7.
Puer cadens ab aquila exceptus. 14. 13.
Pueri in igne, salamandræ Dei. 4. 12. malè educati ab Vrsis puniti, 15. 7.

Angelo sub terra sustentati 19. 24.

Pulchritudo orbis. 11. 10. seqq. & c. 12. 3 seq.

Pulicũ audax vexatio. 15. 10.

Puniens Deus benefacit. 1. 8.

Purgationes vulgares scelerũ prohibita. 8. 12. cur? ib. n. 14.

Puteus insalubris pallidos reddens. 7. 1.

Putei Abrahãlitis causa. 6. 4.

Putei suffocati qui? 9. 5. ib. n. 8.

Pyramides à fulminibus formata. 4. 13.

Pythagoræ vrsa. 14. 8.

Quadragesima cibus ab angelo datus. 19. 24.

Quadriga Serapîdis in aëre pendens. 11. 4.

Querelæ inanes contra bestias. 15. 1. seqq.

Rabidus canis aquis sanatus. 6. 12.

Radij lucis quos illustrarint. 3. 5. seq.

Rana S. Vdalrico obediunt. 14. 4. potata. 7. 1. earum quanta plaga. 15. 12. seq.

Regum superba insania. 20. 12.

Rete an frustra iaciatur ante oculos pennatorũ. 14. 10.

Rhenus à S. Fridolino diuisus. 7. 7.

Rhodani exundatio. 7. 2.

Roscius Fabatus à serpente circumplicatus, quo omine? 14. 15.

Rotunda terræ figura. 11. 9.

Roxanæ mors ex amula. 7. 1. & 9. 5.

Rubus ardens quid? 3. 9.

Ruina vrbium & populorum varia. 15. 5.

Rupes amatoriis salutifera. 16. 12.

Ruptura ex adspectu labuntis. 17. 1.

Sabbaticus fons qualis. 33

Sabbato Iudæos igne non vti, cur? 3. 2.

Sabinus Pada imperat reditum in alueum. 7. 10.

Sacerdoti parcit faber ob ordines sacros. 3. 12. alij necem infert, ib. n. 13.

Saga tempestatum artifices punita. 5. 10.

Sagitta post se trahens sagittantem. 5. 19.

Salamandræ cælestes sunt sanctæ. 4. 12.

Sale aquas curauit Elisæus. 7. 4.

Salisburgensis cerum pretio quo. 14. 7.

Saltationis tibicen punitus. 3. 12.

Salutans corvus & psittacus. 14. 11.
Samaritana aquam viuam Christus proponit. 6. 5.
Samsō Leonis domitor. 14. 1 & *Daniel, ib n.* 2. & *alij, ib.*
Sancti cōtra dæmones pugnāt pro templo non destruendo. 3. 13. *Deū placare possunt.* 18. 7.
Sanguis Christi terram irrigans. 6. 10. *Sanguis Abelis cum Christi sanguine collatus. ib. Sanguis S. Ianuarij pacem significans.* 19. 23. *Sanguis aquam Ægypti fœdans quàm horribilis* 8. 4. *seq. Sanguine suo se sustentans.* 19. 13.
Sapores rex à crabronibus punitus. 15. 18.
Sapphe cur se aquis iniecerit. 9. 6.
Satan vt fulgur cadens. 4. 14. *Iobo profuit.* 3. 2. *fulminū procurator & auctor. ib. n.* 3.
Satietas noxia. 17. 2.
Saulum fulgur excæcando illuminat. 4. 1.
Scientia Adami. 12. 2. *seqq.*
Scientia boni & mali arbor qualis. 13. 3.
Scopelianū regno seruat fulmen. 3. 10.
Scorpiones superstitiosè cohibiti. 14. 5.
Scortorum cum complice interitus. 18. 4.
Scribere peritꝰ elephas. 14. 6.
Scytale qualis serpens. 13. 9.
Sella iudicis semper vna cum iudice portatur. 1. 6.
Semiramidis murus bitumine litus. 4. 1. (20. 12.
Sennacherib quàm superbus?
Sepulchrum S. Gregorij thaumaturgi cur incolume, nō item Machometi, à terræ motu. 8. 9. *Christi.* 16. 11. *sepulcri violatores à muscis puniti.* 15. 19.
Sepultura sacra fulminato difficulter concessa. 3. 12. *miraculo negata, ib.*
Sequana exundans cū damno. 7. 2.
Serapidis quadriga in aëre pendula. 11. 4.
Seruatur cælum prouidentia. 4. 8.
Sergius leonē imperat. 14. 2.
Serpens cum Eua quo modo locutus? 13. 8. *seqq. à Mose apprehensus.* 14. 1. *à Paullo excussus. ib.*
Serpentes quomodo excantentur. 14. 5. *eorum fœtor pestem creans.* 7. 2. *eorum cum hominibus familiaritas*

tas 44. 15. diuina subiectio. ib. igniti in pœnam. 15. 6. Eorum erga homines odium & subiectio. 14. 14.
Serranus à serendo. 17. 4.
Sertorij cerua pro Dictinna habita. 14. 7.
Seruilis timor, quid, vnde, an bonus. 4. 15.
Seruius Tullius radians. 3. 10.
Seueri passer. 14. 3.
Seuerus & Seueriani varijs bestijs petiti, in oppugnatione vrbis vsi. 15. 19.
Sibyllarum carmina in odium Christi vetita. 9. 13.
Siccitates peccato fiunt, oratione pelluntur. 8. 9.
Sigismundus regis Burgundia filius submersus. 9. 5.
Signa non petenda. 8. 7. seq. pseudoprophetarum. 8. 16.
Silenus quis? cui similis? 2. 6. Sileno an Alcibiades similis. ib.
Siloe fons ab Isaia impetratus. 8. 8.
Simeon stylita fulminatus, cur? 4. 10.
Simonides leones viarum duces dedit. 14. 2.
Sindrigal vrsa familiaris. 14. 8.
Sitis militum bonorum extincta, malorum relicta. 8. 8.
Societatis humanæ commercia. 17. 6.
Socrates nihil se scire dicebat. 2. 5. qualis animo? ib. iocans mortuus. ib. Sileno cur similis. ib. n. 6. eius descriptio. 2. 3.
Sodoma ignis. 4. 6.
Sodomitæ igne puniti. 4. 9.
Sol Dei maiestatem repræsentat. 1. 2. DEI laudem excitat. 3. 2. radijs illustris pingitur. 9. 9. obscuratur in detestationem peccati. 18. 2. eius contemplatio & laudes. 12. 5. Defectus, Christo passo, quàm mirabilis. 5. 13.

Sonus

Sonus è percussione. 6. 1.
Sopatro calumnia structa. 5. 9.
Spartanorum ruina ingens. 18. 5.
Speculi instar esse aquas bonis & malis, 8. 4. *seq. Minerua, Narcisso, ib.*
Spelunca in qua Christus natus, aquam scaturientem habens. 6. 5.
Spes cui bona, cui mala? 1. 5.
Spinas ante peccatum Adæ fuisse. 13. 5.
Statyra Roxanam æmulam demersit. 9. 3.
Stellæ DEI *laudes prædicant* 3. 2. DEI *majestatem significant.* 3. 2. *prosunt herbis.* 11. 12.
Stercora per os blasphemorū exeuntia. 1. 7.
Sterile solum virtutis mater. 17. 2.
Sterilitas terræ quantum malum. 18. 1.
Strategemata pro urbe defendenda. 15. 17.
Stratonici ex cultibus hominum de aquis coniectura. 7. 1.
Subitanea mors quibus prosit vel obsit. 4. 10.
Submersi varij. 7. 1.
Sudarium excussum, signum terræ motus. 18. 7.
Suecicus haustus unde? 7. 1.
Sulphuris usus in potu. 4. 1.
Summa capita citius feriuntur. 4. 17.
Superbi metuere discunt à fulmine. 4. 13.
Superbia usque in stultitiam degenerans. 20. 12. *illam Pharaonis quomodo* DEVS *humiliauerit.* 5. 5. *intoleranda. Alphonsi regis.* 4. 2. *Superbia Campana unde?* 17. 2.
Syluia cervus quàm familiaris? 14. 7.
Syrorum clades è terræ motu. 18. 5.

TArtari diem extinguere gnari. 5. 11.
Taxi pocula faciunt dim

amarescere. 7. 2.
Tempestas horribilis, sed vtilis 4. 6. à Moyse in Pharaonē. 4. 1. à damone procurata. 3. 2. facta, ib. n. 3.
Tempestates vetorum causa. 10. 3. cur permittantur? ib. earum procuratrices saga punita. 5. 10. Vtilitates 4. 13.
Templa Christianorum salua terræ motu. 18. 10. fulmine percussa, cur? 3. 3.
Templum Iudæi restaurantes, quibus prodigijs. 18. 13. à diabolo impugnatum, à sanctis defensum. 3. 13.
Templi violator punitus. 1. 7. fulmine ictus 4. 9. spoliatio punita. 1. 7.
Tenebræ Ægyptiæ quantæ. 5. 14. Peccati symbolum, ib. 11. 17. inferni quantæ, ib. 11. 18. Eas procurant Tartari, & se tueantur. 5. 11. earum vtilitas, ib. & seq. an eas creârit Deus. ib. Horrorem peccati monstrantes. 18. 2.
Terminus aquarum. 11. 6. mirabilis. 7. 5.
Terra bona & mala prodest. 16. 1. bonis bona data, ib. n. 2. seq. à quibus laudata? 11. 1. seq. à quibus pro dea adorata? 20. 3. Stabi dalū est & beneficium, ib. prodigiosè pendet, ib. 4. homine mutata, 13. 1. Terra fertilitas bonis data, malis negata. 16. 8. seq. aquis artificiosè iuncta. 6. 2. quàm variè vitietur terra. 18. 1. mouetur, sanctis patrib. 18. 12. eam non moueri. 11. 4. eius stru ib. 5. eius iucunda contemplatio. 12. 6. dissimilitudo 17. 1. motus quid docet? 20. 1. seqq. ad quid vtilis 18. 6. non sentitur à sanctis erante. ib. n. 11. motus variÿ. 18. 4. seqq.
Terra sancta contra mortes & spectra adhibita. 16. 11. B. Virginis figura, ib. n. 12. Eius magnitudo. 16. 3. fertilitas, ib. n. 4. seq.
Thalia socia Iouis. 2. 3. 9. 1.
Themis quid.
Themiscyrenses contra Lucullum bestijs vsi. 15. 17.
Theodericus rex fulmine extinctus. 4. 3.
Thesaurus Dei vetus, cur 5. 7. quomodo quærendus 17. 4.
Thesei ingratitudo punita. (5) 9. 7.
Thoas à dracone defensus. 16. 8. Tho-

S. Thomas à psittaco nominatus vtiliter. 14. 11.
Thoma Cantipratani atas. 3. 3.
Tiberis exundans. 7. 1.
Tiberius serpentem familiarem habuit. 14. 15.
Tibicen leuis fulmine punitus. 3. 12.
Tigris mansuefacta. 14. 8.
Timor fulminis vtilis. 4 6 *seruilis quid? Vnde, an bonus?* 4. 15. *Vanus ex predictione astrologorum.* 19. 22. *Verus alius,* *ib. n.* 23.
Tobiæ piscis parcit. 14. 4.
Tobias nocte bene vsus. 5. 12.
Tonitrua imitatus, Caligula. 20. 17.
Tremor terræ quid? 18. 3.
Tres pueri in igne illæsi, 3. 6.
Salamandra cœlestes fuêre. 4. 12.
Treuirensis tempestas à damone procurata. 3 3.
SS. Trinitatis imago, 12 11. *Fides igne confirmata.* 2. 8. *eam detestans tribus fulminibus ictus.* 4. 9.
Tristitiæ flumen vbi, & quale? 13. 2.
Troglodytæ quomodo capiant elephantes? 14. 6. *à venenis securi.* 14. 14. (7. 5.
Tuccia aquã cribro hauriens. *Turcæ ab apibus fugati.* 15. 17.
Turdus Agrippinæ. 14. 11.
Turris vento euersa, & rursus erecta. 5. 7. *in aëre fieri iussa.* 14. 13. *fulmine icta.* 3. 3. *Turres vbi ob fulmina nullæ?* 4. 13.
Tychonis de motu cælorum dictum. 11. 4.
Typhoëus fulmine ictus, 4. 1. *Vnde illa fabula?* *ib.*
Tyrannidis indicium putatum, leonem domuisse. 14. 8.

V*Anitas mundi.* 20. 1. *seq.*
Valerius Conatus terra haustus, 18. 4.
Vapor an aqua? 11. 6.
Varietas terrarum. 17. 1.
Varro de re rustica scripsit. 17. 4.
Vbera mortua matris sugens infans. 19. 13.
Vbertas agri è labore. 17. 4. *& natura.* *n seq.*
Velocitas Camillæ. 7. 8.
Venatus aues quæ vtiles? 14. 12.
Venator lupus. 14. 8.
Veneficij suspicione, quomodo se liberauerit Cresinus? 17. 4.
Venena quibus non noceant? 14. 14.
Venenata etiam in Paradiso fuisse.

fuisse. 13. 5. *& prodesse, ib. n.* 7
Venenosa etiam Vtilia. 7. 4.
Venenũ Veneno pulsum 19. 15.
Venialia peccata aqua benedicta deleta. 6. 9.
Ventis imperat Christus 10. 3.
cur exsistant? *ib.*
Ventos Empedocles asini pelle pellit. 5. 8. *diabolus excitat, ib. eorum Vis, ib. & n. seq. ipsi homines eorũ causa sunt, ib. n.* 11. *eorum Vis & potentia.* 5. 4. *Vtilitates. ib. Varietates, ib. qualis locustas aduexerit in Aegyptum?* 5. 5. *seq. ignota natura,* *ib. n.* 7.
Ventorum dominus solus Deus, qui eis imperat. 5. 7.
eorum Vi turris euersa, & rursus erecta, *ib.*
Vesparum pœna. 15. 18.
Vesta quid? 11. 3.
Vestes superbæ fulminatæ. 4. 13.
Vesuuius inferni imago. 4. 14.
eius Vomitus igneus. 18. 3.
Vicissitudines quænam. 7. 3.
Victoria Miltiadis, quàm clara. 16. 11.
Victoria se manu coronatum fingit Caligula. 20. 12.
Vidua iustè Vendens ceruisiam incendio liberatur. 3. 15.
Villa noua, aquũ redemptibus, certo tempore adiuta. 7. 3.
Vindex orbis iustorum. 3. 11.
Vindicta Dei cur Vtilis? 4. 8.
aspidis pro infante. 14. 15.
leonis temperata. 15. 2. *lepida ab hospitio exclusi.* 5. 3.
Vinea in qua thesaurũ quærentes ditescunt. 17. 4.
Vini loco aqua oblata ab augusto 6. 5.
Vinum ex aqua in nuptiis a Christo datum. 6. 3.
Virga flumen sectum à Pandino. 7. 7. *& n.* 3.
Virginea serpentũ fuga. 13. 9.
Virgines ignis defendens. 5. 6. *seq.*
Virginitatem crebro probat Tuccia. 7. 5.
Virgo aqua qua? 6. 3.
Vitæ arbor qualis? 12. 10.
Vitta aquarum quo modo ornata? 7. 1.
Vituli aurei Ieroboam an aëre suspensi? 11. 4.
Vlricianus fons curatus ligno 7. 4.
Vlysses Palamedis suffocator. 9. 5.
Volantes Varij per aërem. 5. 9.
Volsinium fulmine concrematum. 3. 1.
Voluptatis fluuius vbi, & qualis?

qualis? 13. 2.
Vota in tempestatibus concepta. 10. 3. *Votum stultum de aquis Stratidis.* 7. 1.
Vr ignis è quo liberatus Abraham. 3. 8.
Vrbs ab apibus defensa 15. 17.
Vrsus Sindrigalis & Pythara. 14. 8. *malè educatos pueros punit.* 15. 7. *contra hostes, quomodo?* 15. 17. *à S. Corbiniano domitus.* 14. 2.
Vsurario grando & diabolus cur pepercerit? 4. 11.
Vsus creaturarum bonus, plura beneficia promeruit. 16. 9.
Vtilitas animalium varia. 14. 5.
Vulpes immaniter magna. 9. 12.
Vxor pia mariti monitrix. 1. 7.

S. W *Alpurgis oleum.* 6. 10.
VVenceslaus inter epulas occisus. 18. 4.
S. VVolfgangus fontis dator. 6. 10.
S. X *Auerius Stiliter invocatus in terræ motu.* 19. 18.
Xenophō de agricultura scripsit. 17. 4. *à quibus laudatum Cyrum dicat?* 11. 1.
Xerxis naues, quo Vento, euersæ. 5. 4. *arbor honorata.* 12. 9. *Stultitia in mari Verberando.* 20. 12.
Xiatimenses apibus se defenderunt. 15. 17.
Z *Elotypiæ probatio Mosaica.* 8. 14.
Zuë maritum Imperatorem occidens. 9. 5.
Zosimas terræ motum absentem prædicit. 18. 9.
Zosimus leonis dominus. 14. 2.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
3090